




DE CONTINENTIA CHRISTIANA

Aduersus

EPICVRÆOS HVIVS TEMPORIS,

IMPIOS LVTHERI ET CALVINI ASSECLAS,

Libri Tres.


AVCTORE

IOANNE BOVRGHESIO

E SOC. IESV.










DVACI,

Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI,

ſub Cirçino aureo. anno 1638.




Primus generalia refellit hæreticorum Epicuræa dogmata.

Secundus agit de ieiunio tum speciatim, tum generatim, vt omnem macerandi corporis rationem continet.

Tertius de Castitate, tum soluta, tum votis illigata Virginali, Viduali, Coniugali.





Admodum
REVERENDO DOMINO
D. MATTHIÆ BAR
CELEBERRIMI
VICONIENSIS COENOBIJ
PRÆSVLI DIGNISSIMO.

J. BOVRGHESIVS.



SANCTI NORBERTI ordinis tui cãdidiſſimi fundatoris eximij, PRÆSVL AMPLISSIME, magna laus eſt hæreſim Tan- Surius tom. 3. c. 34.

ã 2 cheli-

chelinam Antuerpiæ grassantem, cùm per se, tum per suos alumnos penitus profligasse atque extinxisse. Fuit Tanchelinus homo prophanus, Epicuræus, Atheus (vt habet auctor vitæ S. NORBERTI) sceleratissimus Dei & omnium eius Sacramentorum totiusq; Christianæ fidei ac religionis hostis; quo parente ac prædecessore glorientur eiusdem homines farinæ, impij Lutheri & Caluini sectatores. Et quidem hos in augustissimo Eucharistiæ Sacramento pernegãdo pari impietate illusores & impostores Atheos Tancheli-

chelini ſequaces, qui dicerent ad ſalutem ſacroſancti corporis & ſanguinis perceptionem nihil prodeſſe, ſi vita ſuperſtes fuerit, libris de Euchariſtia; quos aggreſſus ſum, breui demonſtrare propoſui: nunc hoſce tres alios non diſſimiles libellos de CONTINENTIA CHRISTIANA, quibus eoſdem Tanchelini diſcipulos pro mea tenuitate confutaui; vt, qua ſoles benignitate excipias, oro; ac pro eo zelo quo S.P. NORBERTVM æmularis, hæreticoſq; ſalutari perſequeris odio, nõ ingratos futuros cõfido. Nã & in hoc omnis incõtinẽtiæ genere Prin-

 ceps

ceps & Dux extitit eis Tanche-
linus, quem, vt citatus ait auctor
(fuit is Hugo Valencenis abdu-
ctus è familia Cameracenſis Epi-
ſcopi & in primis à S. NORBERTO
in ſocietatem vitæ atque inſtitu-
torum aſſumptus, eiuſque Præ-
monſtrati ſucceſſor) quem, in-
quam, conſectabantur armato-
rum tria millia, vt nemo illi nec
Princeps nec Epiſcopus poſſet
obſiſtere; magno cum apparatu
progrediens, veſtitu deaurato;
triplici funiculo crinibus intor-
tis auro intexto ligamine tripli-
catis, mulieroſus vir & delicatus
propheta perſuaſibilibus verbis


&


& magnis conuiuiorum apparatibus beneuolētiam auditorum cōciliarat, eorumq́; mētes malis artibus ita dementarat, vt lotiones eius biberēt, & reliquiarum loco aſſeruarent; & cum filias in matrum cōſpectu, ſponſaſq́; maritis vidētibus corrūperet opus ſpiritale eſſe perſuaderet. O hominem nequam Cynicum ac dignum Luthero proauum, qui & ipſe hoc opus maximè ſpiritale prædicabat, & qui Caluino cæteriſq́ue hæreſiarchis huius æui fuit auctor ad incontinentiæ regnum hæretico omni dogmate ſtabilendum. Patere me igitur

S. Nor-

S. NORBERTI tuisq; auspicijs aduersus hos depugnare; neque de tuis hoc loco vel laudibus quas fastidis, vel aduersus SOCIETATEM cui adscriptus sum, officijs verbum vllum facere; sed quâ soles humanitate ac benignitate me meaque studia complectere.

PRÆFA-





PRÆFATIO.



VPER à me vulgati libri duo de humilitate Chriſtiana aduerſus Stoicorum decreta & paradoxa: haud moleſti ſanè mihi monitores, adeoque impulſores extiterunt aſsidui, vt hoſce tres de continentia Chriſtiana conſcriberem aduerſus veteres & nouos huius temporis Epicuræos. Quorum quidem Epicuræorum ſecta non modo fœdior, & nocentior; ſed longè lateque magis peruagata eſt quam Stoicorum: huius enim diſciplinæ propemodum obſoletæ pauci ſunt æmuli politioribus ferè litteris eruditi, ſolidæ Theologiæ rudes & imperiti; at quam latè graſſatur hæreſis Lutheri, & Caluini, quam latè ſe diffundit Politicorum & Machiaueliſtarum natio, tam latè dominatur Epicuræorum ſchola, in quam & orthodoxi qui-

ẽ dam,

dam, appellatione magis quàm re Christiani, concessisse videntur, qui vita & moribus, si non fide & doctrina discipulos se profitentur Epicuri; Hæretici omnes ferè & vita, & doctrina moribus & disciplina sunt Epicuræi; orthodoxi pauci vita, nulli doctrina. Nos hic doctrinæ non vitæ censores esse cupimus, in illiusque magis quam huius reprehensione versari. Sunt Epicureæ sectæ dogmata non modo quam Stoicæ plura, & tetriora; verum & tectiora, periculosiora & pernitiosiora. Nam velut institutis Christianis accommodata, sacrarum scripturarũ atque Patrum ementita auctoritate, munita ac confirmata, magno cum apparatu reformatæ religionis proferũtur in lucem; Quin & summa mentis obstinatæ contentione peruicaciaque aduersus ipsam vim apertæ veritatis defenduntur, ac sæpè sæpius refutata Paradoxa, tamen eadem Lectoribus ad nauseam ingeruntur: sæpius deuictis ac prostratis, sed nunquam omnino persuasis hæreticis,

reticis, ſed non minor eſſe debet noſtra conſtantia, diligentia, induſtria in confutandis hæreſibus, quam ſit illorum in diſſeminandis pertinacia ac peruicacia. Aduerſus venena parantur antidota, quodſi eadem ſæpius venena nouis inuolucris obtecta propinantur, illis retectis eadem ſæpius rectè repetuntur antidota. Non omnibus vacat aut lubet, accuratas de fidei controuerſis quæſtionibus tractationes expendere, aut omni laude digna Bellarmini, Valentiæ, Stapletoni, aliorumue ingentia volumina percurrere, qui & horum lectione librorum guſtum aliquem controuerſiarum haurire poterunt, ac quo ſpiritu ſeſe ab Eccleſia ſegregarint hæreſiarchæ, perſpicere. Tum & complura Chriſtianæ religionis principia ac fundamenta nō de meo, ſed SS PP. Doctorumque, quos modo laudaui, theſauro deprompta perſpicuè & firmiter explicata proferentur. Fuerit Academicis olim aduerſus Stoicos perplexa & intricata diſceptatio, quod cum illis mi-

nimè conſtaret veritas, animòque ſemper incerti fluctuarent; poterant quidem illorum errores arguere falſitatis, ſed quod ſequerentur, & tenerent, ipſi nihil habebant certi, & definiti; At nobis orthodoxis, quibus Euangelicæ lucis oborta eſt veritas, qui certiſsimis fidei principijs nitimur, in horum Philoſophorum atque hæreticorum propulſandis ac reuincendis erroribus perquam facilis & expedita ratio eſt; cum ad Euangelicæ lucis ac veritatis conſpectum, tenebras illas errorum atque hæreſum euaneſcere, ac diſsipari ſit neceſſe. Vt nox illuſceſcente die diſparet atque interit, ſic hæreſum monſtra apparente fide, ac veritate concidunt. In apertum hæreſes protuliſſe, confutaſſe eſt. Legitur apud Clementem Stromatæum inſigne quoddam Chriſti Domini dictum, quod habetur in Euangelio ſecundum Ægyptios: Veni ad diſſoluendum opera fœminæ: interpretatur Clemens, nõ Euæ primæ parentis, ſed prauæ concupiſcentiæ, cupiditatis voluptatum

Lib. 3. Stoic. p 330.

tum insectatricis: quæ ad corpus opera omnia refert. Aut meretricis eius magnæ quam describit D. Ioannes in Apocalypsi, quæ corrupit terram in prostitutione sua; quam hæresim Lutheranam & Caluinianam verè dixeris. Nihil ea mollius, nihil effœminatius, nihil quod magis hominem mulierosum fractum ac dissolutum reddat. Vocat Nazianzenus hæresim πόρνην scortum, prostibulum, meretricem, quæ voluptatum blanditijs illiciat, & greges Epicuræorum hominum delinitos ad se trahat. Cuiusmodi sanè est hæresis Lutherana & Caluiniana sola fide salutem repromittens, pietatis opera damnans ac negligens; à ieiunijs, abstinentia, omnique ratione macerandi corporis abhorrens; sed Castitatem præcipuè auersata, virginitati nuptias æquiparans aut præferens; earum nomine concubitus incestos ac sacrilegos cohonestans; hominum sacrorum cœlibatum erroris ac superstitionis condemnans. Vltimum scopum omnium hæreseon esse Atheismum seu

Orat. de sua ord.

Prateolus verbo Athei Epicuræi.

Epicuræiſmum, non experientia modò multorum iam annorum comprobat; verùm & illi ipſi fatentur aduerſarij ex lamentatione Hedionis, de ſuis. Euangelicis ad Melancthonẽ ſatanam callidum huc multos agitare, vt dum ſumma inconſtantia iam hoc, iam illud credunt, poſthæc nihil prorſus credant, & euadãt in populũ Aſoticorum, decoctorũ, hominum nihili, luxui, ganeæque deditorum. Sed ſpecialia habemus ex Caluini Lutheriq; diſciplina Atheiſmi & Epicureiſmi principia, quæ plenius hiſce libris explicabuntur.

Erit & hæc forſan lucubratio ſpiritalis ſui profectus ſtudioſis, virtutiſque continentiæ cultoribus, haud infructuoſa; ſi quam nos in ſcribendo, parem illi in legendo commentandoque diligentiam ac patientiam attulerint. Etenim duæ ſunt virtutes homini Chriſtiano comprimis neceſſariæ, Humilitas & continentia. Illa præcipuè mentem, hæc & corpus exornat, illa confert animi ſanitatem, hæc corporis animique munditiam, illa pro-

fligat

fligat omnem arrogantiam atque superbiam; hæc impudicitiam & intemperantiam; vehemens est à natura velut insitus vterque appetitus, tum excellentiæ propriæ ac dignitatis tuendæ, quæ ad superbiam pertinet, & humilitate compescitur; tum corporis curandi, voluptatis ac titillationis sensuum, quem moderatur ac reprimit Continentia. Vt latissimè patent hæc vitia, intemperantia, libido, luxuries, & incontinentia, superbia, vana iactantia, sui præfidentia ac præsumptio. Ita nemini non sunt maximè salutares ac necessariæ virtutes oppositæ, Temperantia, Castitas, Continentia, Humilitas, animi demissio, modestia, sui diffidentia, ac in Deum confidentia; Ac quoniam de hoc genere virtutum ac vitiorum aduersus Stoicos abūdè dictum est, nunc aliud, Deo propitio aduersus Epicuræos opus aggrediendum, quo simul & orthodoxos Christianis moribus imbuamus, & hæreticos fœdissimis laborantes erroribus coarguamus.

APPROBATIO.


TRACTATVS hic, *de Continentia Christiana, aduersus Epicuræos huius temporis, impios scilicet Lutheri & Caluini asseclas*, Auctore R. P. IOANNE BOVRGHESIO, doctus est & solidus, vereque vtilis & aptus tum ad Christiana dogmata comprobanda, tum etiam ad hæreticorum insanos errores redarguendos ac confutandos; adeoque omnino dignum censui qui prælo committatur, vt ab omnibus conspiciatur & legatur. Actum Duaci 8. Maij anno 1638.

THEODORVS VAN COVVERDEN
S.Theol.Doctor, eiusdemque Regius ac ordinarius Professor, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus.

PRIVILEGIVM.

EGo infrascriptus Societ. IESV *in Gallo-Belgica Prouincialis iuxta Priuilegiũ eidem Societati cõcessum quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absq; superiorum permissione imprimant, facultatem do* BALTAZARI BELLERO *Typographo Duacensi, vt librum, cui titulus est* De continentia Christiana, aduersus Epicuræos huius temporis, impios Lutheri, & Caluini asseclas, *Auctore* R. P. IOANNE BOVRGHESIO *Societatis* IESV, *ad sex annos proximos imprimere, & liberè distrahere possit. Datum Duaci 7. May* 1638.

FRANCISCVS DE LA CROIX.



CAPVT PRIMVM.

De Temperantiâ & Continentiâ, quid differant? & quæ sint eius partes subiectæ?



E QVATVOR virtutibus Cardinalibus, quas S. Ambrosius officiales appellat, quod ab ijs omniũ virtutum officia ducuntur; Temperantia, non præstantiâ quidem ac dignitate, tamen origine ac necessitate prima debet existimari, hominique præ cæteris cõgruentissima, in quâ, vt monet idem Ambrosius, maxima honesti cura & decoris consideratio spectatur & quæritur: si cui virtuti, huic excellenter conuenit notio pulchritudinis duplici de causa. Tum generatim secundum communem rationem ad quam pertinet moderatio, & conueniens proportio motuum animi, in qua sit essentia pulchritudinis, ex D. Dionys. doctrinâ 4. de diui. nom. tum speciatim quâ parte refrænat eas voluptates tactus, quæ maximè hominem dedecent, quæ cum brutis pecoribus illi sunt communes, ex quibus maximè deturpari ac fœdari poterat, ob eandem causam honestas illi maximè tribuitur. Est enim honestas idẽ quod honoris status, vt ex S. Isidoro definit S. Thomas à quo sunt hæc petita. Vt intemperantia turpissimum est vitium, ab hominis dignitate maximè alienum; ita Temperantia pulcherrima honestissimaque virtus censenda est homini maximè

1. Off. 25.

congruens, maximeque necessaria, summo studio paranda, & excolenda. Si quod autem est discrimen Temperantiam inter & Continentiam, illud est, quod Continentia adhuc depugnet, nec perfectam sit assecuta victoriam, Temperantia planè domitas & subiectas habeat appetitus inferioris passiones, nullamque vel exiguam pugnam sustineat. Continentia contra nitentibus obluctetur cupiditatibus, & eas intra rectæ rationis præscriptos terminos cohibeat. Quare licet à Philosopho inter perfectas virtutes non numeretur, à nobis tamen potiùs vsurpatur, atque his libellis pro titulo præfigitur, Continentia quam Temperantia, quod quamdiu versamur in hac vitâ, quæ tota tentationibus & periculis exposita est, ac perpetua quædam militia, paucis contingat etiam speciali Dei gratia, ita sopitas & exstinctas habere concupiscentias, quin iterum atque iterum resurgere ac bellum commouere queant. Nemini non indicta est Continentia cum nemini non aduersus eas passiones pugna ac dimicatio in hoc vitæ mortalis statu supersit. Nemini Temperantia obtingere potest tam perfecta, quin perfectior, expeditior, firmior euadere possit, quare nemini non est opus continentia. Non existimat S. Thomas, Continentiam in appetitu concupiscibili collocandam, nam sic appetitus inferior pari & eadem ratione se habet in homine tum continente, tum incontinente: nam in vtroque prorumpit ad vehementes impetus prauarum concupiscentiarum, neque item in ratione & intellectu, quod sic in vtroque pari etiam modo se habeat, vterque rectè iudicat cum nullâ passione impetitur non esse sequendas illicitas concupiscentias, vterque rectam velut in æquilibrio rationis stateram retinet, sed differētia est omnis in electione voluntatis, quia continens tametsi patiatur vehementes concupiscentias, tamen illis obsistit, & rationem magis sequendam ducit; incontinens concupiscentijs abducitur, licet obstante & contradicente ratione. Est igitur continentia in voluntate, in ea facultate & animæ vi ad quam pertinet electio. Non negauit tamen S. Thomas

D Tho. 2. 2. qu. 15. a. 3.


4. Eth. vlt.

mas Temperantiam item esse in voluntate, tametsi adiunctum habeat aliquem habitum in appetitu inferiori, quo planè reprimantur eius impetus ac motus. Nec ego crediderim continentiam diuturnis ac crebris actibus confirmatam in voluntate carere omni habitu inferiore, quo sensualis appetitus contineatur, ne in tam vehementes assultus insurgat. Iam illud intemperantem inter & incontinentem discriminis est; quod intemperans non retineat rectę rationis iudicium ac pondus, sed illud à passione deuictum sit, deiectum ac peruersum, cum se ratio & voluntas velut appetitui subdidit inferiori captiuamque tradidit. At incontinens superatus quidem sit impetu vehementis passionis, sed adhuc tamen obluctante rectę rationis iudicio, ratione & voluntate nondum planè manus dante, etsi denique superiores partes appetitui velut inuitę concedant. Quare deteriori loco est intemperans, quam incontinens. Lutherus initio hęreseos ac desertæ religionis erat incontinens, sed denique exstinctâ synderesi factus est intemperans, ebriosus, luxuriosus, Atheus, omnibus vitijs in prædam traditus. Adiungitur virtuti Temperantiæ donum timoris Dei, quo veluti fræno retinetur effrænata pars sensualis, ne præter modum mensuramque feratur in ea bona quæ sunt sensibus iucunda, quare quę pertinent ad sanctum hunc timorem in animis nostris stabiliendum, ad radices quoque virtutis continentiæ altius iaciendas. Quæ vero Dei timorem labefactant & conuellunt, continentiam item & temperantiam funditus euertunt. Est autem considerandum, inquit, S. Thomas quod naturales inclinationes principia sunt omnium superuenientium passionum, quæ nimirum ab obiectis externis aut aliter exsuscitantur in appetitu sensitiuo, & ideò passionem tantò vehementiùs impellunt ad aliquid prosequendum, quantò magis sequuntur inclinationem naturæ. Hęc autem præcipuè inclinat ad ea quæ sunt sibi necessaria ad conseruationem indiuidui, sicut sunt cibi, vel ad conseruationem speciei, sicut sunt actus venerei, quarum propensionum delectationes ad

 tactum

3. Eth. 10. tactum pertinent, circa quas Temperantiam versari perspicuum est ne desererentur functiones & officia naturę quibus vel indiuidui conseruatio vel speciei propagatio continetur, author naturę summam illis quandam admiscuit illecebrā sensuum voluptatem, summamque indidit cuique velut à natura insitam propensionem ad eas expetendas, ad quas proinde moderandas summopere opus est virtute Temperantiâ & Continentiâ. Atque vti rem deducamus ab altiori principio; ex eiusdem S. Thomæ doctrina; Virtus moralis in eo
2.2 q.1. a.3. præcipuè sita est, quod bonum rationis tueatur ac conseruet aduersus passiones repugnantes. Motus autem passionum duplex est, alter quo appetitus sensitiuus prosequitur bona, alter quo refugit mala. Vtraque bona ac mala rectę rationi non repugnant absolutè, sed bona per immoderantiam & excessum, quod non ea quâ par est mensura ac ratione appetantur; mala, per discessum à recta ratione, quod fugiantur ea, quæ recta ratio dictat non fugienda, vt igitur ad virtutem fortitudinis pertinet obfirmare animum ad ea mala suscipienda vel aggredienda, quæ sunt cum rectâ ratione coniuncta, ita ad virtutem Temperantiæ spectat appetitum retrahere & retinere ne in bona sensibilia feratur immoderatè. Fortitudinis est moderari timorem & audaciam, non quorumcumque sed maximorum malorum, quibus ipsa natura interit atque exstinguitur; ita Temperantiæ est moderari maximam delectationem, quæ comitatur ac consequitur actiones maximè naturales ad naturæ conseruationem, propagationemque pertinentes. Fortitudo impellit ad ea sustinenda vel aggredienda, propter quę refugit homo maximè bonum rationis, quæ sunt mala quibus vita ipsa appetitur morsque infertur. Temperantia retrahit ab ijs quæ appetitum maximè alliciunt contra rationem, quæ sunt bona sensibus iucunda, quibus natura tum indiuidui, tum speciei conseruatur. Hinc deducitur duas esse species subiectas seu partes Temperantiæ & Continentiæ; vnam quæ ad moderandam victus rationem referatur ad indiuidui

diuidui conseruationem in abstinentia cibi & sobrietate potus; alteram quæ delectationes venereas ad speciei propagationem institutas moderetur, vel eas omnino reprimens, vti castitas virginalis, quæ si voto firmetur, penitus omnes præscindit; vel ex parte intra honestum coniugij vsum, vel certo demum tempore restringens, vt maritalis & vidualis continentia. De partibus integrantibus, & potentialibus nihil dicere habeo; sed quoniam hanc vtramque continentiæ speciem conuellere nituntur huius temporis hæretici, ipso in primis expugnato Dei timore, qui fidissimus est continentiæ custos & nutritor, primo libro quæ generatim ad continentiam ex hæreticorum doctrinâ conuellendam ex Catholicorum disciplina stabiliendam ac firmandam pertinent, explicabuntur, tum altero de parcimonia cibi & potus, ieiunioque differetur, tertio quæ ad castitatem, tum religione voti Deo consecratam, tum solutam, ac triplici distinctam, virginali, viduali, ac maritali statu, excolendam conferunt, ex SS. præcipuè Patrum scriptis ac monumentis proferentur.



CAPVT II.

De triplici secta inimica Continentiæ Epicuri, Lutheri, & Caluini.



E Epicuri secta notissimum est, cui pro summo bono atque extremo fine propositum fuit voluptatem corporis consectari; hinc si par & gemina dicitur secta Lutheri; non absimilis sed eadem planè secta Caluini, haud sanè fiet iniuria, cum ex vtriusque principijs & fundamentis, ob quæ illi se

ab Ecclesiâ Catholicâ seiunxerunt, eadem incontinentiæ atq; intemperantiæ labes deducatur, vt nihil dicam de Atheismo qui finis est omnium hęresum, & parens omnis incontinentiæ. Indulgendum omni corporis voluptati laxandasque incontinentiæ habenas; certiùs lõgè & apertius Lutheri & Caluini dogmata conficient, quam inanes implexæ & falsæ ratiocinationes Epicuri. Ex quo etiam perspicuum fiet, quæ sint ea dogmata ab omni prorsus aliena veritate, quamque damnanda ac repudianda, quæ in turpissimam hanc Epicuri sectam recidant, asseclasque suos, si non semper vitâ & moribus (magna enim vis est naturę contra nitentis, & rectę institutionis) certè publica doctrina & disciplina quàm profitentur, Epicureos efficiant.

Nihil magnoperè mirandum, si gentiles illi philosophi densis idololatriæ tenebris circumsepti, quibus nulla vnquam fidei, nulla doctrinæ cęlestis lux affulserat, solo rationis lumine sensuumque exteriorũ, quibus maximè nitebantur & quos ad veritatem certissimos duces opinabantur, ductu prolapsi sint in hunc errorem, cum præsertim de animorum nostrorum immortalitate, alteraque vita sempiternâ nihil haberent explorati ac certi, imò corporibus inferiores, atque vnà simul animos interire censerent. At quis non miretur nouos istos quinti Euangelij præcones, & Ecclesiæ, si Deo placet, reformatores, sacrarum litterarum vt de se ipsi prædicant, interpretes intelligentissimos, singulari quadam fidei luce eaque multiplici collustratos (nam triplicem fidem faciunt historicam miraculorum, promissionum, hancq; generalẽ, & specialem) vt multas fides habeant velut in lyra, nullam in religione eundem sibi præfixisse doctrinæ suæ scopum, corporis voluptatem, omniaque ad vitę præsentis oblectationem referre, quasi non superstit altera sempiterna nec de animorum constet immortalitate, cũ tamen ex Apostolorum symbolo nondum extremos duos articulos erasserint, credo carnis resurrectionem, & vitam æternam.

Ne sua secta mollis haberetur delicata, voluptuaria, sed fortis, constans, secura, multis laborabant Epicurei, cum vulgò dicerent ignorari quam voluptatem summum bonum diceret Epicurus, non eam modò quæ suaui motu & iucunditate sensus perfunderet, sed eam maximè quæ in omnis doloris vacuitate & molestiæ detractione consisteret, hanc summam stabilem permanentem voluptatem constare non posse, nisi perdomitis & exstirpatis cupiditatibus, quæ sunt insatiabiles & infinitæ, nisi comparatis quoque virtutibus, sed quas nemo pararet, nemo laudabiles & expetendas duceret, si ab eis voluptates non efficerentur; cupiditates necessarias nec operâ multâ nec impensâ expleri, ne naturales quidem multa desiderare; propterea quod natura diuitias quibus contenta sit, & parabiles & terminatas habeat, inanium autem cupiditatum nec modum vllum, nec finem inueniri. Clamat Epicurus non posse iucundè viui, nisi sapienter, honestè, iustè viuatur, nec sapienter honestè, iustè, nisi iucunde, cuiusmodi sententiarum, (quas κυρίας δόξας maximè ratas ad beatè viuendum breuiter enuntiatas velut oraculo sapientiæ venerantur) librum edidit Epicurus, ex ijsque complures à Senecâ cum laude & commendatione referuntur, quâ forte de caussa Angelum se nuncupat Epicuri. At in Caluini Lutherique voluminibus quando ab Ecclesiæ doctrina discedunt scripturarum corruptelę, ac deprauationes fœdissimæ, conuiciorum ac maledictorum in Pontificē ac Doctores orthodoxos plaustra in Deum, diuosque omnes nulla istiusmodi conspiciuntur præclarè dicta quibus ad honestatem morum virtutemque informantur, sed horribiles, insanæ, tartareæque blasphemiæ, quibus in omne flagitiorum pelagus & sempiternum orci præcipitium impellantur. Nihil certe fuit illis curę, difficilis, aspera, & seuera censeretur eorum schola ac disciplina, sed quam maximè expeditam, facilem & iucundam ab omnibus existimari voluerunt, vt in nullam aptius conueniat illud Saluatoris pronuntiatum, quia *lata est porta & spatiosa via* Matth. 7. 13.

qua

quæ ducit ad perditionem & multi sunt qui intrant per eam, ſemper illi conſcientiæ libertatem, hoc eſt carnis, & naturę corruptæ, ſi ritè interpreteris, licentiam deprædicant nulliuſque legis nec publicæ, nec priuatæ, nec ciuilis, nec Eccleſiaſticæ nexu & obligatione obſtringi ſe patiuntur: neque modò virtutes in voluptatis obſequium & famulatum addicunt, ſed eas funditus euertunt & peſſumdant ſolâ fide & meritorum CHRITI Domini commentitiâ quadam imputatione velut alienâ veſte ſuperinductâ gloriantes.

Quanquam voluptates omnes ad corpus referrent Epicurei, ex eoque oriri cenſerent, tamen id fatebantur, haud paulo maiores eſſe voluptates animi quàm corporis. Nam corpore nihil niſi præſens, & quod adeſt ſentire poſſumus, animo autem & præterita & futura. Eſt autem (aiebant) ſitum in nobis, vt & aduerſas res quaſi perpetuâ obliuione obruamus, & ſecundas iucundè & ſuauiter meminerimus, eaque grata recordatione præſentem dolorem leniamus. Adhibendus autem delectus eſt ſapienti, vt quædam quandoque voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiſcendarum causâ, & dolores ſuſcipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratiâ. Quod extremum pręceptum vtinam Lutheri Caluiniq́ue diſcipulis ſæpius in mentem veniat, huiuſque vitæ præſentis tum voluptates tum dolores & alterius ſempiternæ componant, vtinam præſentia, futuraque, tum bona, tum mala, velut æqua lance iuſtę rationis appendant & tempus cum æternitate conferant, ſi corporis animique voluptates ac dolores nolint inter ſe componere vtriuſque certe vitę præsētis temporaneæ & futurę ſempiternę tū bona, tū mala committant, & componant. Mihi quidem Caluino homini furioſo & Luthero ebrioſo numquam animum pacatum & ſerenum conſtitiſſe perſuaſerim, numquam illis veræ & ſinceræ lætitiæ guſtum & ſenſum obtigiſſe, ſed continuo quodam morſu conſcientiam exeſam, mentemq́ue velut infernalibus ambitionis, ſuperbiæ, iracundiæ, inuidiæ, odij, male-

uolentię

uolentiæ, impietatis, & blasphemiæ in Deum exagitatam facibus, ac diris perfossam stimulis, qui nullam illis quietem triberet & ad carnis sensuumque brutas voluptates persequendas impellerent. De se quidem candidè confitetur Lutherus, ego Martinus Luther vix vllam consolationem ex morte & resurrectione CHRISTI capere possum, bonis autem corporalibus à Deo acceptis, vt edere panem bonum, bonum bibere vinum optimè possum: nempe eius erat vna consolatio in exhauriendo sextario vini & poculo catechistico, de quo, & lautiore victu Caluini dicetur aliàs, nunc, quod cœpimus, exequamur. Quemadmodum inter Epicureos qui voluptatibus fræna laxabant, ijsque se totos immergebant, brutis pecudibus abiectiores, deterioresque euadebant; nam brutę pecudes naturæ sequuntur instinctum nec ab eâ pręscriptos limites prætergrediuntur, at homines illi bruti iudicio, & discursu rationis abutebantur, eoque cælitùs indulto lumine in conquirendis augendisque voluptatibus pręter consuetum naturæ modum præcipites ferebantur: ad eum modum Lutheri & Caluini sectatores priscis Epicureis deteriores & detestabiliores existunt, quod Epicurei in asserendâ voluptate solo naturæ lumine ducerentur, solo ratiocinationis humanæ præsidio niterētur. At Lutherani & Caluiniani, (quę summa est eorum impudentia & peruersitas) ipsis Christianæ fidei fundamentis in hoc intemperātiæ & incontinentię regno stabiliendo conantur abuti; aduersus ipsam fidem & scripturam sacram, quâ continentia & pœnitentia tantoperè commendantur ipsius fidei & scripturæ sacræ velut armis depugnant, ex Euangelio petitis argumentationibus ab Euangelicâ nos continentiâ dehortantur, ex Christianis Epicureos, ex ipsiusmet CHRISTI & discipulorum eius sententijs & documentis perperam intellectis reddere nos contendunt. Conuenit in illos quod eleganter traditum est à S. Irenæo *l. 2. aduers. hæreses*, quemadmodum si quis aurifex excellentem regis imaginem ex pyropis, adamantibus, vnionibus, atque gem-

Tom. 2. Opusc.

mis pretiosissimis elaborasset, & alius mox ex eadem conflata & fusa turpissimam canis effigiem efformasset, illamque Regi non dubitaret offerre, asserens eius esse imaginem, an non reus læsæ maiestatis haberetur? quod etsi eadem foret materies gemmarum & auri, tamen forma & figura diuersissima constaret, ac tantò ille grauiore pœnâ mulctandus esset, quanto pretiosiorem materiem viliori formę subdidisset ac priorē Regis imaginem grauiori probro dehonestasset. Quâ non ergo pœnâ digni, qui scripturis in tam prauos vsus abutuntur, illisque CHRISTVM, in Bacchum atque Epicurum transformare nituntur. Non est tamen mihi propositum, quam latè patet hunc campū fidei controuersiarum penitius ingredi, in quo illi sępe deuicti ac prostrati, tamen obstinati persistunt, sed modicè dumtaxat quâ parte sunt Epicurei veterum maximè Patrum authoritate ac ratione coarguere.



CAPVT III.

Prophanam Philosophiam semper aduersatam doctrinæ & virtuti Christianæ, sed eâ longè nocentiorem hæresim existere.



OBSERVAVIT Baronius ad annum CHRISTI Domini 75. quo tempore Apostoli & Apostolici viri, ad inferendam mortalibus Euangelij lucem totum terrarum orbem peragrarunt; eodem tempore complures Philosophos, eiusdem velut ęmulos instituti varias obeundo prouincias toto peruagatos

peruagatos orbe, de virtutibus & vitijs conciones habuisse, ita tamen vt auitæ superstitionis gentilitium cultum retinendum summâ contentione persuaderent. Inter quos eminuit excellens magus Apollonius Thyanæus, de quo Philostratus, L. 5. & apud eundem Dio celebratus, cuius exstant Rhodiacæ, Corinthiacæ, Tharsicæ, Boristhenicæ & aliæ à diuersis in quibus sunt habitæ locis, orationes nuncupatæ. Euphrates Apollonij necessarius, Demetrius, Nausonius, Danis Pythagoricus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, Diogenes iunior & alij, quibus administris & Apostolis, Dei Simius Cacodæmon impietatem tueri, & Euangelij progressum impedire conatus est. Cum enim, vt ait Apostolus, Græci sapientiam quærerēt, & hanc Philosophi verborum lenocinijs ac phaleris exornatam ostentarent gloriosissimè, quorum inquit Iuuenalis:

Ingenium velox, audacia perdita, sermo Satyr. 3.
Promptus & Isæo torrentior.

Haud dubium quin auidissimis exciperentur auribus; at Apostoli, homines Iudæi, rudes & imperiti, sine literis, nouam ac peregrinam religionem afferentes exsibilarentur. Sed euicit tamen diuina potentia crucis, omnesque idololatriæ ac prophanæ philosophiæ tenebras disiecit, suisque radijs, & splendoribus Euangelij mundum illuminauit atque ad se traduxit vniuersum. Quod Apostolus monet ad Colossenses, videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, Græcus textus habet, ne quis vos deprædetur; itaque legunt Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius. Non intelligitur de verâ germanâque philosophia quæ scientia est rerum diuinarum & humanarum naturali lumine rationis acquisitæ, quasi vel damnanda sit vt noxia, vel vt inutilis reijcienda, verum de eâ quâ tum velut escâ ad fallendum vtebantur vagantes philosophi varijs erroribus atque ambagibus sententiarum implexa, quamque pseudo-Apostoli & hæretici Simoniani & Gnostici, hoc se appellantes superbo nomine, cum superstitionibus

Coloss. 2.8. De bono patientia. In Oseā & ad Galatas. 1. de fide. c. 3.

tionibus Iudaicis, & verâ Christianâ religione malignè permiscebant. Multaq; illi ex Platonicorum & Peripateticorum scholis proferebant; quibus velut integumentis impietatum suarum errores obtegebant, & ex quibus velut fontibus plurimæ deinceps emanarunt hæreses, quâ de re dictum est aliâs ex D. Hieronym. ad Ctesiph. & Ambros. de Arian. Nonne ex Philosophia omnem impietatis suæ traxerunt colorem? Fuit hoc mali dæmonis artificium, de quo SS. Patres, vt euersis idolis & inani falsorum Deorum cultu profligato per hęreses alia rursus idola suscitaret, impietatis & Atheismi semina spargeret, quibus à verâ religione mortales auocarentur, & ad priores perfidiæ tenebras reducerentur. Ad eundem modū abolitis & exstinctis prophanæ Philosophiæ sectis, Peripateticorum, Epicureorū, Stoicorum, quę latissimè dominabantur, malus dæmon per hæreses falsa dogmata veteris illius inanis Philosophię de nouò suscitauit, quibus Euangelij lux & veritas obscuraretur errorumq; priorum defensio susciperetur ab hæreticis, quorum non inscitè Patriarchas, Philosophos Tertullianus appellauit. Atque, vt verbis vtar S. Cypriani, CHRISTI *aduentu deletus & prostratus inimicus excogitauit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat errantes, hæreses inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, corrumperet veritatem, scinderet vnitatem: quos retinere non potest in via veteris cæcitate, circumscribit & decipit noui itineris errore, rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, vt cum Euangelio* CHRISTI, *& cum obseruatione eius & lege non stantes, se Christianos vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment blandiente aduersario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem, transfigurat se in Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prętextu fidei, Antichristum sub vocabulo* CHRISTI, *vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate*

L. 1. de fide c. 5
Tertull. adu. Prax. 18
Aug. 13 ciuit. 51.
Cypria de vnit Eccles.

subtilitate frustrentur. Quæ mirificè conueniunt in huius æui sectarios, nisi quod non verisimilia sed aperta mendacia secum ipsi pugnantes afferant, quæ tamen sacrarum literarum authoritate fulcire ac confirmare certè obfuscare nitantur, Erant aliæ alijs sectę deteriores; sed inter omnes nocentissima habebatur Epicuri, quod Deo optimo maximo prouidentiam omnem, & animis nostris immortalitatem adimeret, quod otiosum Deum statueret, quicum nihil esset hominibus negotij, à quo nihil nec metuendum, nec sperandum, maximè post hanc vitam, quando cum corpore simul interiret atque exstingueretur animus. Quæ secta flagitijs omnibus aditum patefaciens, virtutum officijs præcludens, licet homine maximè indigna & bruta, tamen plurimos semper habuit sectatores, qui summis laudibus Epicurum efferrent, quasi primus homines ab errore reuocasset & ad veritatem tranquillæ & beatæ vitæ traduxisset. Rogatus Archesilaus, cur tam multi ab Academia ad Epicurum deficerent, nemo ab Epicuro ad Academiam? *Ex viris*, inquit, *Eunuchi facilè fieri possunt, ex Eunuchis viri nequaquam*; De Lutheri Caluinique sectâ similiter verè dixeris: *facilis descensus auerni:*

Noctes atque dies patet atri ianua ditis 6. Æneid.
Sed reuocare gradum superasque euadere ad oras
Hoc opus, hic labor est,

nihil est quod de sectatorum multitudine glorientur, aut suos duces, errorumque præceptores tantoperè celebrent hodierni Epicurei, sit Lutherus quintus Euangelista, nouus Elias, Ecclesię reformator, vir diuinitùs datus ad orbem illuminandum; sit Caluinus admirabilis Dei Propheta, summus interpres diuinarum litterarum, vni illi secundum Deum conueniat interpretatiô scripturarum ex Geneuensium sententiâ, tamen vterque reperitur deterior Epicuro, & hæresis vtriusque Epicuri sectâ longè nocentior & pestilentior; cum non modò salutarem Dei metum adimat atque exstinguat, sed vim propemodum & necessitatem suis afferat secta-

 toribus.

toribus in omnia ſeſe ſcelera ac flagitia induendi. Ad hunc planè ſcopum referuntur peruerſa eorum dogmata, ad conſcientię, hoc eſt, naturę corruptę libertatem, ad peccatorum omnium licentiam & impunitatem. Aiebat Epicurus ſuis, *ſectamini me & beati eritis*, hac in vitâ mortali, *voluptatibus omnibus circumfluentes, ſublato omni metu Deorum, qui nec gratiâ nec irâ commouentur, altera poſt hanc nulla ſupereſt vita*. Lutherus & Caluinus amplius dicunt, licet tectiùs & ad fallendum accommodatiùs, ſi modò credideritis in CHRISTVM, & eius iuſtitiam mente apprehenderitis vobis imputatam, beati eritis non in hac tantum, ſed & in futura vitâ immortali, alioqui in mortis æternæ barathrum prolapſuri; omnes eritis Deo chari, electi, prædeſtinati; quamuis vitam agatis in flagitijs, tamen à gratia & felicitate non poteritis excidere. Epicurus inanibus quibuſdam à natura pecudum vel infantium rationis expertium, voluptatem appetentium, dolorem refugientium, exemplo petitis ratiocinationibus eſſe conficiebat, illum ſummum bonum, hunc ſummum malum, alijſq; huiuſmodi commentis ab humanâ ratione repertis errorem ſuum corroborabat. At Lutherus & Caluinus Dei verbo præcipuè ſe niti, vnum purum putum Dei verbum ſemper inclamant, nec tantum allegatione ſacrarum ſcripturarum, verum & regni cæleſtis promiſſione, & ſempiterni ſupplicij comminatione confirmant omnes ſuos, quamquam reuera Athei, nec Deum, nec cælum, nec infernum credunt, tamen ad fallendum hos omnes adhibent authoritatum fucos. Duæ ſunt mentis noſtræ facultates, quibus ſalutis humanę ratio continetur intellectus & voluntas; intellectum allegatis ſacris ſcripturis perperam expoſitis obſcurare; volũtatem triplici velut ariete deijcere tentant, allegatione diuinæ voluntatis, promiſſione ſempiternæ vitę, & comminatione mortis æternæ, & quamuis, vti dixi, nihil verè credant, tamen allegant Deum & CHRISTVM, cœlum promittunt, minantur infernum, ad Eccleſiam impugnandam ex eius armamentario machinas depromunt

omunt, ipsosque SS. PP. Ecclesiæ propugnatores aduersus am in aciem educunt. Eius ipsius armis eius caput ac iugum petunt, scripturæ verbis, scripturæ sensus euertunt, neue tanquam hostes externi, quos cauere & vitare sit facilius, d tanquam domestici proditores intra Ecclesiæ castra decertant. Quò igitur nocentior & funestior hæc est hæresis, eò naior adhibenda nobis contentio ad eius pestiferam vim longissimè propellendam, eò maior cautio, diligentia, industria, omnisque doctrinę ratio explicanda ad eius fraudes detegendas. Et quamquam eadem à nostris sæpè dicta sint & repetita, tamen obduratis auribus & mentibus ingerenda videntur, eorumque memoriæ, quam sponte videntur obliterare, consulendum.



CAPVT IV.

Quàm sit Continentiæ aduersa & inimica Lutheri & Caluini secta.



PROSPICERE id licebit ex eo quod omnia Cōtinentiæ munimenta atque excitamenta funditus conuellat, latissimam autem intemperantiæ atq; incontinentiæ portam aperiat. Nam quæ ad continentiæ studium nos excitant quæque illud studium in animis nostris conseruant & augent, hæc ferè sunt: Timor Dei supremique numinis reuerentia, dignitas ac præstantia naturæ rationalis, quâ brutis pecudibusque excellimus, & proximè ad Angelorum Deique similitudinem accedimus; institutio

institutio Christianæ religionis & doctrinæ, legis Euangelicæ supremus honor & gradus longè supra Mosaicam excellens; nexus & obligatio legum tum diuinarum, tum humanarum, quibus continentia præcipitur, desiderium triplex vehemens & ardens vlteriores semper in virtute progressus faciendi, aggregãdi cumulum bonorum operum, & thesaurum ingentem meritorum expiandi quotidianas culpas ac maturè satisfaciendi, ne post expiatorijs ignibus sint eluendæ; denique spes sempiternæ mercedis & pro meritis auctæ gloriæ cœlestis exspectatio. Hęc continentiæ tuendæ & excolendę fundamenta penitus diruit Caluini & Lutheri secta. Tollit in primis timorem Dei, & inani conceptâ fiducia sic extollit misericordiam: si tamen id extollere est & non deijcere & deturbare, vt iustitiam planè negligat & contemnat, gehennæque metum, quo à peccatis absterremur peccati condemnet, hypocritas & peiores nos reddere asseueret; à Deo nihil metuendum, qui non secus atque homines fatali necessitati subiaceat, nec aliquid omnino queat aliud agere, quã quod agit, imò quæ horribilior lõgè est blasphemia, auctor sit & impulsor omnium scelerum ac flagitiorum, quod perinde est, ac si Deum neget: non enim nisi bonus potest esse Deus, vt primum illud assequatur Epicuri præceptum sublata omni, non, vt aiebat ille, superstitione, sed religione Deum nihil esse timendum. Deinde cum liberum arbitrium homini detrahit, præstantiam eius naturæ rationalis ac dignitatem euertit ad brutarumque animantium vilem sortem ac conditionem abijcit, vt idem sit hominum ac pecudum extremus finis, eadem summa fælicitas & beatitudo, corporis voluptas. De animorum immortalitate & altera vita quam nihil diuersum ab Epicuro sentiant, post videbimus. Iam cum sola fide iustitiam & salutem constare volunt, nihilque præterea requirendum tradunt, an non omnibus vitijs aditum patefaciunt, & pro libitu vitę traducendę in omni voluptate ex peccato sine conscientiæ vllo remorsu licentiam omnem indulgent? An non illa est, quam adeò deprędicant ac celebrant,

:elebrant, libertas Euangelica, libertas concupiſcentiæ, liber-
as carnis ac corruptæ naturæ pro libitu arbitrio & viuẽdi, &
juiduis agendi poteſtas, dummodò conceptam fidem mente
etineas, & ſaluum te fore CHRISTO indulgente præſu-
nas? Quare & omnium ſe legum diuinarum & humanarum
iexu atque obligatione ſolutos eſſe volunt, id præcipuum
nter legem Moſaicam & Euangelium eſſe diſcrimen, quod
Moſaica lex obligationem inducat, & neceſſitatem bonorum
operum, à qua nos eximat Euangelium, præter gratiæ pro-
niſſiones ampliſſimas nihil continens. O ſuaue quintum Euã-
gelium Epicureum, ſi otioſis nihil rectè agentibus imò per-
ieram omnia agentibus in omnium ſcelerum ac flagitiorum
icentiâ vitam agentibus, ſolâ fide CHRISTI Domini, gra-
ia, iuſtitiaque obueniat, adempto omni eius amittendæ me-
u. Valde illis vilis eſt CHRISTI gratia quæ ſic otiantibus
c oſcitantibus imputatur: quid quod deperditum primi pa-
entis peccato liberum arbitrium, CHRISTI copiosâ hac
ratiâ non reſtituitur nec inſtauratur? Quid quod concu-
iſcentia perſeuerat, ipſa peccatum naturæ cætera omnia de-
rauans atque inficiens ſuâ labe virtutum officia atque opera
ietatis, ita vt sint omnia grauia lethaliaque peccata, quamquam
um hæc loquuntur, pugnantia inter ſe loquuntur: quò perti-
ent & illa Epicurea paradoxa ex illo primario dogmate ſo-
us fidei iuſtificantis enata, vnumquemque fidelium de ſuâ
lute certum eſſe debere, nec poſſe ambigere de remiſſione
eccatorum, de ſuâ perſeuerantiâ prædeſtinatione, & electio-
e; fidem & iuſtitiam ſemel habitam amitti non poſſe, pares
mnes fideles exiſtere in gratiâ & iuſtitia hac imputatiua, tum
c futuros in gloria illi reſponſura, quo dogmate cum Iouini-
iano conſpirant & ex Epicureis transformantur in Stoicos.
Quid item illa æquè ac magis abſona? legem Decalogi mora-
:m nihil ad homines Chriſtianos pertinere, nemini non im-
oſſibilem eſſe obſeruatu, omnia iuſtorum opera peccata eſſe
:thifera, ſed iuſtis & electis non imputari per CHRISTVM,

vt augendis quoque peccatis sua CHRISTVS imputatione famuletur. Nulla esse bona opera, quæ nos iustificent, Deoque gratos & acceptos reddant, nulla vitæ ęternę meritoria, ad salutem illa magis obesse quam prodesse: hæc aliaque principia huic vtrique sectæ communia, quò pertinent, nisi ad timorem Dei sanctum penitus exstinguendum, ad libertatem carnis omniumque flagitiorum licentiam inducendam, ad intemperantię & incontinentię regnum stabiliendum? Iam quod pœnitentię tum virtutem tum sacramentum planè reijciant, negentque secundam vllam post naufragium tabulam, quod omnia non modò merita sed & satisfactiones è medio tollant, quod penitus Purgatorium abrogent, & pro defunctis animabus precum suffragia superstitionis stultæ & anilis condemnent, vixque patiantur alterius vitæ mentionem fieri, an non ad eandem Epicuri sectam referuntur? Sanè quod cultum omnem & inuocationem sanctorum in cęlis regnantium abrogent, quod eorum sacras reliquias vt nullâ veneratione dignas despectui habeant, quod peregrinationes ad loca sacra superstitionis quoque condemnent, an non eodem pertinet, vt alteram vitam felicitatemque abnegemus, & de corporum futurâ resurrectione per CHRISTVM ambigamus? Mitto dicere, quâ contentione ciborum omnem delectum, Ecclesiasticorum ieiuniorum obligationem impugnēt, quam malè habeant cilicia, disciplinas, & omnem corporis castigandi rationem, omnem victus & vestitus austeritatem; quā de Sacramenti sanctitate matrimonij & illud vnitate & indissolubilitate malè sentiant, velint esse officium naturæ dumtaxat non Sacramentum, vt illud æquent virginitati, cum pridem damnatò Iouiniano, vt vota monastica omnia & præcipuè castitatis condemnent, quibus de rebus lib. 2. & 3. disseretur, hîc priora dumtaxat capita prosequemur & de nouissimis inferno & regno cælesti quid Epicurei recentes doceant explicabimus. Mitto item dicere de sacrosanctę Eucharistiæ vsu frequentiore, pietate aduersus Diuam Matrem, Sanctos

Sanctos Angelos tutelares & patronos, quę sunt ad continentiam tuendam certissima præsidia, quæ omnia repudiant ac cum magno fastidio superstitiosi condemnant erroris. Generatim id dicam, qui studium virtutis aut opus aliquod suscipiendum persuadere volunt, id comprimis honestum vtile, ac iucundum, nec difficile admodum factu demonstrare solent, vt ipsa virtutis atque operis facilitas, iucunditas, vtilitas, atque honestas alliciat, totidemque velut stimulis atque aculeis quot exponuntur rationes boni, propellatur animus ad id aggrediendum. At qui dehortari volunt, & deterrere ab eo opere suscipiendo, demonstrant illud admodum factu difficile, ac propemodum impossibile, tum si fiat, tamen inutile & iniucundum, nec pręstantiam vllam aut honestatem in eo reperiri; vt nulla sit ratio boni, nec honesti, nec iucundi, nec vtilis, quæ ad illud inuitet, ipsa autem difficultas atque impossibilitas deterreat. Orthodoxi, qui Continentiam vt præstantem & eximiam virtutem venerantur, eamque vehementer commendant ac cuique pro gradu & ordine suæ conditionis, persuadere volunt omnes in eâ rationes boni, honesti, commodi, iucundi conuenisse demonstrant, nec non ope diuinæ gratię facilem, tantum abest vt impossibilis censenda sit. At Lutherani & Caluiniani militantes Epicuro, non CHRISTO, negant continentiam esse possibilem aut suscipiendam, nisi cui reuelatione constiterit id sibi donum cælitus indultum; negant in eâ vllam meriti vtilitatem, vllam honestatem reperiri, tyrannicas Ecclesiæ leges, quæ eam pręscribunt, appellant, nullam continentiæ ac pœnitentiæ studijs mercedem à Deo rependi vti nec cæteris virtutum officijs, absque discrimine omnia opera nostra peccata esse lethalia, licet à Deo iustis illa non imputentur, quę sunt planè pugnantia, non Stoica sed Epicurea paradoxa.

CAPVT V.

De timore Dei, quem vtraque Caluini & Lutheri secta conuellit.

Ps 110 v.10. NITIVM *sapientiæ timor Domini*, canit Rex Dauid; neque modò sapientiæ, consummatæ charitatisquę Deum cum sensu ac gustu contemplatur, verum & continentiæ & pœnitentiæ & omnis omnino vitæ in melius commutandæ, charitatis inchoatæ quæ sibi gratiam Dei conciliare studet, initiũ est timor Domini. Ex parte quidem intellectus initium ac fundamentum est fides sine quâ impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit operum bonorum, idemque vindex malorum, humanarum actionum omnium, æquissimus iudex, cuius ex præscripto & sub cuius oculis vita nobis honestè traducenda est. Ex parte verò voluntatis, antequam Dei succendatur amore procedat oportet salutaris timor quo concutiatur, & à perperam acta vita reuocetur, ac primum diuini numinis potestatem, æquitatem ac seueritatem reuereatur, tum ad eius bonitatem, clementiam ac misericordiam confugiat; ita definit Tridentinum, peccatores à iustitiæ diuinæ timore quo vtiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem erigi. Prima igitur se offert iustitia, quæ timorem excitet, tum misericordia quæ spem & charitatem succendat, insequitur. Qui timorem omnem Dei repudiant, haud obscurè se condemnant Atheismi, neque se rectam de Deo supremo rerum omnium Do-

Hebr. 11. v.6.

Sessio. 6 c.6.

mino

mino, moderatore & iudice actionum humanarum, fidem animo concepisse demonstrant, cuiusmodi impios Lutheri & Caluini discipulos damnat eadem Synodus Trid. si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

Nihil mirum, si timorem hunc salutarem peccatum dicant; qui omnia quamuis laudatissima proborum hominum opera censeant esse peccata lethalia; aut timorem illum hypocriseos damnent, qui seruilem conditionem de quâ mox, ab eo non seiungant: nihil laborant de gratia & amicitiâ Dei aut parandâ, aut tuendâ, de quâ speciali fide sua sunt certissimi, & à quâ non possunt excidere, nullam culpam reformidant quæ tametsi grauissima, illis CHRISTI merito non imputatur, quibus exploratissima sua est prædestinatio & electio. Ita stultissimis erroribus conscientiam suam exstingunt & omnem Dei metum profligant. Alia mens erat Sancti Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi, quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Alia mens pœnitentiũ quos ipse CHRISTVS dilaudat Niniuitarum, ne plura congeram exempla, qui timore hoc vtiliter concussi ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt. Plenæ sunt eiusmodi testimoniorum, quę timorem hunc salutarem eximiè commendant sacræ scripturæ, pleni SS. Patrum libri eius generis sententiarum & authoritatum. Timor pœnarum, inquit, S. August. etsi nondum habet delectationem iustitię, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem. Item; timor magnum est præsidium procedentibus ad salutem. Iterum; pręmissus timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum & parat charitati locum, & in Psal. 127. Cum per timorem continent se à peccatis fit consuetudo iustitię, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus,

Iob. 9. 28
Iob. 31. 14. 23.
Trid. sess. 14. c. 4.
Matt. 10. 28.
Luc. 12. 46. 47.
Marci 9. 42. 43
In Ps. 5.
ep. 120. ad Honorat.

& incipit homo iustè viuere, quod qui fiat, à timore gradu facto ad amorem, eumque inchoatum primum & imperfectum, tum ad eundem perfectum super res omnes Deum beneuolentia prosequentem explicat Synodus Tridentina. Homini in peccatis concepto, nato & enutrito, quem sua pungit conscientia procliuius est & congruentius ex diuina iustitia metum concipere quam ex clementia & bonitate spem charitatemque excitare. Meminerit se antea oportet seruum inutilem, infidelem, ingratum, multis obnoxium culpis, & iustissimam Domini sui reformidet iram, apud quem nullum est impunitum scelus, quam ad amici, filijque gradum & amantissimi Patris beneuolentiam multis virtutum officijs conciliandam adspiret. Anteà peccator iratum sibi Deum metuat necesse est, quam reconciliatum CHRISTI merito speret, & amet eâ præsertim charitate, quæ culpam omnem excludat. Apostoli exemplo, cuius tam mirabilis conuersio fuit, de quo Actorum 9. timens & stupens &c. Confirmat S. August. neminem adultum iustificari, nisi præuio eiusmodi timore, quem & alibi ex consideratione seueritatis Dei venientem ad ędificandam charitatem adducentem, saluberrimum appellat. D. Basilius vocat eundem timorem, introductorium ad pietatem condiscendam & pœdagogam ad exercendam pietatem; quâ formula loquendi S. Thomas, præcepta, quæ ad spem & timorem pertinent vocat introductoria, nimirum ad charitatem quæ vinculum est perfectionis, animæ vita & quædam pręsens inchoata beatitudo. Solet veteri testamento, timor, vt propria nota ac tessera seruorum; nouo autem, vt per CHRISTI gratiam amicorum & filiorum, amor assignari; quod pro diuerso vtriusque statu, in illo timor emineret, in hoc amor excellat; vt tamen veteribus iustis non defuit amor, ita nec ab Euangelij cultoribus timor omnis abesse debet; Cum reipsa timor Dei sit amor quidam inchoatus, ex timore certè & amore constet ille supremus actus reuerentiæ quo Deum prosequimur, eundem & Domi-

Sess. 6 c.

Ep. 50. ad Bonif.

Lib. de cathec. rudibus.

In Psal. 32.

In Isai. 1.

Dominum & Patrem aduersus quem & serui fidelis & amantis filij animum induere nos oportet, Atque vt hæc pleniùs explicentur, solet distingui triplex timor, seruilis, filialis, initialis medius inter vtrumque. Seruilis est pœnę, filialis culpę, medius tum culpæ, tum pœnæ; seruorum est timere pœnam & vindictam, filiorum Patris offensam & culpam. Verum serui non omnes sunt seruili semper ingenio, qui non nisi metu pœnæ adducantur; sunt & ingenui quidam & liberales. Primus itaque timor spectari potest merè seruilis adiunctâ quam vocant seruilitate seu praua animi dispositione, qua non est officium præstaturus nisi cogente pœna; nisi vrgeret pœna placeret culpa. Alter est, cum perseuerat idem gehennæ & pœnæ timor, sed sine ea sinistra mentis affectione, quę non natura sua, sed ex accidenti dumtaxat illi adiungitur, cum ipsa quoque culpa displicet, sed imperfectè. Tertius cum accedente charitate formatur & euadit ingenuus, filialis, tum præcipuè respicit offensam & culpam, & pœnam ex eâ parte dumtaxat, quâ nos à Deo seiungit gratiaque eius & amicitia priuat. Hoc videtur interesse inter primum & tertium timorem, quod tametsi dicatur vterque timor esse culpæ & pœnæ, primus referat culpam ad pœnam, illam minimè vitaturus nisi hæc immineret. At tertius refert pœnam ad culpam, cui cohęret, quod catenus pœnam reformidet, quatenus ex culpâ consequitur, à Deoque nos separat, ac quemadmodum omni laude dignum est pœnam timere vt appendicem culpæ ex ea natam & consequentem, ita prauum est & vituperabile culpam ad pœnam referre, nō timore culpam nisi ratione pœnæ quemadmodum si corpus referas ad vmbram; quæ seruilis conditio non reperitur in secundo timore medio seu initiali, qui simul & pœnæ & culpæ timor est; quare cum virtutis & iustitiæ coniunctus amore certè imperfecto & inchoato, quo nomine subinde D. August. charitatem appellat, nimirum charitatem censens quemcumque honesti & virtutis amorem. Quartus attendi potest summus gradus timoris, qui in alterâ vita

vita futurus est, cum erunt beati certi quidem & securi se numquam peccaturos, nec à Deo seiungendos, sancto tamen timore commouebuntur ex consideratione supremæ maiestatis, authoritatis, potentię, iustitiæ, seueritatis in delinquentes, de quo Sanctus August. interpretatur versiculum
14. Ciuit. c. 9 Psal. 18. *Timor Domini sanctus*, iuxta 70. *castus, permanens in sæculum sæculi*, etsi non definiat an sit perseueraturus quoad substantiam & hunc actum, an quoad fructum & effectum; quomodo dictum est, *Patientia pauperum non peribit in finem*;
Ps. 9. v. 19. Aliàs tamen iudicat perseueraturum etiam quoad actum.
Ep. 120. ad Hono. serm. 14. de temp. Et in Psal. 18. 1. Conf. 12. De primo timore qui vitiatur adiecta seruili conditione intelligendæ sunt eiusdem S. August. & Prosperi sententiæ ab aduersarijs allegatæ; vt illa, nemo inuitus benè facit, etiamsi bonum est quod facit, & illa Prosperi, eam Deus innocentiam probat, quâ homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimùm nocet, & abstinens ab iniquo opere solâ tamen reus est voluntate. Nimirum ob prauam illam mentis dispositionem, qua per se culpa placet, & iuxta quam dicitur inuitus rectè facere, hanc si detrahas nihil est in timore pœnæ & diuinæ iustitiæ, quod vlli culpę sit affine, aut quod nos hypocritas aut peccatores efficiat: Id enim honestum est timere pœnam & diuinam iustitiam, timere Deum æquissimum iudicem & seuerum vindicem prauorum operum, hoc metu adduci ad officium præstandum, & diuinę legis obedientiam, laude dignum est, etsi maior sit laus & charitate permoueri & spiritu filiorum incitari. Quemadmodum fides & spes inter eximia Dei dona recensentur, non tamen vtraque semper est formata & animata charitate, sed potest esse mortua & informis duplici ratione, si ita loqui licet tum negatiuè tum positiuè; vtraque spectari potest & præcisè vt à charitate seiuncta, & vt adiunctam habet culpam lethalem charitati repugnantem, ita timor seruilis ob adiunctam prauam mentis dispositionem, quæ seruilitas dici-

tur,

tur, est informis positiuè, at si illam detrahas est informis adhuc negatiuè, sed proxima dispositione ad eam excipiendam comparatus, ex eaque proximè fit gradus ad perfectam charitatem. Quemadmodum non sola ratio boni sese nobis offert quâ alliciamur, verum & multiplex ratio mali quâ deterreamur; ita non sola spes calcar adijcere debet, verum & timor suum adijcere stimulum atque aculeum; non solum Redemptor nobis inspiciendus, qui spem excitet, verùm & æquissimus iudex qui iustum incutiat. metum Ex consideratione prioris aduentus Saluatoris, quo nobis exhibita est salus & redemptio solet spes excitari & confidentia de CHRISTI Domini meritis & pretio redemptionis exsoluto: At timor concitandus est ex secundi aduentus ad iudicium commentatione, quo tot CHRISTI donorum ac gratiarum rationes exactissimę reposcentur, cum suum obtinebit diuina iustitia locum & ordinem, quò pertinet præclara illa S. August. sententia, irremediabile periculum est, sic aliquem vitijs & cupiditatibus fręna laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum; Puto quia magna iam sit pœna peccati, metum & memoriam futuri perdidisse iudicij. Hac pœnâ plectuntur hæretici Epicurei, qui synderesim & conscientiam inani confidentia præfocare atque exstinguere moliuntur. Serm. 120. de temp.

D CAPVT





CAPVT VI.

Deum non esse metuendum ex Caluini & Lutheri doctrina, sed execrandum vt scelerum omnium & flagitiorum authorem.



HOC suis persuasum cupiebat Epicurus, Deum nihil timerent, vt nihil agentem, nullis implicitum curis, nulla opera molientem, qui nec ira nec gratiâ tangeretur, nec ipse quidquam haberet negotij, nec exhiberet alteri, ne quid eius beatitudinem interturbaret. At longiùs in impietate progressus Caluinus, Deo non voluntatem modò, verùm & potestatem benefaciendi aut nocendi ademit, detractâ illi omnipotentia, & arbitrij libertate, fatalique inducta necessitate, qua non possit facere quidpiam, quod non facit; aut non facere, quod facit. Verba Caluini fallaciæ & blasphemiæ plena hæc sunt; sanè omnipotentiam sibi vindicat & deferri à nobis vult Deus, non qualem sophistę fingunt inanem, otiosam & ferè sopitam, sed vigilem, efficacem, operosam, & quæ in continuo actu versetur (nimirum quę non possit non facere quæ facit) ideò censetur omnipotens, non quod possit quidem facere, cesset autem &c. Item, potentia Dei absoluta commentum est sicut prophanum, ita meritò detestabile. Beza par magistro discipulus Deum nihil timendum confirmat, nec liberum, inquit, est illi, semel datam fidem & gratiam tollere, nec inferni cruciatibus addictum liberare, nec beatum æternis distorquere supplicijs. Nec credenda, nec vniuersaliter recipienda

1. Insti. c. 16. § 3.

cipienda illa Gabrielis Archangeli propositio, non est impossibile apud Deum omne verbum. Archangelum ergo mendacij coarguit Beza, & expressum Dei verbum ex quo illa petita responsio. His blasphemijs quis comparari possit error Epicuri? Aut quibus omnino fundamentis firmiùs stabiliri certiusque propagari? si Deus omnipotens non est, sui compos, sui liber arbitrij non est, si fatali subiectus necessitati nihil mortalibus detrimenti, nihil emolumenti potest afferre? Non Epicureus sed plusquam Stoicus truncus Deus. Sed alię sunt horribiliores blasphemiæ, quibus non modo, non timendum, sed execrandum Deum vt scelerum omnium authorem faciunt hæretici diabolico planè spiritu concitati. Aque vt Beati Deum in cœlis omnis bonitatis originem, puritatis & sanctitatis pelagus immēsum, inexhaustum, vndequaque infinitum, agnoscunt, diuinumque eius numen continuis laudibus celebrant, ita qui Beatos imitandi studio tenentur Orthodoxi, omne bonum ab illo dimanans Oceano bonorum agnoscunt. & quâ par est cum animi gratitudine deprędicant, sibique non illi imputant quidquid est mali. At Cacodæmones & damnati in inferno Deum blasphemant, illique si possint, omne malum & culpę & pœnæ velint adscribere, eodemque spiritu tartareo ad hasce blasphemias, quibus author peccati Deus dicitur, exstimulantur hæretici. Neque illis vllum est discrimen honesta inter & praua opera virtutum & vitiorum, sed æquè à Deo sunt decreta, volita, & effecta, vtrorumque, peccatorum æquè ac pietatis operū par est Dei voluntas prędifiniens, decernens, par & operatio exequens. Sed pauca de multis Caluini verba proferamus. Quidquid agitent homines & sathan, ipse Deus tamen clauum tenet, tergiuersando effingunt Papistæ Dei tantum permissu, non etiam voluntate hæc fieri, ipse verò palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat: nihil clarius, quam vbi toties pronuntiat se excęcare mentes, incutere amentiam, obdurare corda, quæ omnia friuoli quidam de permissione interpretantur, ipse

Luc. 1. v. 37.

1. Insti. 18. §. 1.



CAPVT VI.

Deum non esse metuendum ex Caluini & Lutheri doctrina, sed execrandum vt scelerum omnium & flagitiorum authorem.



HOC suis persuasum cupiebat Epicurus, Deum nihil timerent, vt nihil agentem, nullis implicitum curis, nulla opera molientem, qui nec ira nec gratiâ tangeretur, nec ipse quidquam haberet negotij, nec exhiberet alteri, ne quid eius beatitudinem interturbaret. At longiùs in impietate progressus Caluinus, Deo non voluntatem modò, verùm & potestatem benefaciendi aut nocendi ademit, detractâ illi omnipotentia, & arbitrij libertate, fatalique inducta necessitate, qua non possit facere quidpiam, quod non facit; aut non facere, quod facit. Verba Caluini fallaciæ & blasphemiæ plena hæc

1. Insti. c. 16. § 3. sunt; sanè omnipotentiam sibi vindicat & deferri à nobis vult Deus, non qualem sophistę fingunt inanem, otiosam & ferè sopitam, sed vigilem, efficacem, operosam, & quæ in continuo actu versetur (nimirum quę non possit non facere quæ facit) ideò censetur omnipotens, non quod possit quidem facere, cesset autem &c. Item, potentia Dei absoluta commentum est sicut prophanum, ita meritò detestabile. Beza par magistro discipulus Deum nihil timendum confirmat, nec liberum, inquit, est illi, semel datam fidem & gratiam tollere, nec inferni cruciatibus addictum liberare, nec beatum æternis distorquere supplicijs. Nec credenda, nec vniuersaliter recipienda.

cipienda illa Gabrielis Archangeli propositio, non est impos- *Luc. 1. v. 37.*
sibile apud Deum omne verbum. Archangelum ergo menda-
cij coarguit Beza, & expressum Dei verbum ex quo illa peti-
ta responsio. His blasphemijs quis comparari possit error Epi-
curi? Aut quibus omnino fundamentis firmiùs stabiliri cer-
tiusque propagari? si Deus omnipotens non est, sui compos,
sui liber arbitrij non est, si fatali subiectus necessitati nihil
mortalibus detrimenti, nihil emolumenti potest afferre? Non
Epicureus sed plusquam Stoicus truncus Deus. Sed alię sunt
horribiliores blasphemiæ, quibus non modo, non timendum,
sed execrandum Deum vt scelerum omnium authorem fa-
ciunt hæretici diabolico planè spiritu concitati. Aque vt Bea-
ti Deum in cœlis omnis bonitatis originem, puritatis & sancti-
tatis pelagus immēsum, inexhaustum, vndequaque infinitum,
agnoscunt, diuinumque eius numen continuis laudibus cele-
brant, ita qui Beatos imitandi studio tenentur Orthodoxi,
omne bonum ab illo dimanans Oceano bonorum agnoscunt.
& quâ par est cum animi gratitudine deprędicant, sibique
non illi imputant quidquid est mali. At Cacodæmones &
damnati in inferno Deum blasphemant, illique si possint, om-
ne malum & culpę & pœnæ velint adscribere, eodemque spi-
ritu tartareo ad hasce blasphemias, quibus author peccati
Deus dicitur, exstimulantur hæretici. Neque illis vllum est
discrimen honesta inter & praua opera virtutum & vitiorum,
sed æquè à Deo sunt decreta, volita, & effecta, vtrorum-
que, peccatorum æquè ac pietatis operū par est Dei voluntas
prędifiniens, decernens, par & operatio exequens. Sed pau-
ca de multis Caluini verba proferamus. Quidquid agitent *1. Insti.*
homines & sathan, ipse Deus tamen clauum tenet, tergiuer- *18. §. 1.*
sando effingunt Papistæ Dei tantum permissu, non etiam vo-
luntate hæc fieri, ipse verò palam se facere pronuntians, effu-
gium illud repudiat; nihil clarius, quam vbi toties pronun-
tiat se excęcare mentes, incutere amentiam, obdurare corda,
quæ omnia friuoli quidam de permissione interpretantur, ipse

enim dat homines in reprobum sensum & proijcit in fœdas cupiditates, quia iustæ suę vindictæ præcipuus est author. Sathan tantum est minister, Deus autem hominum malorum & consilia destinat, & voluntates excitat, & conatus firmat.
C. 1 In stit. c. 8 §. 2. c. 3 12. § 21. c. 2. § 1 § . 46. Dei voluntas sic est rerum omnium causa, vt non solùm electos spiritu suo regat, etiam reprobos in obsequium cogat, & dicente Apostolo, Deus excitauit Pharaonem vt ostenderet potentiam suam, sequitur, absconditum Dei consilium esse causam indurationis. De ruina Angelorum de lapsu primorum parentum non aliam quærendam causam, quam vnam Dei voluntatem, & post multa generis eiusdem non dubitabo igitur cum August. simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum, quod ille voluerit, sicut necessario futura sunt quę præuiderit. Aduersus Albertum Pichium, perspicuum est non minus interiores affectus regere Deum quam externis actionibus interesse, neque Deus, quæ decreuit, hominis manu perficeret, nisi in eorum cordibus operaretur ipsum velle, quod operis effectum præcedit sicque opus suum in reprobis adimplet, vt videas efficaciam agendi penes ipsum fuisse, illis ministerium dumtaxat prębuisse. Satis hoc est blasphemiarum, quas charta & calamus exhorrescunt: vnde verò has Caluinus hausit nisi è puteo infernalis abyssi, aut quo præceptore didicit nisi Cacodæmone, aut eius hypodidascalo Luthero, qui primitus cum modio salis ab illo conuiua suo tartareo didicerat: nam in eodem errore blasphemo fuisse Lutherum constat ex assertione, articuli 36. quo negat liberum arbitrium: nulli, inquit, in manu sua est positum cogitare quidpiam boni vel mali, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit & facit ipse, quod & Poëta dixit, *certâ stant omnia lege*, (præclara scilicet impij Manlij authoritate probans fatalem necessitatem) exciderat illi vox, permittit, ex Christiano sensu, sed mox correxit, & ipse facit. Quomodo potest homo ad bonum se præparare, cum in potestate suâ non

non habeat vias suas malas facere, nam & mala opera in impijs operatur Deus, si hic author fuit proditionis Iudæ, adulterij Dauidis, sęuitiæ Manlij &c.? Quis Blasphemijs istis assentiatur & non continuò Deum execretur velut authorem omnis malitię, & reipsa non pernegет ipsum Deum? Nihil enim magis aduersum esse potest summæ atque infinitæ Dei bonitati & puritati, quam summa hęc peccati malitia ac fœditas, cui quisquis Deum affinem facit, Deum pernegat. An non ex Caluini, Lutheríque mente Deus iniquus, iniustus, simulator, tyrannus, carnifex & vindex eorum scelerum, quorum & ipse author, & impulsor & effector esse conuincitur? An non quod Caluinus obiecit libertinis, rectiùs in Lutherum Caluinumque regeratur? Qui Deum faciunt scelerum & flagitiorum authorem, Deum transformant in diabolum? An non Caluinus Deum transformat in diabolum qui blasphemiam hanc tot locis, tot argumentis confirmat à sacrâ scriptura, & velut insigni parta victoria aduersus Papistas secus opinantes magnificè gloriatur, iam satis apertè ostendi Deum vocari eorum omnium authorem, quæ isti censores volunt otioso eius tantum permissu contingere, quod si Absolonis incesto coitu patris thorum polluentis detestabile scelus Deus esse opus suum pronuntiat, an non pari modo homicidia, adulteria, rapinæ, cędes, aliaque scelera nefanda Dei erunt opera? Diabolum definiunt esse personam exercentem spiritualem sæuitiam in genus humanum, incitantem, impellentem hos ad hęc, illos ad alia scelera & flagitia; An non conuenit apprimè Deo hæc definitio ex Caluini, Lutherique sententia, cum ad peccata Deus homines permoueat, impellat, incitet, adigat, & necessitatem adferat, est ergo Deus Caluino Lutheroque diabolus & peior diabolo; Nam hic afferre peccandi necessitatem nulli homini potest, at Caluini sensu, Deus reprobos in obsequium cogit, Deus impellit, Deus armat diabolum in nos, dæmon tantùm est minister Dei & instrumentum, eius impulsu suas partes agit,

In c. 1. ep. Rom.

eius mandato imposturis suis reprobos illaqueat. Quod si Deus humanæ voluntati vim & necessitatem adferat, quis à sceleribus & flagitijs sese cohibeat, quis non in ea toto feratur impetu? Si apud comicum inspecta Danaes tabula iuuenis ille se ad flagitium incitabat, quid non facit in Caluini disciplina, qui sibi persuaserit ad ipsum scelus se à Deo permoueri? Habet D. Basilius homiliam insignem, quod Deus non sit author malorum, & inter alia, stultus verè & à sensu alienus est, qui dixerit non est Deus. Similis autem huic est nec quidquam à stulto differt, qui Deum malorum causam esse dicit, parque priori scelus existimauerim, quoniam ambo bonum Deum similiter negant, alter quidem non esse omninò dicit, alter verò non bonum esse affirmat, si enim malorum causa est, non bonus est. Eusebius in eandem sententiã: Impius profectò iudicabitur, imò verò omnium pessimus, qui à creatore vniuersi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur, vnde sequitur aut peccata non esse, aut peccati causam in creatorem referri, vtrumque sequitur, ex vno impossibili plura impossibilia, hominem non peccare, carere libero arbitrio, nihil distare à pecoribus, nullam iustę mercedis aut pœnæ rationem habendam, Deum non esse, si nec bonus est, nec iustus; in quam sententiam Tertullianus, qui Deum bonum esse diffitentur, Deum esse numquã fatentur: nam repugnat Deum esse, & authorem peccati; hæc sibi & terminis ipsis aduersantur & sese directâ fronte conuellunt. D. Aug. Hoc firmiter & fideliter tenete, hoc certissimè hoc definitissimè credite, hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet tenere, peccata non diuina potentia, sed patientia, non operatione & impulsu, sed indulgentia & remissione generari. Quam falsò Caluinus huius eximij Doctoris alleget authoritatem, ex eius vno libro responsionum ad obiectiones Vincentianas apertissimè deducitur, verum id modò non agimus.

c

De præp. Euang. l. 6. c. 1.

To. 10. serm 88 in Ioannem 33.

Hasce blasphemias ipsi quoque Philosophi Gentiles redarguunt,

guunt. Plato, modis omnibus pugnandum est, ne Deus dicatur malorum causa, nec qui iustis legibus victurus est verba hæc dicat in suâ ciuitate, nec alium loquentem audiat; est enim & probitatis, & vitę communis, & legum, & ciuitatum extrema corruptio. Plutarchus de serâ numinis vindicta, homines præstantes & purè de Deo sentientes hoc credunt illum esse bonorum omnium Principem, omnium rerum pulchrarum parentem nec fas eum aut agere aut pati mali quidquam, vt enim caloris non est refrigerare, sed calefacere, ita boni quoque non est nocere. Deus tyrannos non facit, nec eis crudelitatem implantat, sed illis tanquam carnificibus vtitur ad sumendas de alijs malis pœnas. Hæc Plutarchus longè Epicureis palmam impietatis pręripere hęreticos nostros clarè confirmans, quod ipsum aliquot sequentia capita demonstrabunt. Rep. 2. de



CAPVT VII.

Demonstratur Caluinus parens & author libertinorum, & quam insulsè Catholicis Deum Epicuri affingat.



SCRIPSIT aduersus libertinos Caluinus instructionem, sed cum illorum ille sator & progenitor exstiterit, hoc peruerso & blasphemo dogmatę, quo Deum statuit authorem omnis mali & peccati, planè censendus est aduersus semetipsum dixisse testimonium, & semet huius erroris execrandi suomet ore condemnasse. Enumerat ipse quinque consectaria, ex hoc

hoc vno deducta principio, quæ sunt inter se connexa ac religata. Primum est, solum Dei spiritum efficere omnia, & quidquid in mundo fit, opus ipsius directè censendum esse. 2. Nullum homini tribuendum libertatis arbitrium non secus ac si lapis esset. 3, Nihil eorum iudicio perperam fieri, quorum Deus sit author. 4. Imputandum Deo peccatum aut nullum esse in mundo peccatum, cum omnia sint opera Dei. 5. Licere hominibus quidquid in mentem venerit, velut laxatis cupiditatum habenis peragere, non solum quia simus extra periculum peccandi, sed etiam quia desiderium aliquod cohibere, sit impedire Deum. Ita scortationes, adulteria, furta, rapinæ, cædes Deo probabuntur, cuius sunt opera: neque curandum est vt rapta restituantur; neque enim conueniens est, vt corrigatur Deus. Denique ne in singulis immorer; Quidquid vnquam gestum est, vel ab adulteris impurè, vel à prædonibus iniustè, vel à tyrannis immaniter, vel à Iudæis & Gentilibus flagitiosè & idololatricè vel ab ipsis damnatis spiritibus diabolicè, omnia sunt probanda, quia omnia sunt potiùs Dei, quam hominum aut dęmonum opera. Mirabilis effectorum impietatis series, & plena blasphemiæ consectaria, quæ totidem propè verbis ex Caluini libris Institutionum expressa deducuntur, quæ tamen ita inter se religata

Lib 2. Inst. c. 3. §. 6. cohærent, vt ex vno cætera consequantur. Primum, quod est cæterorum caput & origo, traditur à Caluino, nihil peccando homines efficere nisi arcano Dei nutu, nihil nisi arcanâ

Lib. 2. c. 2. §. 1. eius inspiratione, Deum esse qui eorum voluntates incitet, & conatus firmet. Alterum de libero arbitrio mox explicabitur

C. 36. v. 26. & expresse in Ezechiel. vocat cor hominis lapideum, si quæ est in lapide mollities, quæ adminiculo tenerior facta flexum quemlibet recipiat, neque ductile esse cor hominis negabo. Neque vero quidpiam vel minutum liberæ hominis facultati arrogari potest, quin Deo ipsi suus honor pręripiatur. Tertium sæpè repetitur à Caluino, Deum esse authorem omnium etiam peccatorum, quę isti censores volunt otioso tantùm

eius

eius permissu contingere. Quis verò Deum reprehendere audeat & aliquod eius operum perperam fieri? Væ qui contradicit factori suo, testa de Samijs terræ, numquid lutum dicit figulo, quid facis? & opus tuum absque manibus est. Iam quæ sequuntur, vel Deo imputandum esse peccatum, vel nullum omninò esse peccatum, quod Deo instigante suscipitur, quod eodem operante permouente ac adigente perficitur, quod verius, est opus Dei tanquam causę primariæ, quare nihil impediendum, non esse rapinas, scortationes, cædes comprimendas, sed magno potiùs & animo grato persequendas, cum Dei efficaci motu, certa & definitâ Dei voluntate, inspiratione & operatione perpetrentur, hęc prorsus ex eodem principio deduci, quis est vel adeò cæcus vt non videat vel stupidus, & impius, vt ambigat; si sunt à peccato immunes, & laude potius quam vituperatione digni, Abraham dum filium suum Isaac immolare voluit, Hebręi dum Ægyptios spoliarunt in egressu suo, Osee propheta dum filios fornicationis genuit, quia nimirum diuinæ voluntati obtemperarunt, quidni & omnes scortatores, adulteri, raptores fures, homicidæ, flagitiosi non eximantur à peccato, laudemq; mereantur, quod diuino iussui obtemperent, & non frustrà contra nitantur: meritò aduersus Libertinos, sed aduersus se etiam concludit Caluinus, qui Deum mali authorem constituunt, atrociore & sceleratiore contumeliâ Deum afficiunt, quàm si potestatem eius aut iustitiam aliò transferrent, cum Deo nihil sit magis proprium quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret & in diabolum transformari vt malum efficeret, quod ei ab istis tribuitur; Hac suâ Caluinus confessione se damnat erroremque suum profligat. Sanè si Deus author foret peccati, ad illudque homines incitaret & impelleret, instar furiæ cuiusdam infernalis dirissimæ foret, & ex omnium vitiorum colluuione conflatæ, hominum generi maximè infestæ, an quicquam est à Dei infinita bonitate, sanctitate, puritate, ęquitatę, prudentia magis alienum, quàm peccatum

Ezech. 45. 9.

quod ex diametro pugnat cum omnibus eius attributis. Deus iustitia est, peccatum iniustitia; Deus sapientia; peccatum insipientia; Deus bonitas, peccatum malitia; Deus æquitas, peccatum iniquitas; Deus omnipotentia, peccatum imbecillitas; Deus ipse suum esse, peccatum priuatio, nihil & infra nihil. Iam, quæ maximè impudens est calumnia, audet Caluinus Epicuri Deum Catholicis affingere, qui sentiunt homini relictum liberum arbitrium, Deum fingunt in cœlo sedere otiosum. Et Beza pari impudentiâ, si est in Deo simplex tantum peccatorum permissio non est Deus omnipotens, sed Deus Epicuri, otiosus, ignauus, improuidus. Quis Catholicorum negat Deum esse primam causam rerum vniuersalem, omnium effectricem & motricem, à quâ secundæ omnes tum in existendo, tum in operando dependeant: nihil esse nec cogitari posse in rerum natura, nullam esse nec internam, nec externam creaturæ cuiusquam actionem, quæ non sit à Deo; illius effectus, aut influxus, si non tempore est naturâ prior, per quem commodo sensu causæ secundę ad agendum admoueantur & applicentur. Quis nescit Deum operari intellectu & voluntate, nihil absque eius præscientiâ, prouidentia, & voluntate posse euenire, sed hac non semper antecedenter prędefiniente & prædeterminante nonnumquam consequenter decernente & permittente pręuisâ voluntatis humanæ determinatione: neque enim causis liberis necessitatem adferre vult Deus, sed sic administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat, vt pręclarè S.

4. de diui. nomin. 7. de ciuit. 30. Dionys. & August. Corrumpere naturam non est diuinæ prouidentiæ: Eueniunt igitur omnia Deo volente, sed non antecedenter definiente ex absoluto imperio, plurima solo eius permissu contingenter eueniunt. Mala pœnę Catholici docent à Deo decerni, Deum ea velle, at mala culpę permitti dumtaxat, nolle Deum ea impedire, quin à causis liberis fiant, etsi ea non approbet nec decernat. Distinctionem istam rident Caluinus & Beza, quasi Deus foret otiosus, Deus Epcuri, si

peccata

peccata tantum permittat & non efficiat. Traditur ea distinctio à Tertulliano authore vetustissimo, nos autem adhibitâ distinctione vtriusque formæ separatis malis delicti, & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus authorem, malorum quidem peccati & culpæ diabolum, malorum verò supplicij & pœnæ Deum creatorem. Idem aduersus Hermogenem, iam ergo malum ab ipso est, qui est mali, si non author, quia non effector, certè permissor, quia dominator. Ad id quod quærunt, fiatne peccatum Deo volente an nolente, responsum in promptu est, fieri Deo permittente volente non impedire: vult Deus permissionem peccati, non directè effectionem. August. magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret, non vtique nolens sinit sed volens; Permissio, ita loquar, & nolitionem & volitionem includit: nam permittere est nolle vt res fiat & tamen velle non impedire, ne non fiat, vult Deus peccatum ne fiat, sed iterum vult, homo libero suo vtatur arbitrio, sinit volens & nolens, peccatum nolens non impedire. Fatetur Caluinus non agere se, de concursu generali: omitto, hîc, inquit, vniuersalem Dei, vnde creaturæ omnes vt sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt, de illa speciali actione tantum loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet, idem ergo facinus, Deo, homini, sathanæ assignare videas non esse absurdum, proximè supra dixerat; Propriè ergo sathan dicitur agere in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est nequitiæ, exercet: dicitur & Deus suo modo agere, cum sathan ipse, instrumentum cum sit iræ huius, pro eius nutu atque imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia. Quare nullum Caluinus discrimen adfert inter bona & mala opera, quin fiant speciali Dei motione. Quod ipsum Beza aduersus Castalionem, Deus operatur omnia sine vlla boni vel mali, virtutis aut vitij exceptione, alioquin otio-

L.2. contra c.14.

Enchi. c.110.

L.2.c.4.

ſus eſſet Deus ſecundum errorem Epicuri. Vtitur explicandi cauſa ſimilitudine horologij; numquamne, quæſo, horologia contemplatus es, in quibus rota quædam maxima ad dextram vergens cæteras ſecum rapiat, vnas quidem ibidem ad dextram, alteras verò ad ſiniſtram contrario prorſus motu, ſcito hanc veram eſſe diuinæ illius prouidentiæ imaginem. Nempe ex Bezæ ſententiâ neceſſitate voluuntur omnes rotæ & primariæ pari ductu ac motu. Magnum verò Orthodoxi inter opera virtutum & vitiorum diſcrimen ſtatuunt, & illa quidem non poſſe niſi Deo authore ſuſcipi, præſertim opera pietatis ad finem ſupernaturalem ſpectantia, ad quę ſit opus gratia interna præueniente, illuſtratione & inſpiratione diuina, quamquam huic liberè aſſentiatur voluntas humana. At opera vitiorum & peccatorum ex nobis ipſis originem ducunt ex prauæ concupiſcentiæ fomite aut hoſtis maligni ſuggeſtione, quę quidem opera praua, vti iam dixi, à generali Dei pendeant influxu, nec niſi eo permittente, nolente inhibere contingant; non tamen fiunt Deo decernente, aut ſpeciatim præmouente & excitante vt fiunt opera virtutis, quę ad pietatem & ſalutem pertinent. Igitur quoad prauas actiones præferendus ſit Deus Epicuri otioſus Deo Caluini actuoſo, qui ad illas incitet atque impellat, quâ de re gentilis ipſe Plutarchus aduerſus Stoicos; Infinitis partibus tolerabilius eſt imbecillitatem Deo tribuere quod fecit Epicurus, quam nullam eſſe libidinem, nullum ſcelus, quod non ei authori imputandum ſit. Id Caluinus & Lutherus non diſſimulanter agunt. Eſto Deus actiones prauas non approbet nec decernat, nec ſpeciali motione perficiat, tamen eaſdem ad bonum finē ordinat, nec niſi optimis iuſtiſſimiſque de cauſis permittit, vt ex eis maius quoddam bonum diuinæ ſuæ iuſtitiæ congruens eliciat. Quemadmodum otioſus gubernator non eſt, qui procellas & tempeſtates deuitat aduerſiſque ventis inflectit in portum, qui in Republicâ minora quædam mala & incommoda permittit, vt grauiora euitet, qui delicta pœnis coercet:

Aduerſus Stoicos.

Ita

Ita Deus otiosus non est, qui peccata permittit & in ęquissimos fines dirigit, ac debitis supplicijs malefactores afficit ad proborum exempla diuinęque iustitię laudem & gloriam.



CAPVT VIII.

Lutheri & Caluini sectatores diuinorum fidei mysteriorum illusores atque irrisores existere, verè Atheos, Epicureos.



T veritas semper sibi constat, eadem vna & simplex & sincera, sic falsitas & hæresis omnium falsitatum deterrima semper varia est, incerta, secum ipsa pugnans, seipsam perimens; cumque eius primi satores hęresiarchæ nihil magis propositum habeant, quam incautos fallere, mirum est, quibus artificijs, dolis, & fallacijs suos errores contegere studeant, sub ipso interdum pallio veritatis Orthodoxę, sed quam mox deserant atque destituant, ipsos errores propalando ac mordicus tuendo. Rectè dixit ille Lutheranus, Caluinistarum esse proprium sibimet contradicere & eorum libros esse labyrinthos inexplicabiles & farragines contradictionum. A qua tamen culpâ non abest Caluini magister Lutherus, nec sit difficilè in quam plurimis fidei mysterijs demonstrare, quàm variè inconstanter, fallaciter, irrisoriè & Lucianicè ab ijs noui Euangelij doctoribus ea pertractentur; sed ne longiùs abeamus à proposito, blasphemo dogmate, Deum esse authorem peccati quod velut execrandum dogma sępissimè ab sese remouent & calum- *In Theolo. Calui.*

niatores ac sycophantas vocant, qui hoc eis adscribunt, & tamen clarissimè asserunt, & dum varias afferunt exceptiones, magis etiam confirmant, & in eas pedicas, dum se volunt expedire, magis inducunt. Audiamus Caluinum quod Libertini (quorum reipsa Princeps est Caluinus) non tantum cælum cum terra, sed Deum cum diabolo confundunt, inde accidit quod exceptiones duas valdè necessarias non aduertunt. Prior est, sathanam & iniquos non sic esse instrumenta Dei, quin ipsi etiam suas agant partes, neque enim operatur Deus per hominem iniquum, vt per lapidem, vel truncum, sed per creaturam rationis participem secundum naturæ, quam ei dedit, qualitatem. Sic ergo Deus per creaturas operatur, vt etiam impij suâ ex parte operentur, & proinde iustè plectantur ob peccata quæ ipse sua admittunt voluntate. Altera exceptio magnam esse differentiam inter opus Dei & opus Impij, cum eo Deus vice instrumenti vtitur: Impius enim sua auaritia aut ambitione, aut inuidia, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat, ideò ex radice illa, id est ex animi affectione & fine, quem spectat, opus qualitatem sumit, & malum iudicatur. Sed Deus respectum omnino contrarium habet, nempe vt iustitiam suam exerceat. Alibi tertiam adfert exceptionẽ, obijciens sibi, si in homicidijs, in furtis, in adulterijs Dei voluntas intercedat, si Dei voluntati seruiunt huiusmodi homines, quare puniuntur? respondet, sed eos Dei voluntati seruire nego. Paret ille Deo qui de voluntate eius edoctus eò contendit, quò ab ea vocatur: Vnde enim edocemur nisi ex eius verbo? Proinde in rebus agendis ea est nobis perspicienda Dei voluntas, non abscondita, sed patefacta, quam verbo suo declarat. Id requirit vnum Deus à nobis quod nobis præcipit. At nisi vellet non faceremus, fateor, sed an facimus mala in hunc finem vt ei obsequium præstemus? Hæc quarta exceptio nihilò melior prioribus, nam certè exceptiones istæ non alio pertinent, quam ad fallendos & illudendos lectores, & Caluinum

Contra liberti. c. 14.

Ibi. & l. 2. Inst. c. 4. §. 2.

Lib. 1. Inst. ca. 17.

in

in hoc atheiſmo pertinacem ac præfractum eſſe conuincunt. Principio, dum ait homines iniquos eſſe Dei inſtrumenta, & dum peccant Deum per eos operari, vti primariam cauſam mouentem, impellentem. An non id eſt aſſerere Deum eſſe authorem, effectorem, operatorem peccatorum? In omni genere cauſarum ſeu naturalium ſeu moralium prima præcipua & vniuerſalis cauſa ſpectatur, cui tribuatur effectus tanquam efficaciori & potentiori, quæ maximè cauſam inferiorem excitet & ad agendum admoueat. Nihil refert ad rationem inſtrumenti libertate vtatur an ſecus, quamquam ſi velut inſtrumentum agatur & impellatur fieri nequit, vt ſua libertate vtatur. Cæterum ſi Deus ſemper eſt cauſa principalis, præcipuus author & effector operis, id opus illi potiſſimum eſt adſcribendum, non homini licet ratione prædito & libertate, qui vicem inſtrumenti dumtaxat ſubeat, id tantum efficit, vt homini quoque peccatum adſcribi poſſit. Agunt homines arbitrio ſuo, voluntate ſua, ſed Deus illam inſpirat, mouet, impellit; hoc minimè dubium eſt, ait Caluinus, ſummam ac præcipuam omnium cauſam eſſe Dei voluntatem, quæ voluntates hominum, ęquè in malum ex eius mente inflectit, & deſtinat; ſummam omnium, quæ in mundo aguntur cauſam prædico eſſe Dei voluntatem; Idem prędicauit, ante me Bucherus & Lutherus, (eiuſdem erroris anteſignani) ſi Dei voluntas ſumma eſt, vel remota indurationis cauſa, homo ipſe ſibi cor indurans proprior eſt cauſa; propterea & vniuerſalis Dei motio vnde creaturæ omnes, vt ſuſtinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt, & eſt ſpecialis Dei actio quæ in vnoquoque facinore apparet, quâ Deus & conſilia impiorum deſtinat, quo viſum eſt, & voluntates excitat & conatus firmat. Si careret homo libero arbitrio, vt alio delirant errore, tum homini peccatum non imputaretur, ſed Deo dumtaxat authori. At nunc eò magis Deo adſcribitur peccatum, quò magis homo libertate ſua peccatum admittit. Eſto peccet impius libera voluntate, tamen hęc actio libera magis à Deo

De æterna Dei prædeſt.

Reſp. ad

Lib. 1 Inſt c. 4 § 1 ca. 16. § 3

pendet

pendet ac prouenit tanquam à causa superiore, & homo ipse dum diuinæ volũtati tanquam regulæ suorum actuum se conformat non est existimandus peccare. Quare nec illa exceptio de diuersis finibus, aliud est, quàm irrisio & illusio lectorum, cum nullus finis adhiberi possit honestior, quàm vt quis diuinæ se voluntati conformet, quem finem si adhibeat secutus magistrum Caluinum eius quispiam assecla numquam peccabit. Quis verò nescit plurima esse naturâ suâ peccata & mala, quæ nullo bono fine possint honestari, vt quæ non sunt mala, quia prohibita, sed contra, prohibita quia mala, mendacia, blasphemiæ, odium Dei, quis poterit adhibere finem in flagitijs execrandis sodomiticis, in odio, blasphemia, alijs ex sua conditione peruersis & damnatis sceleribus. Tum non sunt facienda mala vt eueniant bona, non licet latrocinari vt pauperi subuenias. At impius non eo fine peccat, vt Dei voluntati obsequatur, vt ei præstet obsequium, nempe Euangelij Caluiniani luce destitutus laborat ignorantia huius diuinæ voluntatis, quam si nosset, haud dubiè illi se conformaret & obsequeretur. At ea voluntas sequenda est, non quæ abscõdita, sed quæ Dei verbo patefacta, si fidem habemus Caluino ea non est abscondita, & vnde eam hausit Caluinus nisi è Dei verbo? Quæ sunt duæ istæ Dei pugnantes inter se voluntates, quibus vult & non vult peccatum? An prior generalior, efficacior quâ vult peccatum, posterior lege Mosaicâ consignata minus latè patens minusque potens & efficax? Æquius igitur est nos priori conformari. An non parent Deo Creaturę sensus & rationis expertes? an non sequuntur Dei voluntatem, nisi qui illam intelligentia comprehendunt, hoc ipsum quod in alium finem sua referunt opera reprobi, an non aliquod opus est? A quo illud est nisi à Deo decernente, mouente, impellente? Ergo & illius operis est author Deus? A Deo est quod in prauum finem sua referunt opera, quod non ea patrent, vt Deo præstent obsequium. Quod si Caluini sectator quispiam eo fine admittit adulteria, furta, flagitia,

Euangelio Caluini cõfirmata non est.

vt Dei obsequatur voluntati, vt ei præstet obsequium, an erit immunis ab omni culpa? An propterea Deus eius operis non erit author & effector? An non illudere hoc est & irridere, eosdem errores ambagibus verborum retractare simul eadem opera stabilire & confirmare? Generalis est illa voluntas signi, qua Deus peccatum inhibet & vetat fieri: At specialis certa & indiuidua, quâ decernit & vult hîc & nunc illud patrari, hæc igitur potior, cui resistere & repugnare magnum sit scelus. An non ille Deum facit hypocritam, qui asserit eum præcipere ne peccemus, & tamen hoc ipsum nolle, imò velle vt peccemus? & cum peccato iubeat nos resistere, iubere vt suæ voluntati resistamus? Nota est aduersus Caluinum disceptatio Castalionis, quem sycophantam redarguens Beza magistri vestigijs insistens, cum omnia protulit, quę dici possunt, vt Deum authorem peccati probet, tamen hoc ipsum se dicere impudentissimè negat; neque ex ijs laqueis quos Castalio inijcit extricare se potest, sed nouis blasphemijs implicat, dum inauditâ hactenus Theologia peccatum ipsum Dei comparatione bonum esse affirmat: omnia, inquit, bona sunt quatenus efficiuntur à Deo, discrimen illud boni & mali tantum est in instrumento. Quemadmodum actio ipsa primariò tribuitur causæ principali, secundariò instrumentali, ita & actionis qualitas; sed nullum penes eos est humanarum actionū discrimen, cum omnes peccati lethalis naturam induant. Notanda & illa Bezę noua blasphemia, humana ratio nobis dictat non minùs in culpâ esse eum, qui cum impedire ruentem in perniciem possit, non tamen impedit, quàm qui ipse præcipitet. Nam cui dubium est quin Deus omnia mortalium peccata possit impedire? Ergo Bezâ iudice, perinde Deus est in culpâ non impediens, ac si ipse in peccata præcipitet. Non satis est posse nisi tenearis impedire, & possunt iustæ esse rationes, ob quas non modò non tenearis impedire, sed permittere & non impedire tenearis. At distinctionem illam Catholicorum, qua Deus permittere peccata dicitur, irrident; ne Deus in

cœlo resideat otiosus, si tantum permittat & non efficiat peccatum, Deus sit Epicuri, quasi vel ante mundum conditum exstiterit otiosus, vel à consummatione sæculi sit futurus otiosus cum nullum peccatum erit, nec permittendum, nec efficiendum. Quod item ait Beza considerandum Dei voluntatem quatenus eam nobis declarat, iam refutatum est, quamuis non sit necesse, nos semper id velle quod Deus vult, semper tamen id velle debemus, quod Deus vult nos velle. At vult nos velle peccatum, hæc est voluntatis nostræ certissima regula, nec alia de causa peccatum est peccatum, quàm quia nolumus id quod Deus vult nos velle; si Deus vult me velle peccatum, iam peccatum non est peccatum sed opus bonum: non enim potest Dei voluntas non esse bona & honesta in eo quod suæ regulę diuinæ voluntati præclarè consentiat. At Deus ipse non peccat & peccati capax non existit, quod repetitâ radiorum solis similitudine sæpè Caluinus inculcat:
1. Inst. 17. §. 5. Aduers. libert. 14. Vnde, inquit, fœtor in cadauere quod calore solis tum putrefactum, tum reseratum fuerit? radijs solis excitari omnes vident, nemo tamen illos fœtere ideò dicit; ita cum in homine malo subsideat mali materia & culpa quid est quod inquinamentum aliquod contrahat, si sol ageret ex arbitrio & putrefactionem efficeret in cadauere, quis non soli adscriberet? Quis non eius radios si rationis essent compotes fœtorem velle & approbare, quare & fœtentes censeret? sed falsum id est fœtorem radijs solaribus excitari, cum ex ipsa cadaueris oriatur tabe; Ex thure & aromatibus sol odoratos suffitus excitat, ex putrido cadauere fœtentes, quæ similitudo ad generalem Dei concursum posset accommodari. Verum Caluino, Bezę alijsque hæreticis nihil admodum curæ est vt vera & consentanea sibi proferant, dum suos errores obtegant, & intrudant aliqua veri similitudine verbis ambiguis inuolutos. Denique eò confugiendum fuit Bezæ, vt diceret hoc tam sublime esse mysterium vt à nemine mortalium possit intelligi, suo illi cœnæ mysterio persimile. Aperi igitur nobis, inquit, homo


mò acutissimè, qui nos viuifica carne sua pascit in terrâ, qui in cælis est. Et Caluinus, vbi non capimus quomodo fieri velit Deus, quod fieri vetat, veniat nobis in mentem nostra imbecillitas & simul reputemus lucem, quam inhabitat, non frustra vocari inaccessam, quia caligine obducta est, idem de æterna Dei prædestinatione, ipso Caluino teste, si ad peccandum Deus mouet, incitat, impellit, quomodo peccati author non sit, intelligi non potest. Summa huc redit; quamuis homines vt indomitæ bestiæ nullisque vinculis coërcitæ lasciuiant, arcano tamen fræno gubernari, vt ne digitum quidem mouere queant, nisi ad exequendum Dei magis quam suum opus. Hoc optabat Caluinus, instar indomitæ bestiæ lasciuire, & flagitium tamen omne suum magis Deo adscribi tanquam auctori, vt tota eius culpa in Deum refunderetur: Hic idem genius est cæterorum Caluini & Lutheri discipulorum vt mysteria diuina, quæ prorsus illotis manibus attrectare audent, non intelligant, derisui habeant, implexis complurium contradictionum & blasphemiarum fallacijs inuoluant, quæ ad abnegandam fidem & ad atheismum aditum patefaciant. Id in cæteris fidei mysterijs demonstrare non sit difficile, sed sat habuero in duobus præcipuis, SS. Trinitatis, & Incarnationis, quæ duo sunt præcipua Christianæ religionis fundamenta declarasse, vt nemo dubitet eos verè esse Atheos, Epicureos.

F 2 CAPVT



CAPVT IX.

Augustissimæ Trinitatis mysterium euertunt Lutherani & Caluiniani.



VI Deum, (cuiusmodi Christiana fides profitetur) vnum natura, trinum personis nō agnoscit, is verum Deum non agnoscit, & in Atheorum classem est referendus. At Caluinus Lutherusq; nec vnitatem naturæ, nec personarum Trinitatem agnoscit, duplicique hac via & ratione aduersus hoc augustissimum mysterium pugnat, nec vnitatem in Trinitate, nec Trinitatem in vnitate veneratur. Atque vt à Trinitate personarum ordiamur. Persona Catholicis definitur naturæ rationalis indiuidua subsistentia, vel intellectualis naturę incommunicabilis subsistentia, vt non modò accidentia & proprietates, vel substantiarum partes, sed etiam ipsas integras naturas, quę per se non existerent personas esse negarent. Hæretici vt complurium aliorum vocabulorum, ita & personæ vim & significationem commutarunt, vt persona idem sit illis quod proprietas: quare sæpè occurrit apud Caluinum, tres esse in Deo proprietates in ipsa essentia residentes, Personam esse proprietatem in diuina essentia residentem, sed distinctam ab alijs & incommunicabilem, vtinam sepulta essent nomina Trinitatis, Personę, Consubstantialis, constaret modò hæc inter omnes fides Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse vnū Deum, nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam distinctos, inde precationem illam,

Contra gentil. In actu Seru. l. 1. Inst c. 13. §. 5.

illam, quam & Lutherus è Litanijs Germanicis expungi curauit, Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, barbariem ait sapere, & sibi non placere. Quod & Beza tuetur rectè illum scripsisse. An quod fœmineum genus masculino iungatur, an potiùs quod nemo sanus orationem ad proprietates direxerit, ad idiomata, ad energias, vt loquuntur? Inde passim, inquiunt, tres personas subsistentes in vna diuina essentiâ, non quemadmodum Orthodoxi diuinam essentiam vnicam subsistere in tribus personis: non enim habet Deus communem aliquam subsistentiam quam communicet personis nisi quaternitatem inducas. Comparant tres personas tribus animæ facultatibus, vegetanti, sentienti & intelligenti, imò splendori & claritati solis, candori & dulcedini saccari. Itaque Melanchthon sępiùs inculcat, esse in CHRISTO aliquid diuinæ naturæ, in Spiritu Sancto esse aliquid Dei. De quo Caluinus admonitione vltima ad Wesphalos: Dominus Philippus vir numquàm satis laudatus, de Spiritu Sancto agens, necesse est personam esse distinctam quę est aliquid Dei. Quæ distinctio meo quidem iudicio, vt maximè conuenit Filio & Spiritui Sancto, ita plurimùm abhorret à Patre: persona enim seu proprietas Patris non est aliquid Dei. Plura si voles apud Genebrardum. Iam vnitatem quoque diuinæ naturæ eos non agnoscere, quæ erat altera ratio ac via, summi huius mysterij euertendi ex proximè dicendis patefiet. Lutherus aduersus Latomum, anima mea, inquit, odit hoc verbum ὁμοούσιος, non vocem, sed significationem & rem oderat Lutherus, & partes agebat Arrianorum qui hoc verbo iugulati sunt, aduersus quod vocabulum tanta contentione decem conciliabulis decertarunt, quod sacris literis expressum non esset, sed opportunè à Patribus Nicænis loco alterius ὁμοιούσιος suggesti ab Arrianis repositum. Atque, vt id obiter interseram, si verum est illud ab Arrianis mutuatum principium; nihil esse recipiendum quod sacris literis expressum non sit, sequitur mysterium Trinitatis non esse recipiendum; cum sacris literis

In locis commu. n. 39. & 45.

Fol. 39. loco. comm.

non ita sit expressum, quin Caluinus præcipua quæque testimonia Sanctorum Patrum prolata in contrarias Arianorum partes traduxisse se confidat. Idem Lutherus, S. Hieronymus, inquit, vehementer perturbatus lamentabilibus literis scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulum ὁμύσιος insigni mendacio calumniatus; Nam ne vox ὁμύσιος ab Arianis eriperetur, an tres dicendę essent hypostases, quęrebat; obtestor beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per homouseon Trinitatem, vt mihi epistolis tuis, siue tacendarum siue dicendarum hypostaseon detur authoritas. Commentans Lutherus illa Genesis verba, fiat lux; Hîc primum, inquit, Moyses ponit medium & instrumentum, quo Deus Pater est vsus in operando, nempe Verbum, quę sunt ipsissima verba Arij, libro quem inscripsit Thalia, teste S. Athanas. ep. 2. contra Arianos, Caluinus aduersus Seruetum & Gentilem visus est SS. Trinitatis mysterium magnoperè propugnasse: nam illi tanquam hæretici supremo supplicio, vrgente potissimùm Caluino sunt ab eius sectarijs affecti, tamen ab eorum hæresi nihil admodum discrepare existimatur à recentioribus, qui tres essentias à seipsis adstruat, & neget filium à Patre essentiam habere, sed à seipso, Spiritum item Sanctum ait à seipso habere essentiam non à Patre & Filio quam hæresin vocant Autotheanorum, quòd passim Autotheon Filium & Spiritum S. vocet. Quamquam Bellarminus Caluinum purgat & peccasse ait in modo loquendi non reipsa: tamen inconstans fuit Caluinus, neque hoc perfectè vnquam mysterium est assecutus, Melanchthonis, quem suspiciebat, errores secutus videtur essentiam in tres personas distinxisse, vt quot personæ tot essent essentiæ quæ Deum vnum conflarent, tanquam partes integrantes totum compositum Deitatis, & non differrent personæ nisi ratione ordinis. Itaque asserit Caluinus Patrem Deitatis esse principium, non tribuendo essentiam Filio suo, & suo Spiritui Sancto, vt Fanatici nugantur, sed ratione ordinis à nobis declarati,

Aduers. Latomum 1. l. de Cōcilij.

Genebr. 1. de Trinit. Campia. ratio. 8.

L. 2. de Christo c. 19.

Calu. l. 13. §. 26

clarati,

clarati, si Pater habet suum esse à seipso, filius autem essentiam suam à Patre & Spiritus Sanctus à Patre & Filio, an non inuentę sunt tres essentiæ, ad eam in partes scindendam, quæ non nisi vna esse potest. Et si essentiam Pater communicauit cum Filio, vel in solidum, vel ex parte communicauit, si ex parte dimidium nobis Deum fabricas, quomodo enim plena constabit Deitas, nisi in tota & perfecta essentia? Restat vt dicas essentiam perfecte & solidè communem esse Patri & Filio, quod si verum est, iam quoad ipsum nulla erit alterius ab altero discretio; si ex parte, iam lacera erit diuinitas, & ex transfusione sequitur diminutio; si in totum ergo diuinitas quæ antea fuerat penes Patrem, in Filium conuersa, in ipso Patre euanuit; quam consequentiam, inquit, omnes sani & integri lectores agnoscent esse rectam & solidam. Imò nihil infirmius & absurdius hac consequentia posse proferri perspicient & Caluinum solidæ ignorantiæ condemnabunt, aut potius peruicacię & malignitatis diabolicę, qui sic lectorem deludere studeat. Non euanuit in Patre eadem numero essentia quæ ob infinitatem suam communicatur Filio & Spiritui Sancto, si vel prima attigisset elementa Theologię, didicisset à S. Thoma, quamuis Filius totum suum esse habeat ab alio, nihilominus esse suum non est dependens, quia accepit à Patre idem numero esse, quod ipse habet; quamuis filius inter homines vitam mutuetur à Patre, eamque Patri debeat, tamen Dei Filius propriè non mutuatur, cum non egeat, nec vllo debito Patri obstringitur, cum non sit diuersus natura Deus, nec liberè Pater, sed necessario & naturaliter eum genuerit.

In admoni. ad Polo.

Idem p. 917.

1. Sent. d. 5 q. 2. a. 2.

Eodem pertinet quod ad finem c. 13. scribit. Quid enim disputare attinet an semper generet Pater: quando stultè fingitur continuus actus generandi, ex quo liquet ab æterno, tres in Deo personas subsistisse. Non ita subtitisse, quin & modo & per omnem æternitatem deinceps subsistant, quare non stultè finguntur actus continui generandi & spirandi, tum

actiuè,

actiuè, tum passiuè, intelligendi & amandi, tum essentialiter, tum notionaliter, sed harum distinctionum rudis imperitus & incapax est Caluinus.

Agnoscit eandem Caluini sententiam & tuetur Witacherus à Patre Duræo plenissimè confutatus ratione octauâ Campiani: vtcumque, inquit Witacherus, Patres illi Concilij Nicæni dixerint Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, tamen firmissimè tenendum esse confirmat Caluinus, CHRISTVM ex sese habere vt Deus sit, nisi CHRISTVM velimus suâ diuinitate spoliare: vt sit Filius, id quidem accepit à Patre, vt Deus sit, id ex se habet, quia per se Deus est. Dixerit quispiam Patrem quoque ex se habere vt Deus sit, sed à Filio vicissim quod sit Pater. Caluinus & Witacherus Mahomethis & Auicennę discipulos se exhibent, quorum est hoc axioma, Deus est ens necessariò existens, cuius esse impossibile est quod sit ab alio, nimirum distincto planè natura principio, quod non eandem suam naturam communicat, quodque precariò liberè communicet, non necessariò naturaliter ab ęterno: negant Philosophi ad solam relationem terminari actionem, & generationem definiunt, processionem viuentis à viuente secundum similitudinem naturæ, pugnat igitur hęresis cum philosophia, & generatio erit non communicatio naturæ, sed solius nudæ relationis productio, pugnat cum authoritate sanctorum Patrum & Conciliorum omnium in quibus receptum est Nicænum; sed breuitati consulendum. Illa quoque Caluinistarum inscitia non ferenda est, quod quia Catholici negant essentiam gignere vel gigni, actiones enim sunt suppositorum, & id quod gignit ab eo quod gignitur distingui necesse est, negant Filium de essentia Patris genitum, quod tamen nihil aliud est quàm Patrem gignere Filium, non per externam alicuius substantiæ communicationem, sed suammet illi naturam & substan-
Ps. 109. tiam impertiendo: *Ex vtero ante luciferum genui te*, ait Pater ad Filium, vt SS. Patres asseuerant & speciatim August. Negat

gat

gat Caluinus ex illo loco Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus,* *L.3. cō-*
demonstrari posse Filium Patri ὁμούσιον esse, quo tamen loco *tra Ma-*
plurimum Sancti Patres vtuntur, Ioannes, ait, potentię & *xi.14.*
voluntatis vnionem significauit, non essentię, quasi distin-
guantur in Deo essentia & voluntas & potentia. Catholicam *In Ep.*
fidem de Trinitate Lucianicè & nequiter irridet: vnus Deus, *ad Polo.*
id est, Trinitas: creditis in Deum, id est, in Trinitatem: vt
cognoscant te vnum Deum, id est, Trinitatem, hoc non
modò, inquit, tamquam insipidum, sed prophanum quo-
que repudiamus. Non congero plura loca quibus apertum fit
Caluinum de Sanctissima Trinitate minimè sinceram fidem
habuisse, nec Treistarum & Arianorum ex eius schola pro-
deũtium germina ac testimonia profero. Duas dumtaxat atte-
xam sententias Bullingeri & Melancthonis, quibus clarissimè
patet ab hęreticis euerti mysterium SS. Trinitatis. Bullinge- *L. de*
rus Zuinglij successor, tres esse in diuinitate personas non sta- *script.*
tu sed gradu, non substantia sed forma, non potestate sed *& Eccl.*
specie differentes, quod Ariani numquam ausi sunt enuntia- *auth.*
re. Vtitur quidem ea loquendi formula Tertullianus sed ante *Pame-*
exortas hęreses, sed obscura est & commodè explicanda; alio- *lius An-*
quin inter eius Paradoxa reponitur. Post Arianam hæresim *no 31.*
iure illam in Bullingero reprehendit Canisius. Quis enim mo-
do audeat in SS. Trinitate, vel gradus, vel formæ, vel spe-
ciei differentiam admittere. Est sit ordo inter personas non
tamen gradus si eadem & indiuisa natura eadem est forma &
species, sola differentia penes hypostases existit relatiuas, pe-
nes quas oppositio reperitur. Melancthon, Pater, Filius, &
Spiritus S. aut tres tantum sunt nudæ proprietates siue ener-
giæ in Deo, vt in saccaro candor & sapor, in anima vis nu-
triens, sentiens, ratiocinans, aut vnius essentiæ diuinæ tres par-
tes, quæ in vnum collatæ, vnam perfectè & integram Dei
personam exstruant. Ita prophani homines, quę non capiunt
mysteria verbis ambiguis inuoluunt, & derisui habentes va-
riè exponunt vereque se Atheos profitentur, qui Diagoræ

instar, & Epicuri nullam certam de diuinitate fidem habeant; ſemper animis fluctuantes. Præclarè dictum à Nazianzeno, non cuiuſuis eſt, ô viri, de Deo diſſerere, non inquam cuiuſuis eſt, addo nec cuiuſuis temporis, nec apud quoſuis, ſed certo tempore & apud certos homines & aliquouſq hoc faciendum eſt; non cuiuſlibet, inquam, quia ijs dumtaxat, hoc muneris incumbit, qui exactiſſimè expurati ſunt, & antea corpus animumque à vitiorum ſordibus purgarunt, aut vt pauciſſimè loquar, hoc agunt vt ſe à vitiorum labe purgent. Impurè enim rem puram attingere ne periculo quidem fortaſſe caret, quemadmodum nec ægris oculis radios ſolis intueri.



CAPVT X.

De myſterio Incarnationis: De CHRISTI diuinitate & humanitate quam malè ſentiant hæretici.



Conc. de Natiu. Domin. NESTORIO & Eutychieti fauiſſe Lutherum perſpicuum eſt ex eius ſcriptis, nunc ait imperitos quoſdam facere CHRISTVM hominem omnipotentem, ſi non eſt CHRISTVS homo omnipotens non eſt Deus homo, aut duæ ſunt in CHRISTO perſonę ex errore Neſtorij; nunc mihi, inquit, paulò ante negotium fuit cum Neſtorianis qui pertinaciſſimè contra me diſputabant quod diuinitas CHRISTI non poſſit pati: & infra, oportet dicere, hic homo CHRISTVS, hæc caro & ſanguis condidit cælum & terram: confunduntur igitur in CHRISTO naturæ ex errore Eutychetis, Deitas enim *L. de Concil.*

enim caro & sanguis vocabula sunt naturarum non personæ. Ignarus fuit Lutherus communicationis Idiomatũ. Eodem libro de Concilijs scribit, Nestorium & Eutychetem ex inscitia solùm aliqua, & in modo loquendi lapsos, nam alioquî vtrique bonum zelum, animum sincerum & fidem rectam non defuisse: totam causam tumultus & tragædiarum in Episcopos Leonem & Cyrillum referendam, quare vereri se ne in extremo iudicio aliqui hæretici sedeant, & Episcopi qui eos in Concilijs damnarunt in æternum pereant. Parum abfuit quin sanctum Nestorium cuius lingua vermibus corrosa computruit, sanctum Eutychetem Lutherus inuocarit. Sed quam illa blasphema & delira vox Lutheri? si in CHRISTO sola humana natura pro me passa est, CHRISTVS ille vilis nec magni pretij Saluator, imò ipse quoque alio Saluatore opus habet, quem errorem Zuinglius laboriosè confutat. Igitur diuinitatem passam, crucifixam, mortuam, descendisse ad inferos asseuerant, & ex eadem, opinor, ignoratione communicationis Idiomatum ille alter delirus error Vbiquitatis natus est, quanquam ex illo articulo deducant quod CHRISTVS ad Dei dexteram sedeat quę Dei dextera est vbiq;, nimirum, nec personæ nec naturarum in CHRISTO discrimen vllum habent, sed confusè, Lucianicè & irrisoriè tractant diuina mysteria. Iam verò Caluini discipuli pluribus confirmant CHRISTVM vt Deum Patre esse minorem, & quoad Deitatem Patri esse subiectum, & obedientem Pontificē & Sacerdotem solâ diuinâ naturâ, sacrificum verò humanâ, & propterea ratione officij & dispensationis minorem esse Patre etiam essentiâ diuinâ. Caluinus tradit λόγον verbum & secundum illam in diuinis personam iam inde ab initio ante lapsum Adę, & humani generis à Deo alienationem & dissidium, mediatorem fuisse. In institutionibus, fateor, inquit, in primo creationis ordine & naturæ integrę statu CHRISTVM præfectum Angelis & hominibus fuisse caput, quâ ratione dicitur à Paulo primogenitus omnis creaturæ. Quam præfecturam si acce-

Epist. ad P. lo.

L. 2. c. 12. §. 4.

si accepit à Patre secundum diuinam naturam, in eaque est Patris Minister & Vicarius, haud dubiè minor est Patre secundum diuinam naturam. Cum à Patre petebat glorificari ea gloria quam habuit ab initio ante mundi constitutionem; præposterum, ait, fore hoc votum si de solâ humanitate intelligatur non de diuinitate, etiam quia ad tempus, dum mediatorem ageret diuinitas eâ gloriâ priuata fuerit. Iterum damnans Catholicorum de CHRISTI meditatione fidem & apertiùs quam aliàs, essentiam diuinarum personarum distinguens, scribit, Filium in diuinâ non minùs quam in humana natura esse mediatorem, idque non apud Trinitatem, neque apud Spiritum Sanctum, sed solùm apud Patrem, non esse absurdum fateri CHRISTVM Patre minorem si secundum diuinitatem apud eum intercedat, quia non dubitat CHRISTVS ipse quoties mediatoris personam sustinet Patri se subijcere, & quamquam ab antiquis sententiâ CHRISTI Pater maior me est, restricta fuit ad humanam naturam, ego tamen, inquit, non dubito ad totum complexum, diuinam simul & humanam extendere. Quia tametsi Deus sit æternus cum tamen ad nos descendit, medius esse cœpit inter Deum & nos. Certè impius est quisquis negat CHRISTVM diuinitatis respectu mediatorem esse, diabolicus est si quis neget CHRISTVM esse mediatorem vt est Deus; Hæc est Caluini & Geneuensium fides de CHRISTI diuinitate Cui consentaneè Beza l. aduersus Gentilem concedit nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν per excellentiam soli Patri tribuendum. Item Deum habuisse vim generandi filium & propagandi Spiritum Sanctum quia voluit. Item, Filium respectu personæ non nisi impropriè dici Creatorem cœli & terræ, libro de omnipotentia carnis CHRISTI aduersus Brentium, & altero contra Andream Iacobi, de hypostaticâ vnione duarum in CHRISTO naturarum, docet in CHRISTO duas esse hypostaticas vniones, vnam carnis cum animâ, alteram Dei cum homine. Infinitum sit eiusmodi errores persequi cæterorum

L. 2. Inst. c. 14. §. 3. Ep. ad Polon. p. 945.

Caluini

Caluini discipulorum, qui humanioribus tincti literis Theologiâ vix à limine salutata audent de summis mysterijs disceptare, vnde in hæreses & atheismum prolabuntur. Iam quam abiectè sentiant de CHRISTI Domini humanitate, constabit ex ijs defectibus, quos illi tribuunt vel in vulgarium hominum ordinem redigant. In primis palam est, ait Caluinus, CHRISTO communem cum Angelis ignorantiam tribui, Angeli autem quam multarum rerum ignorantiam habeant Apostolus indicat ad Ephesios tertio, earum quæ pendent à supernaturali Dei ordinatione; earundem igitur rerum ignorantia CHRISTVS laborarit. Item CHRISTI anima subiecta fuit ignorantiæ, quemadmodum aliorum hominum hoc solum discriminis est inter illam & nos, quod infirmitates quæ nos necessitate constringunt, ille sponte & voluntate suâ suscepit. Quare sponte CHRISTVS cæteris Philosophis prudentior exstiterit. Quod quidam existimant CHRISTVM diuinitùs conscium fuisse fidei ipsorum, (qui paraliticum sanandum offerebant) quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur; Alibi, nesciuisse eum diem extremum iudicij. Cum CHRISTVS inchoatâ passione orauit in horto, Pater mi, &c. Non fuit, inquit Caluinus, meditata hęc CHRISTI oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cum statim addita fuit correctio, abruptum fuisse votum fateor, & mox subitò votum illud elapsum reuocat & castigat, & certè in primo voto CHRISTI, non apparet illa placida moderatio, quam dixi. Quia mediatoris officio defungi quantum in se est renuit ac detrectat.

Matth. 24. v. 36.

Cal. in 3. Eph.

In Luc. 2. v 40.

Matth. 9. v 2.

Matth. 21. v. 18

24. v. 39

Matth. 26. v 39

Eadem doloris vehementia pręsentem cœlestis decreti memoriam abstulit, vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis redemptorem, sicut grauis anxietas sæpè caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. An non Caluino insipiens fuit CHRISTVS Dominus, si votum aliquod inconsideratum emisit? Peccauit, si quidpiam correctione dignum elocutus est? Temerarius,

In Harmo. Euang. ad Mat. 26 v. 39.

rarius, si preces non meditatas Deo obtulit, ac tertio repetiuit: Nequiuit appetitui suo dominari, si voces vi doloris extortas obtulit: Obnoxius fuit perturbationibus ac passionibus vitiosis, si quando placida moderatione caruit, si inter violentos tentationum fluctus, alternis votis quasi vacillauit: Reluctatus est Patris voluntati si mediatoris munere defungi noluit. De aliâ horribili blasphemia, quâ CHRISTVM ait desperasse & subiuisse pœnas hominis damnati, dicetur alio capite. Nemo mirabitur si passim occurrat apud eundem

Matth. Caluinum: CHRISTVS impropriè loquitur, duras &
6. v. 16. longè petitas adhibet similitudines, superuacaneas nec satis
17 18. aptas proposito; parum solidè ratiocinatur; Verba prophe-
Ioannis 3. v. 6. tarum in alienum sensum deflectit, parum solidè aduersarios
Luc. 16. confutat, vt cum ait, omne regnum in seipsum diuisum de-
v. 6. solari. Memoria tenendum vulgò receptis prouerbijs ita vsum
Matth. fuisse CHRISTVM, vt tantùm probabiles essent conie-
7. Ioannis 1. cturæ, non autem solidè probarent. Denique CHRISTVS
Matth. discipulos non nisi ex fœce populi & quisquilijs sibi colligere
9 12. v. potuit. Diuinam Eucharistiam non veretur panis frustulum
25. contemptim appellare, eiusque adorationem fætidam abomi-
Luc. 11. nationem. Videmus quid in papatu contigerit; Magnum se
v. 17. CHRISTO honorem deferre, putarũt, si coram panis frustu-
In Harmo. lo se prosternerent. Fætida coram Deo abominatio: at alibi,
Matth. sacram cœnam, sacrum epulum communionem sacram, in qua
19. 13. corpus CHRISTI verè nobis exhibetur, non secus ac si
4. Institut. c. CHRISTVS ipse præsens aspectui nostro obijceretur, ac
17. n. 3. manibus attrectaretur. Aut impostor, aut blasphemus, aut verius vtrumque est Caluinus, hæc aliaque eiusdem modi sat demonstrant Caluinistas nullam de CHRISTI Domini maiestate & dignitate fidem animo concepisse, sed pro suâ temeritate mysteria sacra prophanare suisque auditoribus illudere, qui mos solet esse Atheorum.

CAPVT

CAPVT XI.

De fatali necessitate, cui Deum & homines Lutheri & Caluini secta substernit.



CALVMNIANTVR hęretici, nos Deum Epicureum colere, qui in cœlo resideat otiosus, quod peccata permittat dumtaxat, non efficiat neque decernat. Nos illis meritò reponimus Deum eos colere plusquam Stoicum, truncum, & nullum omninò, qui diuinum numen fatali subijciant necessitati. Nam nec Stoici quidem, pręcipui assertores fati, voluntates humanas illo comprehendebant, vt mox dicetur. Quod si homines liberi sunt ex Stoicorum disciplina, quantò magis Deus & Angeli superioris longè & excellentioris naturę; At si Deus subiectus est fatali necessitati, nihil mirum Angelos & homines eidem subiacere. Quare cum apertissimâ sacrâ scripturâ & ipsa ratione naturali pugnant hęreticorum istę blasphemiæ; *Omnia quæcumque voluit fecit*, Deus Optimus Maximus, non quę potuit omnia, sed quæ voluit. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, prout vult.* Ambrosius, prout vult, hoc est pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Quæ necessariæ sunt causæ semper idem & eodem modo operantur, vt ignis calefacit, humectat aqua, sol illuminat, tunc vero omnem vim suam exerunt & effectus, quos possunt, edunt; Non enim restringere se & limitare queunt, cum libertate sint orbæ, Deus Pater quia necessariò generat infinitum sibi parem eundemque Deum generat.

Psal. 113 v. 3. Ephes. 1. v. 11. 1. Cor. 12. v. 11.

generat. At quæ liberè vult, etsi ab ipsa primitùs æternitate pro libitu moderatur ac coërcet, singulis certam speciem, modum, ordinem prꝑstituit, si non posset Deus facere, nisi quæ facit non esset maior corde & cogitatione nostra cum infinitos alios mundos huic pares aut excellentiores cogitatione atque imaginatione consequi possimus. Quis dicat Deum legibus naturæ quas ipse præscripsit ita teneri, vt eas numquam interuertere aut immutare possit, vt in fornace Babylonica non potuisse ab igne vim vrendi suspendere, ab igne tartareo vim illuminandi, quę sunt asserta hæreticorum? Nihil quidem differt diuina voluntas ab essentia, nisi quod diuersas connotat habitudines creaturarum & effectorum ab eâ dependentium; Verum nihil ea ratio perfectissimę officit libertati & subtiliores eæ quæstiones Theologicis scholis à me consulto reseruantur. Quod attinet ad fatum si sumatur pro constitutione siderum & efficientia, quis non videat in suum conditorem nullam esse posse eorum vim, nullam efficientiã, si nec in homines quidem, qui sub variâ eorum constitutione & constellatione concipiuntur & nascuntur, vllam habeant vim, & tota res ista, inquit S. August. inaniter asseritur; verba sunt & voces, nullum est eiusmodi fatum; vt pluribus quoque demonstrat S. Greg. Non possunt animi nostri spiritales & immortales stellis & astris corporis tantò natura & gradu inferioribus subijci, quantò magis Deus eorum author & conditor illis substerni non potest? si verò sumatur fatum pro ordine & nexu causarum diuinitus prꝑstituto ac præfixo, vt fatum à fando dicatur, quomodo Boetius ait, fatum ab immobilibus proficiscens exordijs actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione adstringit, quis nesciat earum causarum ordinem ac nexum diuina voluntate cõstitui? Vnde hæc connexio ac religatio causarum aliarum ex alijs manantium nisi ex diuino decreto? Quod Deus ad id decretum adigatur necessitate, cum res omnes nullam habeãt cum sua summa felicitate ac bonitate connexionem necessariam, nemo sanus

5. Ciuit. 9.

Hom. in Euang.

4. de conf. ps. pros. 6.

nus dixerit. Inter omnes causas inter se connexas, prima ac precipua sed omnium liberrima suique potentissima est Dei voluntas. Tum & in ea serie causarum Angelorum & hominum liberæ quoque voluntates certo quodam ordine religatæ continentur. Nihil fit sine causâ, sed variç sunt causæ naturales necessariæ fortuitæ, latentes, liberæ, contingentes, Dei, Angelorum atque hominum voluntates. Si Deus agens esset necessarium, tolleretur quoque omnis creata libertas & euentuum contingentia: Verum si homini & Angelo constet libertas, & arbitrij sui potestas, quantò magis Deo conditori, tantò superioris excellentiorisque naturæ, quantò interuallo distat Creator à creatura, natura vndequaque infinita à finitâ. Academici veteres Deum animam mundi, mentem, sapientiam, prudentiam perfectam, procurantem cælestia maximè, deindè in terris ea quæ pertinent ad homines, interdum necessitatem appellabant, quod nihil aliter esse possit, atque ab eâ constitutum sit, interdum quasi fatalem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni. Nonnumquã eandem fortunam, quod efficiat multa improuisò nec opinata nobis propter obscuritatẽ ignorationemq; causarum. Rectius Deo primæ omniũ causæ liberrimã agendi facultatem tribuisset, in quã omnes omnium causarum & necessariarum & liberarum seu contingentium effectus sunt referendi, quæ cuiusque naturç se accommodet, & cum necessarijs ad necessarios cum liberis ad liberos liberrimè concurrat effectus. Prçscientia & prædçstinatio diuina, vt nihil officiant diuinç vel humanæ libertati suo loco explicatur: non enim includit antecedentem semper & absolutè Dei voluntatem efficacem, sed plurimùm comitantem aut consequentem, quç à nostra cooperatione dependeat. Quare nec absolutam adfert necessitatem, sed ex hypothesi. quç in nostrâ sit potestate; necessitatem sensus compositi non diuisi, consequentiæ & cohærentiæ non consequentis. Prçuidentur & decernuntur à Deo quæ libera nos electione statuerimus, aliudque Deus præuidisset aut decreuisset,

1. Qu. Acad.

creuisset, si in aliam partem humana se voluntas inflexisset: Præuidit Deus Adamum peccaturum, sed præuidit Deus liberè peccaturum, præuisurus non peccaturum, si peccaturus non fuisset; Decreuit id peccatum permittere, & ad eius remedium humaniq́ue lapsus instaurationem Verbum suum incarnari, mortem pati, &c. sed decreto consequente præuisionem præuisâ Iudæorum obstinata malitia, qui Saluatorem suum in crucem acturi erant; Quod si liberè Deus nos minimè amauit, & ad beneficia creationis & redemptionis impertienda fatali necessitate est adactus, non magnam illi gratiam debemus nec valde sumus obstricti, qui non potuit non benefacere. Nec soli, nec astris, nec vlli cælo vel elemento referendæ sunt à nobis gratiæ, sed huius vniuersitatis authori Deo à quo omnia creaturarum benefacta promanant. Sed nec magnoperè diuinam iram & vindictā nos reformidare oporteret, si sui compos non esset & nec libertate, sed necessitate duceretur. Nemini igitur dubium est, quin de Deo longè deteriùs, quam Epicurei sentiant Lutheri & Caluini discipuli, quis verè inter Atheos sint accensendi, qui Deum velint omnis libertatis expertem, & quod anteà demonstratum est, authorem & impulsorem omnium scelerum. Deum certè Christianorum non agnoscunt, qui nec CHRISTVM Dominum Deum, nec Sanctissimam Trinitatem vnum naturâ Deum, personis trinum agnoscunt, Ergo sine Deo sunt, & vitam brutam sine Deo docent instituere. De Caluino Lutheroque verè dixeris quod habet regius Psaltes. *Dixit insipiens in corde suo. non est Deus: Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Iterum. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.* Quod de Epicuro magistro suo Velleius apud Tullium gloriatur, hoc crebrò de suo quoque Luthero Germani iactitant; primùm, illum superstitionibus omnibus liberasse Germanos; sed quod ibidem Cotta Velleio, idem possunt Ortho-

Luthero & vtriusq; sectarijs verè dixeris &c.
Ps. 13. 3
Ps. 10. 5


doxi

doxi respondere Germanis; superstitione quidem homines liberare, Epicuro haud fuit difficile, cum sustulerit omnem vim naturamque Deorum; Ita Luthero non superstitionem sed religionem omnem adimere Germanis haud fuit difficile, cum Deum authorem malorum fatali subditum necessitati, impium & truncum Deum, id est nullum esse persuaserit.



CAPVT XII.

Liberum arbitrium negant recentes Epicurei, quod veteres non negarunt.



NEGARVNT liberum arbitrium veteres hereslarchæ horum nouellorum tritaui, tali progenie digni maiores, Simon Magus, Bardesanes, Valentinus, Manichæus, Priscillianus, denique Petrus Abaillardus, & Ioannes Wicleff. At non negarunt veteres è gentilitate Philosophi, ne Stoici quidem, qui omnium acerrimè pro fato depugnabant. Nam ab eâ fatali necessitate voluntates humanas excipiebant, vt refert S. Augus. ne videlicet non essent liberæ, si necessitati subderentur. Additque S. August. Ciceronem, cum non posset liberum arbitrium cum diuinâ rerum futurarum præscientiâ conciliare, maluisse hanc Deo derogare per summam impietatem, quam homini liberum arbitrium adimere, quod ipso vsu, atque experientia compertum videbatur, fecit nos sacrilegos, ne non faceret liberos. De Epicureis qui diuinam quoque prouidentiam inficiabantur, nusquam legimus eos libertatem arbitrij denegasse, quod fuisset tamen eorum sectæ præcipuum quod-

5 de Ciuit. cap. 10. *C. 9.*

dam firmamentum. Nam voluptatem corporis summum esse bonum, non alio crebriùs ac firmius argumento probabant, quàm à natura in animantibus & pueris nondum deprauata integre atque incorruptè iudicante: Omne animal simul atque natum sit voluptatem appetere, eaque gaudere, vt summo bono, dolorem aspernari vt summum malum & quantum possit à se repellere. Hoc argumentum longè fit validius, si quemadmodum in brutis & pueris, ita in nobis numquam ratio ita sit ad ratiocinandum, diiudicandum, & eligendum expedita, vt nostri simus arbitrij compotes, spontaneè quidem & voluntariè sed minimè liberè impellamur in voluptates, & à doloribus auocemur. Tum minimè disputandûm

2. Inst. c.2.§.2. 3.Eth.c. 1 2. & 3. L. de fato. c. 1. & 3. L. 6 de prep. Euang.

fuisset sed anticipatâ quadam, vt aiebant, notione omnibus compertum fuisset voluptatem esse summum bonum, neque vllus vnquam eam aspernari potuisset. Non diffitetur Caluinus Philosophos summo cum consensu libertatem arbitrij docuisse. De Peripateticis constat ex Aristotele. De Platonicis æquè ac Stoicis tradit Nyssenus. Eusebius multas profert tum rationes, tum authoritates Ethnicorum, quod ipsum dogma Christianum sexcentis locis exprimunt, & demonstrant sacræ literæ.

Genes. 4 v 6. Deut. 30 v.10 Eccl. 15. v.14. 31. 10. Isai. v. 19. Math 12. 33. 1. Cor. 7.37.36

Nonne si benè egeris recipies, si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius; Proposui in conspectu tuo vitam & bonum & è contrario mortem & malum; elige ergo vitam vt & tu viuas. Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui, & quæ sequuntur. Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis &c. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum. Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, quod vult faciat.

L. de grat & lib. arbi. c.1. & 2.

Ad eandem sententiam plurima profert & accommodata maximè testimonia S. Augustinus libris de hoc ipso argumento conscriptis, reuelauit Deus per scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitriũ.

Præcepta

Præcepta diuina homini non prodessent nisi haberet liberum arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret. Nihilque tulit ægriùs S. Augustinus quam sibi à Pelagianis obijci, quod immodica & incauta gratiæ defensione liberum arbitrium destrueret, cum, vt rectè ait, neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur quia iuuatur, sed ideò iuuatur quia non tollitur. De qua calumniâ plurimis locis. In eandem sententiam Heronymus aduersus Iouinianum, liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est; sicut in bonis operibus perfector est Deus, non enim est volentis, neque currentis sed miserentis & adiuuantis Dei, vt peruenire valeamus ad calcem, sic in malis & peccatis semina nostra sunt, incentiua & perfectio diaboli, quod in Luthero sanè Caluinoque perspicuum est. Cyprianus illud allegans Domini, numquid & vos vultis abire seruans scilicet legem, qua homo libertati suę relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimetipse vel mortem appetit, vel salutem. Verum authoritatibus omissis, quas passim omnes controuersiarum scriptores accumulant. Arbitrij libertas duplici ratione quæ solo lumine naturæ nitatur euidenter demonstrari potest tum à causa & à priori, tum ab effectu & à posteriori; Prior ratio deducitur ex præstantia & dignitate naturæ intelligentis ex supremo gradu rationalis substantiæ, quo proximè ad angelicam, diuinamque accedimus, quo Dei in nobis expressam gerimus effigiem cæterasque excellimus animantes, à quibus hac vnâ præcipuè ratiocinandi facultate discrepamus. Inest quidem voluntati atque appetitui formaliter ipsa libertas, sed ex ratione tamen originem ducit, & præcipuas sui radices habet in intellectu, qui res obiectas sub variâ ratione boni & mali proponere potest appetendas aut reijciendas voluntati, qui tum de fine, tum de medijs ad finem accommodatis iudicium ferre, eaque inter se conferre valet, ac velut actu quodam reflexo in suasmet. & voluntatis operationes

Ep. 89 q. 2.

L. 2. de nupt. & concup. c. 3. l. 4. contr. Iul. c. 8. l. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 2.

Ep. 55.

inſpicere, eaſque habere perſpectas. Quamdiu igitur homini conſtabit hæc naturæ rationalis, de ſuis actionibus iudicandi poteſtas, neceſſe eſt etiam conſtet arbitrij libertas, ſuarum actionum dominium, ſit ipſa ſui compos, ac potens, libera in agendo, natura intelligens, ſiue reipſa, ſiue ratione dumtaxat ſecernantur inter ſe intelligendi & appetendi facultas, ſi tamen eſt rationalis & ratione vtitur appetitus, & liber ſit ſuique potens, neceſſe eſt. Ariſtoteles brutis tribuit appetitum, homini voluntatem, quòd hæc ſit rationalis appetitus. EtNyſſenus: Conſultatio ad electionem refertur, vbi eſt vis conſultatiua, ibidem eſt & electiua, quæ ipſa eſt arbitrij libertas. Experientia autem quotidiana docet in rebus agendis adhiberi conſultationem & electionem. Neque verò deliris hominibus, pueris, & ipſis brutis animantibus ex alio capite denegari poteſt arbitrij libertas, quã quòd perfectę ratiocinationis cõpotes non ſint, quod iudicio & diſcurſu minimè vtãtur, quod imaginatiuâ dumtaxat & ſenſu communi, qui reſpondet externis, ad obiecta ducantur. Ob eandem cauſam in ſomnis, dum minimè ſoluta eſt phantaſia, & proinde, quæ ab eâ pendet in hac vitâ, impedita vis intelligendi, neceſſe eſt enim intelligentem ſpeculari phantaſmata, tollitur quoque libertas arbitrij, quia tollitur perfecta ratiocinandi facultas. Hanc igitur adimunt, & ex illo præſtanti gradu, ad quem nos Deus euexit, ad cæterarum animantium, quæ ratione ſunt deſtitutæ, vilitatem abijciunt: nempè vt vitam brutam agamus voluptatibus indulgentes; brutos nos eſſe volunt, expertes rationis & libertatis inſtar pecudum ſolo nos ſenſu duci atque impelli, non ratione ſuimet compote gubernari; pueros nos eſſe volunt, amentes, ſomniantes, ſine diſcurſu & iudicio, in obuia quæque ſenſibus iucunda & grata præcipitantes. Poſterior ratio ab effectu, ſi concedimus nullum eſſe voluntatis arbitrium, omnis humana vita ſubuertitur, fruſtra leges dantur, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque vlla bonis præmia, malis

7. de Philoſ. c. 1.

ſupplicia

supplicia sunt constituta. Sublatâ libertate tollitur omne genus moris, omnis virtus, omnis culpa, nihil geri potest laude dignum, nihil vituperatione, nihil quod præmio iustè compensetur, nihil quod supplicio vindicetur. Vt quid enim præcepta, consilia, monita dentur, si rectè agendi libertas non est, vt quid inhibitiones, minę, vindictæ, si necessitati parendum est. Neque libri obscuri mihi scrutandi erant, inquit S. August. vnde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui id non facit quod facere non potest: nam ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtę, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum. Et alibi; Adeò hoc est manifestum vt nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Nimirum præter Epicureos qui pecudes esse malunt quam homines. Neque dubitandum, quin, non modò cum S. Scripturæ authoritate, verum & cum aperta ratione pugnet hic delirus error Lutheri & Caluini denegantium liberum arbitrium. Ac quemadmodum prima illa summa veritas, Deum esse, non fide tantùm orthodoxa, verum & euidenti ratione ac demonstratione nititur, ita & hæc altera, quâ velut alterâ basi nititur humana vita, libertatem esse arbitrij, non tantum fide, sed aperta quoque ratione conuincitur. Dicant hostes liberi arbitrij, cur liberos suos, subditosue admoneant reprehendant & puniant vbi deliquerint, hortentur, laudent, excitēt, dent præcepta, monita, reprehensiones, minas si nihilò plus libertatis habent quam ebrij, quam stulti, quam infantes, quam bestiæ? Esto sit in his vestigium aliquod libertatis, non tamē libertas, quæ laudis aut reprehensionis capaces reddat. Quamobrem error hic Lutheri ex malitiâ potiùs quam ex inscitiâ natus esse videtur: si cum ope diuinæ gratiæ Lutherus concordare nequiuit arbitrium humanum, non ideò illud negare debuit; quemadmodum Caluinus quia cum præscientia diuina nequiuit, illud sustulit; sed audi Lutherum post multa, alia,

L. de 2. nat. adu. manich.

L. de verâ relig.

a. 36.

alia, vnde non dubium sathanâ magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium, ad seducendos homines à via Dei in vias proprias. Et rursum, malè dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus seu titulus sine re, quia nulli est in manu suâ quidpiam cogitare boni aut mali, sed omnia de necessitate absolutâ eueniunt. In cæteris articulis de Papatu, Concilijs, Indulgentijs, cæterisque non necessarijs magis ferenda est leuitas & stultitia Papę & suorum, sed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum & flendum miseros hic insanire. Miser ipse Lutherus qui in eo doctrinæ suæ summam & caput constituit, vt insanire omnes credantur, qui non se insanos aut bestias, id est, liberi arbitrij & rationis expertes esse crediderint. Caluinus non diffitetur hominem in statu integritatis præditum fuisse libero arbitrio, quo, si vellet, adipisci posset æternam vitam, potuisseque Adam stare, si vellet, quando non nisi propriâ voluntate cecidit, & in vtramque partem fuisse flexibilem eius voluntatem: at post peccatum libertatem in homine non permansisse. Qui vero CHRISTI discipulos se esse professi, in homine perdito & in spiritalę exitium demerso liberum arbitrium adhuc quærunt inter Philosophorum placita & cęlestem doctrinam partiendo planè desipiunt vt nec cęlum nec terram attingant. Nec ferè vspiam aliàs magis stomachatur Caluinus, quam cum aduersus liberum arbitrium pugnat, optatque penitus nomen illud aboleri, & in serui arbitrij commutari. Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen exstitit, Græcos verò non puduit arrogantius vsurpare vocabulum, siquidem αὐτεξούσιον dixerunt: non arrogantiùs sed expressiùs, quod tamen ipsum vsurpauit antiquissimus author Tertullianus. Iterum Caluinus: Erunt fortè qui credant voluntatem à bono, suopte ingenio auersari sola Domini voluntate conuerti, sic tamen vt præparata suas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet Augustinus,

In assert. art. 36.

L. 1. Inst. c. 15. §. 8.

L. 2. Inst. c. 2. §. 4

L. 10. de anima

l. 2. c. 3 §. 7.

omne

omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente, pedissequâ non præuia voluntate, ac voluntatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo, illud verò toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, quem trahit, volentem trahit. Præcipuum argumentum quo tanquam Achille nituntur euertere liberum arbitrium, ex certâ, quæ Deo inest actionum nostrarum præscientiâ ducitur, nulla igitur in ijs libertas existit, plane est infirmũ, quia certitudo illa consequentiæ dũtaxat conditionata & ex hypothesi non absoluta, vt supra est explicatũ cum res aliter posset euenire. S. Aug. ait de peccato disserens, non ideo hominem peccaturum, quia Deus præuidit; sed ideò præuidisse Deum, quia homo verè erat peccaturus, alioqui nec in primo parente ante peccatum, nec in Angelis nec in CHRISTO Domino, nec in ipso Deo constaret arbitrij libertas.

Ep. 106. ad Bonif. *Serm. de Inuent. S. Crucis.* *5. Ciuit. c. 10.*



CAPVT XIII.

De multiplici libertate, seruitute & necessitate.



IVRE miretur quispiam Lutherum & Caluinum, qui nobis arbitrij libertatem adimunt, quo nullũ habet natura nostra à Deo præstantius donũ, nullum maius ornamentum; Est enim, vt ait Bernardus, diuinum quiddam præfulgens in animo tanquam gemma in auro, quod & summum naturę nostræ splendorem, atque ornamentum adfert, & nullis criminibus abo-

Serm. 81 in Cant.

leri, nullis calamitatibus minui, nulla externâ vi labefactari destruive potest; pro conscientię, vt aiunt, & Euangelicâ libertate viribus omnibus decertare: nam quemadmodum gratia consistere nequit absque natura, hæcque illi velut basis & fundamenti loco substernenda est, ita mihi gratiæ libertas Euangelica non videtur absque ipsius naturę libertate consistere posse, si nullum sit genus moris generatim, nulla quæ conueniat homini, quà homo, vitæ instituendæ ratio, nulla quoque virtutis Christianæ ratio consistet: si nulli sint mores, nulli erunt mores Christiani; si nulla sit libertas iudicij atque arbitrij humani, quę potest esse libertas Euangelica, fidei & charitatis? si nec ratio fide, nec libera voluntas informari, atque animari charitate potest, si non constet sibi ratio, nec voluntas libera, certè hęc infusa virtute nequit ad altiorem Euangelicæ gratię gradum dignitatemque promoueri. Hæretici planè sunt homines prophani, illusores omnis religionis, si à peccato temperandum & virtuti danda opera, negant sibi esse liberum arbitrium, si legibus humanis aut pœnis coërceantur & ad officium adigantur inclamāt conscientię libertatem. Agnoscit dumtaxat Caluinus libertatem à coactione, eamque sententiam magistro sententiarum attribuit, sed planè falsò, cum magister libertatem à necessitate statuat potestatem agendi & non agendi: nemo nescit aliam esse rationem voluntarij & spontanei, aliam liberi actus & exerciti, voluntatem ne à Deo quidem vim pati posse propriè & cogi, non enim fieri potest vt eius actio non sit actio voluntatis & spontanea, potest tamen necessitatem pati & actio non esse libera. Puerorum, amentium, brutarum pecudum actiones sunt spontaneæ non tamen liberę, quare nemo de libertate à coactione dubitauit. Aliam triplicem libertatem distinguit S. Bernardus. A necessitate, quæ sit naturæ, à peccato quæ gratiæ, denique à miseria quę gloriæ: peccato primi parentis deperditam vtramque posteriorem, sed non priorem naturæ, quæ mansit illæsa quoad vim suam naturalem gratuitis dumtaxat

L. de grat. & lib. arb.

iustitię

iustitiæ originariæ donis exspoliata. Quot modis dicitur libertas totidē quoque modis seruitus dicitur, & quidem peccati & miseriæ seruitutem per peccatum incurrit primus parens, sed non eam seruitutem, quâ brutę pecudes premuntur, agendi ex necessitate & solo impulsu naturæ, quam non potuit incurrere nisi penitùs interuersâ & deperditâ ipsâ natura rationali. Quâ ratione S. Augustinus intelligendus est cum ait, libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum. Et iterum, cum libero peccauit arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Et magnas arbitrij vires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit. Hæc enim verissimè dicuntur non de naturæ libertate, quæ necessitati opponitur sed miseriæ, quæ seruitutem & necessitatem excludit peccati.

In Ezech. c. 30. *Ep. ad Vital. 107.* *Serm. 2. de verbis Apostoli.*

Multiplex hîc à Theologis notatur obseruanda necessitas ex primæuo peccato proueniens; Vna patiendi motus concupiscentiæ repugnantes legi mentis. Altera peccandi ex ignorantia & inaduertentiâ, 3. Peccandi ex infirmitate. 4. Venialiter in genere. 5. Aliquando mortaliter in eo, qui nondum est per CHRISTI gratiam liberatus. 6. Necessitas mortis & pœnarum huius vitæ. 7. Determinatæ necessitatis ad singulas actiones, quæ sola postrema pugnat cum arbitrij libertate, qua potest, vti dictum ex iudicio rationis homo sui potens agere & non agere. Cum igitur S. Augustinus ait, primum parentem peccato amisisse liberum arbitrium, intelligit de libertate quæ est à peccato & miseria; allegans plerumque illud Domini dictum, *si vos filius liberauerit verè liberi eritis*; Et illud Apostoli, *vbi Spiritus Domini, ibi libertas*; quæ eadem doctrina est sacrę Synodi Tridentinæ ex Arausicano Can. 13. Arbitrium voluntatis in primo parente infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi, quæ verba sumpta ex 14. Ciuit. c. 11. cum permisisset arbitrium volun-

2. Cor. 3. 17. *Sess. 6. c. 1.*

tatis verè liberum, cum vitijs peccatiſque non ſeruit. Tridentinum ait, inclinatum & alternatum viribus, non quod ipſa facultas in ſe diminuta ſit, ſed quantum ad vires benè agendi, diligendi Deum, ſicut oportet. Non poteſt ſimul eſſe infirmatum & amiſſum, ſed rectè dicitur amiſſum, quoad vires ſupernaturales gratię ſuperadditæ, infirmatum ob vires naturales, quæ & ipſę egent gratiæ excitatione & inſpiratione eiuſdem generis & ordinis, vt quis ex virtute vitam traducat, tentationes ſuperet, diu & perſeueranter operetur ex honeſtate. Quod ait in Enchiridio S. Auguſtinus hominem peccato ſeipſum perdidiſſe non vt non eſſet, ſed vt deterior euaderet, quomodo dicuntur homines quidam moribus perditi, ita & perdidit liberum arbitrium non vt non eſſet liberum, ſed vt deterius eſſet, deprauatum, deſtitutum ope diuinæ gratiæ, quâ ſolâ poteſt à peccati miſeria liberari. Quò pertinent & illæ eiuſdem Auguſt. ſententiæ, voluntas noſtra in tantum libera eſt in quantum liberata. Per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animę ſanitatem libertas arbitrij. Nec libera dicenda eſt voluntas quamdiu & vincentibus & vincientibus cupiditatibus eſt ſubdita, & ſexcentis alijs locis ſeſe clariſſimè explicat. Arbitrium ſeruum potiùs quam liberum appellandum, ex quo Lutherus libri ſui titulum & inſcriptionem mutuatus eſt aduerſus Eraſmum, ſed perperam S. Auguſtinum interpretatus, de ſeruitute à peccatis ad naturæ ſeruitutem tranſtulit. Et tamen ſi fuiſſet Auguſtinum ſecutus, per gratiam CHRISTI homini libertatem reſtitutam confiteri dębuiſſet. Ea enim libertas reſtituta eſt per CHRISTVM, quæ per Adamum amiſſa. Quare ad hæreticos qui id pernegant, nihil pertinent Auguſtini ſententiæ. Ac ferè ad opera pietatis quæ ad ſalutem pertinent, diligendumque Deum ſuper omnia ſicut oportet, intelligit S. Auguſtinus amiſſum liberum arbitrium peccato primi parentis, hęretici volunt in ciuilibus & medijs indifferentibus officijs. Denique obijcienti Iuliano reſpondet; Quis noſtrum dicet quod primi hominis peccato perierit

1. Retract. 15. L. de ſp. & lit. c. 30. Ep. 144. ad Anaſt. Adu. Iulia. c. 8.

Contr. 2. ep. Pelag. c. 2.

perierit liberum arbitrium de humano genere: libertas quidem perijt, sed illa, quę in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana diuinâ indiget gratiâ, dicente Domino, *si vos filius liberauerit verè liberi eritis*, vtique liberi ad benè iustèque viuendum, nam liberum arbitrium numquam adeò in peccatore perijt, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant. ~~Multiplex~~ cęterum ex multiplici illa necessitate & seruitute quam per primi parētis peccatum incurrimus traductâ in nos originaria culpa, est perspicuum, quā nos continentię & pœnitentiæ studio, quanam exercitatione virtutum omnium, ieiunij imprimis, orationis & misericordię diuinam gratiam promereri & conciliare oporteat, cum illius pręsidio tantoperè indigeamus, ad peccatorum omnium fugam, tentationumque victoriam. Quam alienos atque abhor- Ep 3.
rentes deceat ab eâ, quam hæretici deprædicant ac pro scopo sibi præstituunt, vt monet S. Fulgentius, noxia & seruili libertate, libertate, inquam, carnis, quâ cupiditatibus & voluptatibus habenæ laxantur, de quâ illud est apud Iob patientem Prophetam: *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam* C 11.v.
pullum onagri se liberum natum putat, cum nullius omninò legis 12.
iugum & obligationem ferant, nec ciuilis, nec Ecclesiasticæ, nec humanæ, nec diuinæ, ne quidem ipsius legis naturæ: nam quo fine libertatem arbitrij conantur euertere, nisi vt omnem conscientiæ remorsum exstinguant, nec ipsi rectæ rationis dictamini subijciantur? quâ in obruenda synteresi ac conscientiâ decennium se laborasse confitetur Lutherus, antequam ad perfectum atheismi culmen attigisset aut potiùs in barathrum summæ huius impietatis sese immersisset, de quo sapiens: *Impius* (Atheus scil.) *cum in profundum venerit*, Pro.18
contemnit: Hæc sanè libertas omni seruitute deterior est, li- 3.
bertas mancipiorum diaboli, non filiorum Dei, nō quā gratiâ suâ CHRISTVS deperditam restituit (quam nec ipsi agnos- Galat.
cunt hęretici) sed quam illis Cacodæmon sæuissimus tyrannus 5.13.

 impo-

imposuit. Audiamus potiùs monentem Apostolum, *vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis sed per charitatem spiritus seruite inuicem*, vt à iugo peccati & seruitute veteris legis per CHRISTVM liberi effecti, vltrò, lubenterque prçstemus Christiani hominis officium, seruiamus Deo in iustitia & sanctitate, ducem sequamur spiritum in lege charitatis, iustitiæ serui, obedientiæ filij, humilitatis cultores, gratiç custodes, continentiæ, pœnitentiæ, & crucis amatores.



CAPVT XIV.

De concupiscentiâ eiusque motibus, quos etiam inuoluntarios peccata censent esse hæretici.



NIHIL admodum erat de arbitrij nostri libertate tuenda laborandum, nihil de interiore pugnâ carnis & spiritus curandum, vltrò cuiuis tentationi cedendum, impetus omnis ac motus concupiscentiç sequendus, ac brutarum pecudum more vita erat agenda ex Epicureorum disciplina, si de concupiscentia eiusque motibus hæreticorum dogma constaret, & non iustissimo ab Ecclesia damnatum esset anathemate. Egregiè sanè hoc quoque dogmate stabiliunt Epicureorũ sectam, dum naturæ vitium quod ab origine trahimus, concupiscentiam seu peccati fomitem tradunt, aut esse culpam originariam, aut actualem certè ab eâ natam, continuam, & ineuitabilem, siue liberum illi assentiatur arbitrium, siue repugnet; Lutherus cum multis probare conatus esset concupiscentiam in baptizatis & iustificatis esse peccatum, ita sibi obijcit, scio quid

In assert. c. 2.

quid hic mihi oppositurí sint, scilicet, omnia, quę dicta sunt, probare, non peccatum sed defectum seu infirmitatem in nobis relinqui post baptismum. Et infra, verum, inquit, quod defectum sic appellant, vt peccatum esse negent & non culpam, sed pœnam tantùm peccati esse velint, admittere non possum. Interim fauor Dei nos suscipit & sustinet, non imputans ad mortem quod reliquum est peccati in nobis, licet verè peccatum sit & imputari possit. Ex eodem mutuatus Caluinus. Hæreditaria naturæ prauitas & corruptio, quæ primùm facit reos iræ Dei, tum etiam in nobis opera profert, quę scriptura vocat opera carnis, atque id est propriè quod à Paulo sæpiùs appellatur peccatum. Sed respondent Patres C. Tridentini, numquam Ecclesiam Catholicam intellexisse concupiscentiam ab Apostolo dici peccatum, quod verè & propriè sit peccatum in renatis, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat, quę vtraque ratio ex diuersis S. Augustini locis petita est, posteriorque, quia ad peccatum inclinat, potior est habenda: nam & mors & aliæ pœnæ profectæ sunt à peccato, nec peccati nomen induunt; Concupiscentia verò, quia ad peccatum inclinat, & vitium est atque inordinatio corruptæ naturæ, cui si voluntatis consensus accedat, ratio quoque peccati & culpę adijcitur. Ab Apostolo dicitur peccatum, de quo monet, non vt non sit, sed vt non regnet &c. vt obediamus eius motibus. Remanet, inquiunt Patres Tridentini, in baptizatis concupiscentia seu fomes peccati, quæ cùm ad agonem sit relicta, nocere non consentientibus sed viriliter per CHRISTI gratiam repugnantibus nō valet: *Nihil enim damnationis est ijs qui sunt in* CHRISTO IESV, *qui non secundum carnem ambulant*. Concupiscentia mater est peccati, sed accedente veluti virili consensu voluntatis. *Vnusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus*, non quia inest, peccatum est, sed cum conceperit, parit peccatum. Non concupiscentiam in nobis sentiendo, inquit Prosper, sed ei consentiendo peccamus. Quis non aduertat

1. Inst. c. 1. §. 3.

Sess. 5. can. 5.

Rom. 8. 1.

Iacob. 15.

tat hîc triplicem concupiſcentiæ motum ſeu ſtatum, ſuggeſtionis, delectationis, & conſenſus? Apoſtolum autem in concupiſcentia non ponere peccatum, donec conceperit, & à primâ ſuggeſtione gradum fecerit ad delectationem & conſenſum? Nec ipſa delectatio peccatum eſt ſi voluntaria non eſt. S. Auguſtinus. Illa concupiſcentialis notitia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, pręter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſuâ mouetur, quantò magis abſque culpâ eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis. Będa & alij omnem delectationem à concupiſcentiâ commotam, quamdiu animus caſtus ei reluctatur, à peccato vindicant. Eſto exoriantur in nobis vehementes concupiſcentię motus, carniſque titillationes, quamdiu tamen abeſt voluntatis conſenſus nullam culpam continent: nam peccatum ita debet eſſe voluntarium vt ſi voluntarium non ſit, peccatum non ſit ex receptâ S. Auguſtini doctrinâ: non ſunt concupiſcentię motus actus humani, non enim à mente vel ratione procedunt, ſed ab inferiore ſuſcitantur appetitu, ipſâ plerumque ratione repugnante: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Concupiſcentia cum paruulis naſcitur, in baptizatis à reatu ſoluitur, in grandibus ad agonem manet, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omninò nocitura. Aliquandò ratio viriliter reſiſtens commotam concupiſcentiam refrænat, atque compeſcit; quod cum fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantâ tentatione coronamur. Nocet, quia ad peccatum inclinat, prætereà vt explicat S. Auguſtinus minuit ſpiritualem delectationem ſanctarum mentium, dum in ea oppugnandâ occupati impediuntur ne liberè ferantur in Deum. Neque vero eadem eſt concupiſcẽtiæ vis ante & poſt baptiſmum. Nam ante baptiſmum dominabatur menti, & erat actu, aut virtute voluntaria, poſt baptiſmum ſuperata eſt & perempta, reddita inuoluntaria, vt docet Auguſtinus qui concupiſcentiam ante baptiſmum comparat febri, & telo corpori infixo, poſt baptiſmum languori ex febri

Marginal notes: 1. Ciuit. 25. — *In citatum locum Iacobi.* — L. de vera relig. 14 — 1. Retract. c. 13. — Rom. 7. 17. — 2. De pecc. meritis c. 4. — 2. De Geneſi. cont. Mani. c. 4. — 2. De pec. merit. 27. 28 — L. 2 cõt. Iulia. c. 4. — 14. Trinit. c. 17

febri remanenti, & vulneri quod exempto telo sensim percuratur. Comparat eandem, sed in non renatis, cum cæcitate cordis, & infidelitate, aduersus quam bonus concupiscit spiritus; & peccatum esse, quia inest illi obedientia contra dominatum mentis; & pœnam peccati, quia reddita est pœnis inobedientiæ; & causam peccati defectione consentientis vel contagione nascentis; sed peccatum intelligit, quâ ratione Apostolus, quia inclinat ad peccatum, aut quando planè euertit dominatum mentis, quod consensum quoque voluntatis extorquet. Ambrosius: In renatis & sanctis manere iniquitatem, contra quam ijs assiduè pugnandum est, quia iniquum est, vt caro [redacted] concupiscat aduersus spiritum, malum inordinatę vitium naturæ, cum inferiora reluctantur superioribus. Hilarius in illud Psalmi: Viam iniquitatis amoue à me. Promptum, inquit, fuerat dicere, iniquitatem amoue à me, sed licet infirmitatis suę conscius, cum meminerit in corpore suo vim esse peccandi, tamen per timorem Dei à peractione peccati omnis alienus est. Viam igitur peccati, quâ ad peccatum pergere promptum, amoueri à se deprecantur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ aut ignorantiæ, quâ tanquam per viam ad peccatum itur, ingruere. Verum non opus est, inquit Caluinus, multum hic laborare inuestigando, quid hic veteres sentiant; quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant Doctores, si quid de sensu antiquitatis certi habere volunt. Porrò inter illum & nos hoc discrimen est, quod ipse quidem concupiscentię morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tum demum, fieri peccatum docet, vbi vel opus, vel accedit consensus, (nihil necesse est accedat opus, sat est si consensus) nos autem illud ipsum pro peccato habemus (quis iste Thraso, gloriosus Doctor, eximius magister, qui se Augustino & antiquitati opponit) quando

L. De Isaac & anima c. 8.

6. Cont. Iul. c. 4.

Ps. 118. 29.

l. 3 Instit. c. 3 § 10.

aliquâ omnino cupiditate homo titillatur (etiam dormiens, & repugnans & reclamans) imò ipsam prauitatem, quæ eiusmodi cupiditates generat in nobis, asserimus esse peccatum. Docemus ergo in sanctis donec mortali corpore exuātur, semper esse peccatum, quia in eorum carne residet ea concupiscēdi prauitas, quæ cum rectitudine pugnat. Nihil igitur adhibendum studij vt illi prauæ concupiscentiæ resistatur, manus dandæ in hac pugna carni. Sequendus eius omnis motus & impetus. Frustra illi obsistitur si euitari peccatum non potest,
Iob. 31. 1. frustra Iob aiebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem quidem de virgine*; Non est absque crimine, ipsum opus nuptiarum; sine causâ Benedictus in spinas se induit, Sanctus Franciscus niuibus immersit, alij sancti varijs pœnitentiæ modis prauos motus coërcere studuerunt: nam siue ijs obsistitur, siue secus, semper sunt peccata, sed CHRISTI fauore non imputantur. An non hoc est disciplinam omnem Christianam euertere, & in sectam Epicureorum transformare? Quod Caietanus & Doctores quidam Orthodoxi tradunt primos quoque motus concupiscentiæ in nostra esse potestate, & si ratio vigilanter attendat, posse singulos, etsi non omnes impedire, repugnare videtur experientiæ & aliorum Doctorum communiori sententiæ. Aliud est reprimere motum exortum concupiscentię, quod ipsum non semper est in potestate, aliud inhibere & prǫuenire ne exoriantur, quod multò est difficilius. Quis enim efficiat vt ex repentino aspectu vel auditu, vel tactu rei delectabilis, vel etiam internâ corporis immutatione non suboriatur in sensualitate titillatio, & motus inordinatus, per rationem quidem reprimendus, & coërcendus, sed ne planè oriatur, non est in hominis potestate; quod in ijs apertius est, qui sensualitate per somnium commotâ subitò euigilant, quo momento possunt non consentire, non autem efficere, quin ille sit & aliquamdiu perseueret motus inordinatus. Quamuis in nostrâ foret potestate, impedire ne hi motus exsuscitarentur, tamen quemadmodum Deo suppetit iusta causa permittendi peccata, ita posset se

offerre iusta causa non impediendi hos motus, vt in ijs qui audiendis vacant confessionibus, explicandis conscientiæ consilijs &c. vbi non est periculum consensus, quo deficiente vitium est aliquod naturæ, non propriè peccatum. Cæterum vt nemo pius & sanctus immissis à Deo pijs inspirationibus & illustrationibus mox efficitur, nisi easdem liberâ excipiat voluntate, & in opera pietatis & iustitiæ deducat, si respuat Dei gratiam præuenientem, minimeque illi cooperetur, non modò nullum colligit meritū, sed magis se peccato obstringit & demerito; ita, qui illos motus respuit & repellit animo forti & constanti, magis ille meretur, quam peccet aut demereatur; Quò grauiores sunt & vehementiores isti naturæ corruptæ motus, quò vehementior mali dæmonis instigatio, eò gloriosiorem reportat victoriam, & cælestis gloriç coronam ampliorem promeretur. Multùm verò Caietani opinio distat ab errore Caluini, non modò quod obstinatione careat, quæ hæreseos nota est, sed quod omnes eiusmodi motus aliqua ratione censeat esse voluntarios implicito & interpretatiuo consensu, quod falsum est.

Legi potest Antidotum Stapeltoni in Matt. c. 4. v. 28.



CAPVT XV.

De primario Epicureorum huius temporis & communi dogmate, solius fidei iustificantis.



QVÆ de fide iustificante tradunt hæretici, tam multa sunt ac diuisa tam implexa, & inter se, & cum veritate pugnātia (nam veritas vna, est mendacium multiplex) vt vix iusto volumine queant expendi.

Caluinus non sibi constat in explicanda iustificationis ratione, modò eam collocat in sola remissione peccatorum, modò in iustitiâ CHRISTI nobis impuatta, & velut applicata, vt
L.3.c.11 nulla sit iustitia alia quam CHRISTI, sed illâ tegantur
§ 21. peccata & ab eadem nos iusti censeamur. Constat itaque quos Deus amplectitur non aliter fieri iustos, nisi quod abstersis peccatorum remissione maculis purificantur, vt talis iustitia
L.3.c.18 vno verbo appellari queat remissio peccatorum. Fidem iusti-
§. 8. ficare dicimus, non quia iustitiam nobis suâ dignitate mereatur, sed quia iustitia sit qua CHRISTI gratiam gratis obtinemus. Hæc est qua iustitiam CHRISTI nobis applicitam & imputatā apprehendimus. Ceterum si iustificatio non fit in animis nostris infusa gratiâ ac iustitiâ interiore propter CHRISTI Domini merita, vti explicat Tridentinum, sed externâ dumtaxat aut remissione, id est, non imputatione peccati aut imputatione iustitiæ CHRISTI per fidem aut fiduciam apprehensæ (vtraque enim permiscent & confundunt) videtur inanis, falsa, commentitiaque omnis iustitia, nullo fundamento subnixa. Nam, si cum ex peccatore quispiam fit iustus, nulla fit in eo mutatio, necesse est permaneat peccator & non iustus. In Deo quidem aut remittente, aut imputante, aut non imputante nulla potest intelligi mutatio interior, quæ non explicetur per effectum extrinsecum; quare si nec in ipso peccatore fiat, nulla fiet. Vt non imputetur peccatum idque verè, & non falsò, debet illud eradi & tolli, vt imputetur CHRISTI iustitia, debet illa participatione communicari. Alioquin sola opinio vel existimatio nullam rei mutationem inducit. Quemadmodum in aliâ hæresi de sacrosanctâ Eucharistia sola apprehensio humanitatis CHRISTI præsentis, non potest illam præsentem efficere, si reuera præsens non est; si non est sub sacratis speciebus, sed in cœlo dumtaxat empyreo CHRISTVS Dominus quoad humanitatem præsens, inaniter ac falsò tum præsentem apprehendis, cum præsens non sit. Pari modo, si verè tibi non

infun-

infunditur CHRISTI meritis iustitia interior, inanis & falsa est apprehensio tuæ fidei, cum ei veritas obiecta non respõdeat, commentitia est & delusoria. Sed, quod instituimus, ad Epicurei sectam breuissima & certissima via hæc est sola. Fides seu fiducia imputatæ tibi CHRISTI iustitiæ, per quam omnia flagitia ac scelera obteguntur & communiuntur, nihil tibi obfutura, nihil tibi allatura spiritalis detrimenti, nihil opus esse studio vllo pœnitentiæ & continentiæ, nihil bonorum operum merito, quod lubenter profitentur, si sola fides sufficit, crede tantum & saluus eris, vt ipsi pessimo sensu allegant. De particulâ, sola, magna fuit inter sectarios contentio, sola fides iustificat, etsi non exprimatur, tamen aiunt subintelligi. Lutherus pro suâ authoritate illam se in Germanicis Biblijs addidisse gloriatur, & non obstantibus Pontifice omnibusque Pontificijs perseueraturam, impostura eius ex contextu Greco & Latino patefacta est. Rectè Tridentinum docet fidem initium esse & fundamentum omnis iustificationis, quia sine fide impossibile est placere Deo, per quam Deum quærimus ad eumque accedimus, formatur CHRISTVS in nobis, purgantur peccata, sed ijdem isti effectus tribuuntur timori, tribuuntur & spei, quæ nascitur æquè ac timor ex fide, tribuuntur dilectioni illius, à quo venia peccati speratur primum imperfectæ & inchoatæ velut concupiscentię, tum denique perfectæ charitati amicitiæ & beneuolentię, quę licet sit orta ex amore sui, denique tamen tota referatur in Deum. Denique accedat oportet pœnitentia & detestatio peccati, quam sæpè commendant sacræ literę, accedat propositum melioris vitæ, obseruationis pręceptorum, votum præcipiendi sacramenti cum se dabit oportunitas. Has omnes dispositiones & præparationes iustificatio pręrequirit, quas, qui solâ fide iustificante contenti sunt, aspernantur ac veluti superfluas superstitiosasque amoliuntur, quo liberiùs licentiusque vitam agant Epicureorum, nullo obstaculo quo minus Euangelica conscientiæ libertate fruantur,

Luc. 8. 50.

In 3. propos. ts. 1. operũ suorum.

Sess 6. c. 8.

aut verè dixerim, in suam sempiternam perniciem abutantur. Si solâ fide constat salus ac iustitia, vt quid de pietatis operum exercitio, de Sacramentorum vsu, de peccatorum fuga, de tentationum victoria labor vllus suscipiatur, vt quid de cęteris virtutibus parandis, tuendis excolendis cura sit vlla, sartam modò fidem tueamur, nihil cæterarum virtutum vel adiunctio conferet, vel detractio diminuet. Esto superbus, auarus, luxuriosus, ambitioni, gulæ, libidinique deditus, si fidem habes per CHRISTI iustitiam apprehensam tibi Patris ęterni decreto addictam & imputatam, certus es de salute atque iustitia. O homines insulsos & deliros: somnia te CHRISTVM & CHRISTVS eris? An quidquam tua hæc in[illegible]is, & falsa commutabit in rebus ipsis imaginatio? Ergo omnem CHRISTI iustitiam exhauries, si omnem illã tibi à Deo applicitam concipias, nec eris inferior CHRISTO, si quæ illi propria & natiua tibi sit fidei applicatione communicata iustitia. CHRISTVS tibi laborauit, tibi passus est, tibi mortuus, tu viue hilariter, altum dormi securus, tua salus in tuto posita est; ille pertulerit omnem passionis acerbitatem, tu fructu & præmio potiare; nullæ erunt tuæ partes, nisi vt te cogites per CHRISTVM salutem assecutum, hoc tu tibi persuade, & cęterum vitam viue Epicuri. Eadem creditur fuisse hæresis Simonis Magi, de quo Irenæus & Theodoretus. De Eunomianis idem tradit Augustinus. De eadem opinione tempore Apostolorum exortâ, quâ Simon & gregales eius dixerunt satis esse ad salutem fidem sine operibus: Hæc Augustinus post multa. Quoniam ergo hæc opinio tum fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem vt vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse; sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem quâ in Deum creditur, sed eam salubrem planeque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, quę per dilectionem operatur. Hæc Augustinus, & mox Baronius.

L. 1. c. 20. *L. de Hæresibus.* *L. de Hæresibus 54.* *De fide & operib. c. 14* *Ad ann. 63. p. 692.*

Quem

Quem ergo aduersus fluuium carnis libertate latè fluentem agentes Apostoli, ac Iacobus præsertim, fortissimũ opposuerat aggerem: in quos enim campos non exundasset ea malè accepta viuendi libertas, si sceleštis quibuscumque absque labore, perinde ac vilissima merces, sic esset prostituenda potiùs quam præstanda fælicitas? cum longè aliter Apostolica prædicatio laboribus & ęrumnis, & mille denique mortibus, vti postularet occasio, cęlestem gloriam proponeret comparandam. Habeant hunc sibi ipsis authorem & Patrem, quod iterum dicunt Nouantes hæretici nostri temporis, atque tanto Principe glorientur, hæresiarcha primario & perditissimo impostore. Sed his occurrit Caluinus: sola fides est, quæ iustificat, fides tamen quæ iustificat non est sola; sicut calor solis solus est qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in sole, sed cum splendore coniunctus. In eandem sententiam Lutherus, scio has virtutes & insignia Dei dona, scio fidem sine his donis non existere sed nec nobis quęstio est quid cuius proprium, tenes manu varia semina, non quæro ego quæ, quibus coniuncta sint, sed quæ cuiusque propria virtus sit. Hoc apertè dico quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus coniuncta sit, sola autem fides apprehendit remissionem, credit promittenti Deo, Deo porrigenti aliquid manum admouet & accipit, hoc proprium est solius fidei. Nos vero opponimus Caluinum admittentem semen aliquod fidei manere inter grauissimos lapsus, atque id quantumcumque est, particulam esse veræ fidei, quæ proinde seiuncta sit à charitate. Deinde id vnum contendimus, si soli fidei tribuatur iustificatio, nihil esse necesse semper adiungatur charitas, quẽadmodum si solis calor solus terram calefaceret, non esset opus adiuncto splendore, vt ex sententiâ S. Basilij, ignis inferni vim habet vrendi, non illuminandi, si sol non calefaceret per lumen, ex accidenti calor & fulgor iungeretur ac separari possent, si sola fides iustificat nihil opus cæteris virtutibus, ac Dei donis quæ insignia fatetur Lutherus, nihil tamen ad iustitiam

In antid. Trid ad can. 11. sess. 6.

In cõm. c. 15. Genes.

In Ps. 33.

Ad Gal. 2.16. ſtitiam conferre, quia nihil obſtat quò minus excutiantur, ſola retineatur fides, de qua idem Lutherus diſertis verbis: fides ſine, & ante charitatem iuſtificat; & iterum, fides niſi ſit ſine vllis etiam minimis operibus non iuſtificat, imò non eſt fides: ſolâ fide apprehenditur CHRISTI iuſtitia nobis diuinitùs imputata, quare ſola illa ſufficit, parergon eſt, quod illi charitas adiungatur. Eſto non adiungeretur iam impleret munus ſuum & iuſtificationem omnem iam foret operata. Verum fidem à charitate ſeiungi non poſſe alter eſt eorum error ad Epicuri ſectam confirmandam, oportunè proximo capite refellendus.



CAPVT XVI.

Fides à charitate ſeiungi poteſt, eademque fides modò eſt informis, modò formata & animata charitate.



L. 3. c. 2. § 8. REFVTANDA eſt, inquit Caluinus, quæ in ſcholis volitat nugatoria fidei formatæ & informis diſtinctio. Et iterum: vbicumque regnabit *In Antid Trid ſeſſ 6. c. 27.* fides, iram Dei peccatis omnibus expulſis non ſecus auertet, ac ſi quis ignem exſtingueret ſubducto ligno, & tum fatemur cum Paulo non aliam fidem iu- *In Ioãnem 19.* ſtificare, quam illam charitate efficacem. Denique, fides omnia bona opera in ſe continet. Quæ Caluini dicta ſi vera ſunt, de ſolâ fide laborandum eſt. Et ſi numquam fides à charitate ſeiungi poteſt, an non conſequens eſt, vt omnis diſ-

ſoluatur

soluatur Ecclesiastica disciplina, vt in Ecclesiam inducatur Epicuri secta latissimè patente porta solius fidei. Nunquam essent admonendi, numquam legibus coërcendi, numquam ad officium hortationibus aut comminationibus adducendi fideles. Essent enim omnes boni, charitate æquè ac fide præditi, nulli essent mali sed omnes boni, ad vnam fidem retinendam & excolendam (quæ tamen ex eorum quoque sententia non potest amitti nec augeri, nec imminui) studium foret adhibendum. At bonos & malos permixtim in Ecclesia contineri docent plurimæ Domini parabolæ, frumenti & zizaniorum in eodem agro patris familias, palearum ac tritici in eadem area; piscium bonorum & malorum in eodem reti. Sed insignes sunt duę parabolæ quibus Sancti Patres frequenter vtuntur. Altera de decem virginibus è quibus eas quę acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, interpretantur fideles, charitatis & operum misericordiæ expertes. Altera de homine in conuiuium nuptiarum ingresso sine veste nuptiali, quam vestem charitatem interpretantur, cum alioquin sine fide in conuiuium nuptiale, id est in Ecclesiam CHRISTI non potuisset ingredi. Tractat hoc idem argumentum ex professo S. Augustinus libro de fide & operibus, quo ferè toto docet, neminem ita debere sibi blandiri & cōfidere de sua fide, vt per eam sine charitatis operibus speret salutem. Idem quæstione prima in quæstionibus à Dulcitio propositis, & alibi passim, inter Eunomij hæreses hanc refert, nihil obesse mala opera, modò fides teneatur quæ eadem planè est sectariorum sententia; quamquam secum ipsi multipliciter pugnant, nulla enim apud eos esse possunt praua opera, si fides à charitate seiungi non potest, nulli erunt apud eos fures, adulteri nulli, nulli homicidæ, omnes absque peccato, aut peccatum vnà cum charitate consistet. Quærat tamen quispiam quò pertineant illæ formulæ precationum, quas minister omnium nomine solet adhibere sub initium concionis? Domine Deus Pater æterne omnipotens, confitemur

Matth. 3. Matth. 13. August. serm. 23. de Verb. Dom. Greg. homil. 12. in Euang. L. de fide & operibus. In. qq. 1. q. Dulcitij. Serm. 3. & 4 de verbis. L. 3. cōtra duas Ep. Pelag. c. 5. l de Heres. 54.

mur ſine fictione coram ſancta maieſtate tua, & agnoſcimus nos eſſe miſeros peccatores in iniquitate, in corruptione conceptos & natos, ad malè operandum propenſos, ad omne bonum inutiles, noſque vitio noſtro continenter & perpetuò mandata tua ſancta transgredi. An hęc ad aliā pertinent hęreſim omnia etiam iuſtorum rectè facta peccata eſſe læthalia, nihil verius quam Caluiniſtas omni fide & charitate deſtitui. Verum ex inſtituto coarguit hanc hæreſim apertiſſimè D. Ia-
Ep. 2. cobus: *Quid proderit*, inquit, *ſi fidem dicit quis ſe habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides ſaluare eum?* Et quæ ad finem capitis ſequuntur, fidem ſine charitate, quæ bonorum operum mater eſt & nutrix, exiſtere quidem poſſe ſed mortuam, id eſt, otioſam atque inertem infructuoſam, inutilem. Non ita mortua eſt ſine operibus, quaſi non ſit, quâ ratione dicitur homo mortuus, ſed quâ ratione dicitur corpus mortuum, quod eſt animâ deſtitutum, vt ipſe D. Iacobus expli-
C 2. v. 26. cat: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt*, id eſt, otioſa inutilis ſine motu atque operatione. Apoſtolus autem Paulus non obſcurè fidem à charitate
1. Cor. 13. 2. ſeiungi poſſe demonſtrat, ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: ſi fides miraculorum poteſt eſſe abſque charitate quantò magis fides hiſtorica aut quæcumque inferior, quæ nondum ſit euecta ad eum gradum miraculorum. Et de fidelibus
1. Cor. 6. 10. loquebatur cum diceret, *neque adulteros, neque ebrioſos, neque rapaces regnum Dei poſſeſſuros*, nec quamcumque fidem ad ſalutem neceſſariam & ſufficientem commendat, ſed quę per charitatem operatur, quod aliquando eſſe poteſt abſque charitate, ſed nihil prodeſſe. Ex Euangelio præterea proferri
Ioannis 12. 42. poteſt: *Multi crediderunt in eum ſed propter Phariſæos non confitebantur vt è ſynagog... eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Nimirum etſi præſcribat fides quid ſit agendum & animum ad charitatem comparet non ſemper tamen illa ſequitur, video, aiebat ille, meliora, pro-

boque,

boque, deteriora sequor: non semper affectus intellectui respondet, praeit intellectus, sequitur nullus aut tardus affectus. Et quemadmodum Principes illi Iudaeorum ambitione retenti sunt, ne CHRISTI fidem profiterentur, eaque fide ritè conceptâ iustitiam & charitatem assequerentur, ita multi fideles illecti blanditijs hujus saeculi, aut alijs passionibus irretiti charitatis officia negligunt: vt aegroti non semper obseruant pręscripta medicorum, nec satis est ad assequendam sanitatem nosse, quod pharmacum medicus praescripserit, nisi sumatur, & omnis morbi radix & occasio submoueatur. Ad Ecclesiasticam disciplinam plane pertinet, nosse fidem aliquando informem esse posse charitate destitutam, quae sit quidem donum Dei & habitus rectae rationi consentaneus inclinans ad actum honestum legi diuinae conformem, sed quae perfectae virtutis rationem & dignitatem non obtineat nisi accedente charitate firmetur ab eaque rationem meriti & absolutae iustitiae dignitatem mutuetur, quae sit operata atque imperata à charitate, vti reliquę omnes virtutes, tum demum propriè dicuntur virtutes, cũ charitati sunt adiunctae, & ad supernaturalem finem relatae. Christianae certè virtutes dici non debent nisi quatenus charitati copulatae, quae simpliciter bonum faciant habentem. Quâ de re S. Augustinus. Congruit hisce doctrina Tridentini; si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua: aut, & qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit. Quod capite septimo dicitur hominem in ipsa iustificatione & remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipere, per CHRISTVM, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem maximè, ante dictis consonat. Nam fides, inquiunt Patres, nisi ad eam accedat spes & charitas neque vnit perfectè cum CHRISTO, neque corporis eius viuum membrum efficit; Tum demum id praestat, cum accessu spei & charitatis velut animatur atque informatur, & euadit perfecta

L. 4. cont. Iulia. c. 3. sess. 6. can. 28. Vide & c. 6. 7. & 15.


virtus Christiana. Ex dogmate solius fidei iustificantis alij quatuor nascuntur errores. Nam primò colligunt omnes fideles posse ac debere certò statuere se esse iustos. Secundò non tantum iustos sed etiam electos & prædestinatos, cum iustificatio nihil sit aliud quam æterna Dei acceptatio ad gratiam & imputatio iustitię CHRISTI. Tertiò non posse fidem & iustitiam semel habitam vllo vnquam tempore deperdi; quare, si quis ad peccata redeat, non habuisse eum veram fidem & iustitiam. Quartò colligunt Lutherani vnum præ alio iustiorem non esse, sed omnes pares, cum iustitia ipsa sit CHRISTI obedientia fide apprehensa, à Deo Patre imputata, qui quartus error ad Stoicorum sectam pertinet alio libro refutatus: tres priores pertinent ad Epicureorum doctrinam stabiliendam, suo deinceps ordine coarguendi.



CAPVT XVII.

Fide tenendum est neminem absque speciali reuelatione posse esse certum de adepta iustitia seu remissione peccatorum certitudine fidei, cui falsum subesse non possit.

Sess. 6 can. Pro. 20 9. Eccles 9 v. 1, 2.



TA definit Tridentinum totidem verbis. Quæ definitio confirmatur ex scripturis. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* In quem locum lege quę Beda commentatur. *Sunt iusti atque sapientes & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum*

futurum seruantur incerta. Hieronymus in eum locum: inuenio iustorum opera in manu Dei esse, & tamē vtrum à Deo amentur, an non, nunc eos scire non posse. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas misericordia Dei magna est, multitudinis peccatorum meorū miserebitur.* Alloquitur nostrates Epicureos, qui misericordia Dei per CHRISTVM apprehensâ nullo deinceps metu tanguntur: de quibus Ecclef. 8. *Sunt Impij qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant, sed & hæc vanissima iudico;* Sunt planè homines vanissimi & stultissimi, vt omnis iustitię ita vt sapientiæ, & rationis expertes. Confirmatur & Tridentini definitio ab exemplo & testimonio Sanctorum, Iob, Dauidis, & Apostoli Pauli. Iob, qui de se aiebat, *non reprehendit me cor meum in omni vita mea, & tamen si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea; verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti.* Et, *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi?* Dauid qui de se quoque testatur, *In innocentia mea ingressus sum, delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est, Nolite itaque ante tempus iudicare quo ad vsque veniat Dominus qui reuelabit abscondita tenebrarum &c. & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Confirmatur ab authoritate Sanctorum Patrum, Gregorij, Hieronym. Bernardi, qui prædictos scripturæ locos in hanc sententiam interpretantur Augustini, fortasse tu nihil inuenis in conscientia tua; inuenit ille qui meliùs videt. Quamdiu viuimus hic de nobis ipsis nos ipsi iudicare non possumus, non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus. Quantalibet iustitiâ præditus sit homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum. Gregorius ad Gregoriam Augustæ cubiculariam. Quod verò dulcedo tua in epistolis suis subiunxit, importu-

Eccl. 5. v. 5 6. *C. 9. v. 20.* *C. 31. 14.* *Greg 9. moral. c. 17 & 19.* *1. & 2. adu. Pelag.* *Bern. ep 42.* *1. Cor. 4. 4.* *Serm. 23. de Verb. Dom.* *Hom. 35* *L. de perf. inst.* *Vide in Psal. 50. v. 8.*

 nam

nam se mihi existere, quoad vsque scribam mihi reuelatum
L. 6. ep. 22. esse, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem, & inutilem postulasti. Difficilem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat, inutilem, quia secura de periculis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis, qui dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Postremo confirmatur Tridentini definitio varijs rationibus, quibus nec eam fidei certitudinem haberi posse, nec ad eam habendam quempiam teneri, nec expedire vt vulgò habeatur, & reipsa non nisi à paucissimis interdum haberi conuincitur, quas rationes persequitur
C. 8 l. 3. Bellarminus. Vna mihi ratio propè demonstrationis loco proferri posse videtur. Cum supernaturalibus infusis à Deo Theologicarum virtutum habitibus, quibus iustificatio perficitur, alij quidam habitus acquisiti subseruiant (vt melior Theologorum fert sententia;) nec raro qui putantur earum virtutum actus esse supernaturales & ordinis diuini, non nisi ab ijs inferioribus gradus & ordinis naturalis oriantur; non mirum est si de iustificatione certi esse nequeamus. Scimus quidem experientia aliqua, credere nos sperare ac diligere Deum, sed non scimus an id agamus sicut oportet, an habitus & actus nostri supremam eam rationem ordinis, ac gradus diuini attingant. An non modò noster amor verè sit super omnia, sed an ob ipsam bonitatem Dei auctoris gratiæ sit elicitus, an fides sola Dei reuelantis auctoritate, spes potentia ac bonitate eiusdem vt auctor est gratię nitatur. Tum infiniti sunt animorum recessus, multæ latebræ, multæ in singula propè momenta commutationes, vt nemo de se certi quidpiam habeat & explorati. Sicut nemo pius de Dei misericordia, ait Tridentinum,
C. 9. de CHRISTI merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet sic quilibet dum seipsum suamque in-
C. 16. firmitatem propriam & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, &, quia in multis offendimus omnes,

omnes, vnusquisque sicut misericordiam diuinam & bonitatem, ita seueritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil fuerit conscius, iudicare, cum omnis humana vita non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, cuius longè sunt acutiores oculi qui solus rimatur secreta cordis. Cæterum in nullo symbolo præscribitur hic articulus de certitudine iustitiæ, & periculosus sanè foret: nam, vt ait Augustinus, in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare sanctitas. Gregorius, si scimus nos gratiam habere, superbimus. Neque tamen ex eo quod de gratia certitudinem fidei non habeamus, sequitur nos anxios semper & omninò incertos agitari: datur enim quędam media certitudo moralis, quæ non sit fidei diuinæ sed rectę rationis & humanę persuasionis, quæ pellat anxietatem ex animis, magnamque pacem & tranquillitatem afferat, longè enim maiorem pacem atque lætitiam, spem inter & metum in Catholicis bona conscientia, contritio, charitas, bonorum operum exercitatio, Sanctissimæ Eucharistiæ perceptio, interior illustratio & visitatio Sp. Sācti, generāt quam in Lutheranis temeraria illa fiducia & præsumptio. Verum de certitudine spei Christianæ mox differemus; nunc Caluini sententias aliquot expendamus, egregiè ad Epicuri sectam stabiliendam accommodatas. Sic igitur ait: Iustè constabit fidei definitio, si dicamus, esse diuinæ erga nos beneuolentiæ certam firmamque cognitionem, quę per Spiritum Sanctum reuelatur mentibus nostris & obsignatur. Dicimus enim cognitionem certam & firmam, quo solidior persuasionis constantia exprimatur. Nam vt dubia & versatili opinione non est contenta fides, ita nec obscura perplexaque conceptione, sed plenam & fixam requirit, qualis de rebus probatis & compertis esse solet, certitudinem. Paulus enim Apostolus ex fide deducit fiduciam, & ex hac rursus audaciam. Quibus sanè verbis ostendit non esse rectam fidem, vbi non est diuinæ beneuolentiæ salutisque certa fiducia. In summa verò fidelis

De corrupt. & grat. 13.

9. Moral 17.

L. 3. Inst. c. 2 §. 7.

fidelis non est, nisi qui solidâ persuasione Deum sibi beneuolum Patrem esse, persuasus est, fidelis non est, nisi qui suæ salutis sinceritate innixus diabolo & morti confidenter insultat, & sibi hac in re arrogat indubitatam diuinę voluntatis notitiam. Fidelis ergo non erat Iob, Dauid, Apostolus Paulus, quorum cum apertis sententijs pugnat hæc indubitata & certa fiducia, quę salutarem omnem excludat metum; sed cuiusmodi est illa definitio fidei, quæ nec materia constat nec forma, & fidem cum inani præsumptione confundit. Caluinus.
L. 3. Inst. c. 2 §. 19. Hoc statuendū est vbi prima vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei nobis placidam & serenā, nobisque propitiam certo intuitu incipimus contemplari, fatendum est mentibus nostris nondum instillatam fidei Caluinianę guttam, & optandum numquam instilletur, ne proculcato Dei timore superbos arrogantesque reddat prę sumptores. Iterum, nullum esse ambigendi locum de gratia Dei erga nos; Spiritum Dei contumeliosè incessere, qui temerariæ præsumptionis esse causantur indubitatam diuinæ voluntatis notitiam sibi arrogare. Item, quod si à Spiritu Dei per-
Inst. 2. §. 31. fectam reuelationem vel mendacij vel incertitudinis vel ambiguitatis insimulare, horrendum est sacrilegium, in asserenda certitudine quid delinquimus? Sanè si Caluino eiusque asseclis facta esset specialis reuelatio à Spiritu Dei, nemo eam ambiguitatis insimularet. At quæ sacris litteris continetur reuelatio diuinæ promissionis generalis est, eaque conditionata, non specialis absoluta, qualem sibi fingit quisque Caluinista
§. 40. mendaciter. Ex eodem errore est, quod coarguit eos Caluinus, qui dicunt manere in suspenso perseuerantię notitiam, nempe Sanctæ Ecclesiæ Doctores, Augustinum & cæteros, qui ex professo id asserunt; sed horribiliores sunt illæ eiusdem blasphemiæ. Nobis sic iure spondere audemus vitam æternam
L. 4. c. 17. § 2. Edit. Gall. nostram esse, cuius CHRISTVS est hæres, nec regnum cęlorum, quo iam ingressus est posse nobis magis excidere, quam ipsi; rursum peccatis nostris non posse magis damnari, quam

quam ipsum. Quam odiosa & blasphema comparatio ! cum omnis nostra salus & spes vitæ æternæ à CHRISTO proueniat. Sed Caluinus certiores & securiores nos vult esse, quam sit ipse CHRISTVS: Nam CHRISTVM de sua salute dubium & incertum facit, timidum & anxium in suâ passione; vnumquemque verò fidelem vult indubitanter de sua salute certum esse & securum; sed mentita est iniquitas sibi, & hic ipse Caluinus Caluinum refellat oportet. Sunt qui fallaci fidei simulatione non hominum oculis modò imponant, sed suis ipsorum animis, tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulentâ hypocrisi tectum est, vt seipsum sæpè fallat. Ergo ex ipsius quoq; Caluini sententia nemo de sua fide, veráne sit an falsa, nemo de remissione peccatorum per apprehensam fide CHRISTI iustitiam, certus esse omnino potest, cum certus non sit, veráne sit an simulata fides. Debuisset Caluinus certas assignare notas, quibus vera fides à fallaci discerneretur, ex quo fit vt plurimi in desperationis gurgitem præcipites ruant. Cum enim multorum sibi scelerum conscij nullo certo argumento deprehendere queant, an vera, an ficta fide sint præditi, quid superest, quam vt spem omnem salutis abijciant, & pro inani securitate quâ erant antea inflati, certam desperationem amplectantur. Ex scripturis certè, quibus se niti gloriantur, nihil vnquam certi, neq; de vera fide, neque de remissione suorum peccatorum deprehendent, si nihil credendum, nisi quod scripturis expressum, vbi id reperient expressum, cuique fideli seorsim gratiam & remissionem peccatorum diuinitus indultam, salutemque, electionem & prædestinationem cuique speciatim certò constare? qua de re proximo capite.

L. 3. c. 2. §. 10.



CAPVT XVIII.

Neminem absque speciali reuelatione certum esse de sua prædestinatione & electione.

Can 12. sess.6. EFINIT id Tridentinum; neminem mortalium de arcano diuinę prædestinationis mysterio, vsque adeò præsumere debere vt certò statuat se omnino esse in numero prędestinatorum, C. 13. &, ne quis sibi de perseuerantiæ munere certi aliquid absoluta & infallibili certitudine polliceatur, sed cum timore & tremore salutem suam operetur. Quæ doctrina an- Can. 15. & 16. nexo anathemate confirmatur. Cum non simus certi de pręsenti nostra iustitia, vti iam demonstratum est, multò minùs certi de futura, & perseuerante vsque ad mortem iustitia esse possumus: si rerum omnium futurarum contingentium tanquam maximè abditarum scientia soli Deo tribuitur, multò magis futurus status singulorum hominum soli Deo perspe- Ioan.13. 18. ctus erit, vt cum ait: *Ego scio quos elegerim. Cognouit Dominus qui sunt eius.* Prædestinatio maximè pendet à perseuerantiæ 2.Timot 2.19. munere, & vltimo velut effectu morte obitâ in Dei gratia. At quis sibi spondere potest hoc perseuerantię donum; de quo 1.Cor.9. 27. D. Paulus videtur ambiguus fuisse, *Ne fortè cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Prædestinatio duplicem includit electionem: Ad gratiam congruam planè gratuitam toto vitæ decursu quæ ex sola Dei voluntate dependet; ad gloriam, quę pendet ex meritis & nostra cooperatione ad vsque vitæ finem.

At

At nemo scire potest neq; an ei semper obtingat gratia cōgrua & efficax, neq; an eidē sit pro sua libertate arbitrij cooperatu-rus. Altū est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Tanta est arbitrij liberi mutabilitas & inconstantia, tanta est naturæ primi parētis peccato deprauatę corruptio & tanta viriū animi corporisq; imbecillitas tā sunt frequētes & vehemētes à mūdo, carne, dęmone tentationū insultus, vt de se & alio nemo sibi quidquā certi polliceri queat; hoc illud est diuini cōsilij secretum, de quo Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. Nec immerito huiusmodi rerum inquisitionem inhibet Ecclesiasticus. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Sufficit cuique cognitio viæ qua ad electorum gloriam peruenitur, quam viam si teneat, certissimè ad eius metam optatissimam attinget, via illa est mandatorum Dei obseruantia, hoc fac & viues & eius electis & prædestinatis annumeraberis. Quia vocati sumus, inquit D. Gregorius, nouimus; si simus electi, nescimus; quia nemo scit quid de se in occultis Dei iudicijs agatur. Quibus verbis duplex innuitur ratio huius incertitudinis, altera ex nostri status instabilitate, altera ex Dei voluntate, quę non potest nobis esse perspecta. Ob eam maximè causam hortatur Apostolus vt cum metu & tremore salutem quisque suam operetur, quia *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro sua voluntate. Et tu fide stas, noli altum sapere, sed time, si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Qui se existimat stare videat ne cadat. Timeamus ne fortè relictà pollicitatione introeundi in regnum eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et alia sexcenta loca, quibus iubemur timere, ne à iustitia & salute excidamus. *Seruite ei in timore*, aiebat Dauid, *& exultate ei cum tremore.* Et de se, *ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Plurimus est in hoc argumento Sanctus Augustinus: Deus melius esse iudicauit quosdam miscere non perseueraturos, certo nu-

Rom. 11. 33. Eccl. 3. 3. Philip. 2. 13. Rom. 11. 20. 1. Cor. 10. 12. Heb. 4. 1 Apoc. 3. 11. Psal. 2. 11. Psal. 50 13. L. de dono perseue. c. 8.

mero sanctorum suorum vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas non possint esse securi. Item, quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Sathanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphisaretur Apostolus. Et alibi de iustis loquens, qui licet de suæ perseuerantię præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuq; iustitiæ perseueraturum vsq; in finem sciat, nisi aliquâ reuelatione ab eo certus fiat, qui de hac re iusto latentiq; iudicio non omnes instruit, sed nemine fallit. Similis locus apud Hieronymũ & apud D. Leonẽ, contristatos fuisse discipulos non de conscientiæ reatu sed de humanę mutabilitatis incerto, quando audierunt, vnus ex vobis me tradet. Bernard. Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero electorum, certitudinem vtique non habemus, sed fiducia consolatur nos. Et, Interim glorietur in spe, nondum tamen in securitate. Caluiniani non aliâ lege Deo seruire volunt, nisi prius velut obsignatis tabulis certi sint de sempiternæ fælicitatis mercede, qualescumque tandem sint futuri, esto nihil in omni vitâ diuino eius numini gratum acceptumque pręstent. At verò Orthodoxi tanquam parenti optimo ingenui ac nobiles filij aut Domino clementissimo famuli liberales obsequium omne suum deferunt, nihil de eius misericordia liberalitate ac munificentiâ ambigentes, omnem suam curam & sollicitudinem in eum proijcientes, de seipsis minimè anxij, in magna pace & tranquillitate vitam agentes: nam quid est pax nisi tranquillitas ordinis, ex Augustino? si igitur nos qui serui sumus, cum Domino seruimus ex animo, neque in illius arcanis consilijs, quę sibi soli cognita esse voluit, explorandis, curiosi nimium esse volumus locum nostrum & ordinem tenemus, an non in summâ pace viuamus? si nos malus dæmon in desperationem velit impellere, actum

De corrup. & gratia. c. 13.

L. 11. ciuit c. 12

L. 2. cõt. Pelag.

Serm. 7 de Passio.

Serm. 1. de Septuag.

Ep. 107.

L. 19. ciuit. 13.

de nobis, nisi certi de fide teneamus nos à Deo prædestinatos, ipsius fidei scuto telum hoc eius repellimus, nostrum non esse in diuina & recondita consilia penetrare, bono tamen animo ac pacato esse oportere, quia misericordem habemus Dominum, illi vitam nostram omniaque studia & instituta committenda, vt pro sua sanctissima voluntate disponat, vt ille in vitis Patrum, meliorem Dominum, cui seruiam non inuenio, certum est mihi quod est vitæ reliquum in illius cultum & honorem impendere de me, quod voluerit, statuat, ego illum numquam deseram, nec illi Dominum alium anteponam. Non potest, non huic optimæ voluntati respondere par & longè profusior diuina liberalitas & munificentia; sed quæ sit certitudo spei Christianæ, iam ex Theologiæ principijs eruamus.



CAPVT XIX.

Quæ sit certitudo spei Christianæ, quæ dicatur certa exspectatio vitæ & fælicitatis æternæ.



AD pleniorē vtriusq; præcedentis capitis explicationem, & eorum, quæ solent hæretici nobis opponere, dissolutionem, expedit nosse, quam certitudinem afferat spes nostra Christiana, hæc enim spei certitudo sacris literis sæpè celebratur. *Spes non confundit. Scio cui credidi.* Et, *certus sum, quia potens est depositum meum seruare. Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad*

Rom. 5. 5.
2. Tim. 1. 12.
Hebr. 6. 18.

mus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus
Eccl. 2. 11 12. *animæ tutam & firmam. Nullus sperauit in Domino & confusus est, quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est. In te*
Ps 21. 5 *sperauerunt patres nostri & non sunt confusi.* Et passim beati prędicantur *qui sperant & confidunt in Domino.* Triplex assignari solet à Theologis certitudo. Vna conditionalis, qua quidpiam certum dicimus non absolutè, sed positâ hypothesi, consecuto euentu, vt filium Patris hęredem fore si illi superstes sit, & nihil dignum exhæredatione committat. Altera moralis & naturalis, quâ certum, dicitur quod naturæ impulsu vel determinatione animi ac propensione constituitur, & velut perpetuò fit vno eodemque modo, quomodo certum dicitur quod iustus iustè, sobrius sobriè agit: Est enim virtus naturę similis. Tertia perfectissima quæ secludat omnem formidinem & hæsitationem, cui subesse falsum non possit vllo modo, qualis est fidei certitudo, & quomodo certa dicuntur prima scientiarum principia. Moralis excludit omnem anxietatem non tamen dubitationem, nec eiusmodi est quæ fallere non possit. Prima item deficere potest hypothesi deficiente. At tertia hæc est absoluta & nullâ additâ vel intellectâ conditione. Prima certitudo conditionalis, quia spei competat ambigi non potest; omnis enim qui sperat vitam ęternam, certus est omni exclusa dubitatione se ad eam peruenturum, si fecerit ea quibus vita æterna promittitur, si conditionem adimplerit in obseruatione diuinæ legis, & iustitiâ ad finem vsque vitæ perseuerauerit iuxta diuinas promissiones quæ non sunt absolutæ sed

Ps. 33 9 Pro. 16. 20 Ierem. 17. 7.

Matth. 19. 17. conditionales, *si vis ad vitam ingredi serua mandata. Si volueris mandata seruare conseruabunt te. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Altera certitudo moralis seu naturalis spei quoque conuenire ex aliarum virtutum similitudine demonstratur. Nam quemadmodum temperantię virtus ita afficit animum temperantis, vt eum iactari fluctibus cupiditatum non patiatur, sed ad sobrias, pudicas actiones promptè, constanter, ac certò propellit, ita virtus spei non sinit animum

Eccl. 15. 16. Matth. 24. 13.

sperantis,

ſperantis, vel inordinatō timore, vel noxiâ pręſumptione fluctuare, ſed certo motu ſuauique impetu ad æternam vitam ac fœlicitatem ex Dei gratiâ meritiſque exſpectandam dirigit & ſuſtollit. Tertia certitudo non perfectè, ſed ex parte dumtaxat ſpei congruit, nam quâ parte nititur diuina potentia veritate, bonitate, charitate, miſericordia erga genus humanum, abſoluta eſt excluditque omnem dubitationem, quâ parte tamen reſpicit obſeruationem diuinæ legis, iuſtitiam & perſeuerantiam noſtram, tanquam medium ad finem neceſſarium, vel ipſam ſalutem tanquam finem & rem ſperatam, illâ abſolutâ certitudine deſtituitur, quia poteſt homo per liberum arbitrium à iuſtitiâ excidere. Primam & tertiam certitudinem mutuatur ſpes à fide, ſecundam ex ſua natiuâ obtinet conditione. Hinc deducitur diſcrimen ſpei Chriſtianæ, & humanæ, & cur diuina nos ſcriptura hortetur, ne ſperemus aut confidamus in hominibus aut Principibus ſed in ſolo Deo: Cum enim omnis homo ſit & impotens & mendax, efficitur vt neque ex parte potentiæ, neque ex parte voluntatis humana ſpes certa eſſe queat, quamuis impleretur conditio quam promittens exigebat; fieri enim poteſt, vt vel non poſſit, vel nolit implere promiſſum, quorum neutrum in Deum cadere poteſt. Confunderis, ait S. Auguſtinus, quia fefellit te ſpes poſita in mendacio: omnis enim homo mendax, (dupliciter mendax & fallax tam potentia quàm voluntate) ſi autem ſpem tuam ponas in Deo, tum non confunderis, quia ille in quo ſpem poſuiſti, fallere non poteſt aut falli. Et, tam certus eſſe debes de requie & fœlicitate, & æternitate ſi feceris præcepta Dei, quam certus eſſe debes de interitu, de ardore ignis ęterni, de damnatione cum diabolo ſi contempſeris pręcepta eius. Denique, ſpes noſtra tam certa eſt quaſi iam res perfecta ſit: neque enim timemus promittente veritate: veritas nec falli nec fallere poteſt, bonum eſt vt hæreamus illi, illa nos liberat, ſed ſi manſerimus in verbo eius. Ex parte Dei abſolua eſt certitudo, ex parte noſtrâ conditionata quæ ſenſim vt

Ierem. 17. 5. Pſ. 117. Iſai. 31. 1.

Conc. 2. in pſ. 36.

In pſal. 99.

Præfat. in pſal. 121.

vt illæ conditiones implentur, euadit propemodum absoluta. Ad eum certè gradum aspirat & pertinet quem habere potest certitudo non fidei diuinæ sed humanæ & moralis, qualis ex regulis prudentiæ concipi potest certitudo fiduciæ, qua ex principijs vniuersalibus ad particularia deuenitur, quâ promissionem Dei generatim factam, sibi speciatim applicat, quod in se conditiones eas cernit impletas quibus illæ generales promissiones erant illigatæ: maior quidem certissima est fide diuinâ, at minor quæ subsumitur non omninò certa est, tamen probabilissima, ex regulis prudentiæ Christianæ planè credenda; quare & eam certitudo prudentię plena consequitur, quantum & res humanitùs explorata esse potest & debet. Sed quęrat quispiam, cui magis indulgendum affectui, spei an timori? Quamdiu versamur in hac militia & peregrinatione, spem inter & metum dimicandum est, ac decurrendum, vt nec spes timorem, nec timor spem excludat, vt beati dicuntur qui sperant in Domino, ita & beati qui timent

1. Ioa 4. Dominum; Beatus homo qui semper est pauidus. Deus in quantum pietate Patris indulgens semper & bonus est, tantum

Serm. de lapsis. Iudicis maiestate metuendus, ait Cyprianus. Peccatoribus aut ijs qui recenter emerserunt è statu peccati, magis videtur timor conuenire, quibus diuina ira vel vindicta potiùs quam

Eccl. 5 7 misericordia & clementia proponenda. In peccatores respicit ira illius, cæteris tamen ordinariè spes magis congruit: nam timor oritur ex consideratione nostrę infirmitatis, spes nititur omnipotentia & bonitate Dei, qui nostram potest infir-

Eph. 3. 20. mitatem erigere & confirmare. Potens est Deus facere supra quam possumus aut intelligimus, & ipse abundantiâ pietatis merita supplicum excedit & vota. Eiusque proprium est misereri semper & parcere. Itaque sacrę litteræ crebriùs & effi-

7. In Isai. 28. Serm. 5. de Nat. caciùs ad sperandum quam ad timendum hortantur. Breuiter & scitè S. Augustinus, Deum timendum esse sed plus amandum. Idemque docent Hieronymus, & Bernardus.

CAPVT

CAPVT XX.

Fidem & iustitiam seu charitatem non esse propriam electorum, semelque habitam amitti posse.



CALVINVS, solos, inquit, electos, semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt numquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum. Et, hoc interim tenendum est, quamuis exigua sit & debilis in electis fides, quia tamē Spiritus Dei certa illis arrha est, & sigillum suæ adoptionis numquam ex eorum cordibus deleri posse eam scripturam; quare plurimos affirmat decipi qui se fidem habere credunt, cum nihil habeant nisi fidei vmbram & simulacrum. Ex qua doctrina, aut desperationem, si quis fallatur, aut securitatem desperatione peiorem consequi necesse est. Quæ eadem erat Iouiniani doctrina vt refert S. Hieron. nititur approbare eos qui plena fide à baptismate renati sunt à diabolo non posse subuerti. S. Augustinus, hominem post acceptum regenerationis lauacrum non posse peccare, eo nimirum peccato, quo gratiam regenerationis amitteret. Iure damnatur à Tridentino pluribus capitibus & canonibus, præsertim decimo septimo, quo dicitur anathema ijs, qui iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dicunt, reprobos verò vocari quidem, sed gratiam non accipere, & ei qui hominem semel iustificatum dixerit ampliùs peccare non posse neque gratiam amittere, atque adeò eum qui labitur in peccatum, numquam verè fuisse iustificatum. Pugnat Caluini doctri-

L. 3. Inst. c. 2. § 11.

Hæres. 82.

6. Sess. 17. can.

N na

na cum apertissimis in sacra scriptura celebratissimisq; exemplis, Angelorum præuaricatorum, primorum parentum, Saulis, Dauidis, Salomonis, Apostoli Petri, Iscariotis, aliorumq; CHRISTI discipulorum, & primitiuæ Ecclesiæ fidelium, quos notat Apostolus Hebræ. 6. Quos constat à gratia & iustitia semel adepta excidisse. In Apocalypsi cuidam dicitur, *charitatem tuam primam reliquisti, memor esto vnde excideris*, & de discipulis quorum nomina scripta esse in cælis dixerat Dominus, quoad præsentem nempè iustitiam, quidam abierunt retro. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eũ*, non potest esse palmes nisi aliquando vixerit in vite ex eaque radice iustitiæ succum traxerit, sed si desinat ferre fructum, colligent eum sua improbitate arescentem, & in ignem mittent & ardet. Omissione boni operis charitatem exstingui docet idem S. Ioannes. *Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Pugnat igitur cum S. Scripturæ testimonijs & authoritatibus; quibus adijci possunt aliæ complures. *Quidam circa fidem naufragauerunt. In nouissimis diebus discedent quidam à fide. Quã quidam appetentes errauerunt à fide*, & consequenter à charitate quæ sine fide & spe subsistere non potest: nam fides initium est, fundamentum & prima radix iustitię Christianæ, quam spes consequitur, quæ & ipsa potest esse informis & mortua: demum accedere debet charitas quę vita est animę & forma totius iustitiæ Christianæ, quæ tamen & ipsa potest amitti quouis peccato lethifero & pœnitentia recuperari. Pugnat cũ Sanctorum Patrum scriptis quibus contra Nouatianos docẽt post baptismum lapsos per pœnitentię sacramentum reconciliandos; vt Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, atque hic docet disertè dedisse Deum quibusdam fidem, spem, dilectionem, quibus non dedit perseuerantiam. Credendum est quosdam de filijs perditionis non accepto dono perseuerandi vsque in finem in fide quę per dilectionem operatur, incipere viuere & aliquamdiu fideliter & iustè viuere &

Hebr. 6 & 10. Apoc. 2. 4. Luc. 10 10 Ioan. 15 2. 1. Ioan. 3. 17. 1. Timo. 1 19. 1. Timo. 4 1. 1. Timo. 6. 21. L. de corrept & grat. c. 8. & 9. c. 13.

uere & postea cadere neque de hac vitâ priusquam id eis contingat, auferri. Gregorius. Quis intelligat quod alius Catho- 30 Mora. 32.
licæ matris ventre proditus iuxta vitę terminum erroris voragine deuoratur, alius autem vitam suam in Catholicâ pietate consummat, qui ortus in perfidiâ cum lacte matris hauserat virus erroris. Pugnat cum egregijs à Domino prolatis parabolis, ouis aberrantis, drachmæ perditæ, filij prodigi, cui prima stola restituitur clementissimi Patris indulgentiâ, spiri- Luc. 15. 22.
tus immundi, qui domum ex quâ fuerat eiectus, assumptis septem nequioribus repetit, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Seminis, quod incidit in petrosa & secus Matth. 13.4.5.
viam aut terram spinis obsitam. Pugnat cum alijs CHRISTI documentis, quibus nos ad perseuerandum, ad vigilandum, orandum ne intremus in tentationem adhortatur, pugnat cum scripturis quæ lapsos inuitant ad pœnitentiam, quæ à peccatis absterrent, quæ priora iustitiæ opera in obliuionem venire coram Deo tradunt, si quis Dei præcepta transgrediatur, & contra si redeat ad pœnitentiam reuiuiscere. *Cum auerterit se* Ezech. 18.26.
iustus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, morietur &c. Pugnat cum experientiâ, quâ quotidie nonnulli ex Catholicis hæretici fiunt & Apostatæ, & ex hæresi quandoque ad fidem Catholicam redeunt; *Ex vobis ipsis,* inquit Apostolus, *exurgent* Act. 20. 30.
viri loquentes peruersa. Et, *Hymenæus & Philetas à veritate exciderunt*, semperque hactenus Ecclesia aduersus Nouatianos 2 Timo. 2.18.
pœnitentes quoscumque etiam relapsos hæreticos, ad pœnitentiam recipiendos esse docuit. Denique pugnat cum ratione: nam quamdiu Deum clare non conspicimus nihil vetat, quin voluntas alicuius boni creati appetitione Deum deserat: Ipse habitus fidei non excludit actum contrarium vel infidelitatis, vel odij atque inuidiæ fraternæ, at fides amittitur contrario actu infidelitatis & charitatis quocumque peccato lęthifero. Quis dicat infantes in Baptismo iustificatos, aut etiam ante baptismum ex Caluini sententia, esse omnes electos & prædestinatos, aut quis non desperabit, si præsens gratia &

 iustitia

iustitia vera non est nisi quis persuaserit certâ fide se perseueraturum. Nam quotus quisque est qui id sibi certò persuadere queat? Quis sibi aliquid certi de se aut alijs in posterum
Prou. 27.1 diem polliceri possit? *Ne glorieris in crastinum*, inquit sapiens, *ignorans quid superuentura pariat dies*. Et, *Ante mortem ne laudes*
Eccl. 11 30. *quemquam*. Et D. Iacobus, *ignoratis quid erit in crastino*. Quare
Iacob. 4. 14. ad sectam Epicureorum vtraque viâ à dextris & sinistris & præsumptione & desperatione certissimè deducit Caluini doctrina, quod planius fiet proximo capite. Quæ contra pos-
L. 3. c. 15. sunt obijci habes apud Bellarminum, scripturæ testimonia, id vnum probant, charitatem amissam difficillimè recuperari posse, eâ certè cum plenitudine, & indulgentia remissionis omnis culpæ & pœnæ, quæ primitùs in baptismo collata fuerat: nam alterum præsidium atque adiumentũ recuperandæ per sacramentum pœnitentiæ laboriosius est Baptismo, semperque à remissa culpa pœnæ aliquid temporalis exsoluen-
Heb. 6.9 dum superest. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutemque venturi sæculi, & prolapsi sunt, renouari iterum ad pœnitentiam*, id est, difficillimum, & rarissimum, & voluntariè peccantibus nobis post acceptam veritatis notitiam iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij &c.

Plerique interpretes docent agi de impossibilitate repetendi baptismi [illegible] de gratia regenerationis [illegible] non iteranda [illegible]
In eo differt Sacrum Pœnitentiæ a Baptismo [illegible]

CAPVT

[illegible]



CAPVT XXI.

Hæreticos & desperatione & præsumptione in omnia vitia & flagitia præcipites agi.



DIVVS Augustinus multis disputat de duplici præsumptione, tum propriæ iustitiæ, tum misericordiæ Dei: duplexque ait esse præcipitium in flagitia & peccata. Præsumptio de iustitia quasi dextera est, cogitatio impunitatis peccatorum quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis, ne declinetis in dextram aut sinistram, ne præsumas ad regnum de iustitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Ab vtroque te reuocat præceptum diuinum, & ab illa altitudine & ab ista profunditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis, hîc si lapsus fueris, demergeris. Non venerat S. Augustino in mentem illa confidentia seu præsumptio de iustitia imputatiua CHRISTI, quæ non magnopere distat à præsumptione de misericordia Dei. Sed quæ præcedunt apud Augustinum, videamus quam aptè coarguant Lutheranos & Caluinianos. Anceps animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmitatis & audaciam præsumptionis hinc atque inde contunditur, & ita impellitur vt ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Lutheranis & Caluinianis non hæret anceps animus, nec in alteram, sed in vtramque præcipitij foueam se conijciunt. Si enim infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit, vt

Præf. in Psal. 31.

Deut. 5. 32.

N 3 dicat,

dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fideliū iniquorum, id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt, quidquid vis faciā, quibuslibet facinoribus & flagitijs inquiner quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordiâ suâ, quia credidi in eo. An non hæ sunt voces Lutheranorum & Caluinistarum malè de se præsumentium & ad interitum suum misericordia Dei abutentium, & necesse esse vt damnentur. Talis cogitatio præcipitat hominem quâ quisque terretur, si se in audaciam quandam præsumptionis erexerit & proposuerit animæ implere iustitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege ita facere vt in nullo offendat; atque in potestate sua se habere vitam suam, vt omnino nusqnam labatur, nusquam deficiat, nusquam titubet, nusquam caliget, sibique hęc tribuat & potentatui voluntatis suæ. Etiamsi fortè impleuerit omnia quæ iusta videntur coram oculis hominum, ita vt nihil inueniatur in vitâ eius, quod possit reprehendi ab hominibus, ipsam præsumptionem iactationemque superbiæ damnat Deus. Damnat omniuò non modò inanem & falsam de sua iustitia sed multò magis commentitiam hęreticamque de Iustitia CHRISTI, de sola fide iustitiam apprehendente. Quid igitur si se homo iustificauerit & de iustitia sua præsumpserit? Cadit si considerans & cogitans infirmitatem suam, & præsumens de misericordia Dei neglexerit vitam suam mundare à peccatis suis, & se omni gurgite flagitiorum demerserit, & ipse cadit. Planè vtrimque cadit Lutherus, & de Iustitia CHRISTI, & de misericordia Dei præsumens. Quid mirum cum peccet & non peccet? peccat sed peccatum non imputatur. Præditus sit iustitiâ & non sit præditus, caret omni iustitia coopertus omni iniustitia, & tamen si Deo placet, illi iustitia CHRISTI per solam fidem imputetur. Idem Augustinus commemorat aliud duplex præcipitium & periculum, à nimiâ spe & à desperatione, cui

In psal. 144.

sanè

sanè hæc sese Caluini Lutherique secta inuoluit. Magna eius misericordia in hoc quod diem vitę tibi incertum fecit, vt nescias quando hinc emigrabis, & cum quotidie speras, te aliquando conuertas. Certum si statuisset diem omnibus faceret abundare peccata de securitate, quantò magis, si cuiq; certa sit salus, sua meta, electio, certa prędestinatio. Dicit ergo spem veniæ (non certitudinem) nec desperando amplius pecces, & desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodò vtrique voci occurrit prouidentia & misericordia Dei: simul videte quomodo vtrique præcipitio se implicet Lutheri, Caluinique schola, si quisq; electus certus est de suá electione, nec de eâ potest ambigere, consequitur, vt qui eam animo certam fiduciam non potest concipere, qui non habet id exploratum, sit reprobus, inter reprobos se annumeret & desperet. Audi igitur vocem huius desperantis. Iam damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis inani fiduciâ de CHRISTI imputatione meritisque fide apprehensis conceptâ, misericordia Dei magna est quando me cōuertero, dimittet mihi omnia, quare non facio quod volo? Imò iustitia CHRISTI Domini infinita est & inexhausta, sat est illam à me concipi & apprehendi fide, illam mihi Deus Pater imputabit, quare non facio quod volo? Desperat vt peccet, sperat vt peccet, vtrumque metuendum, vtrumque periculosum: vę à desperatione: væ à peruersâ spe! Ex Caluini doctrina, quî potest euitari desperatio si quis certâ illa præsumptione iustitiæ CHRISTI careat, vel peruersa spes, si prędítum se illâ censeat? Tollatur igitur è disciplina Christiana omne pœnitentiæ & continentiæ studium, cum Deus quoque fatali subiaceat necessitati, & quosdam absoluta voluntate reprobet & damnet, quibus CHRISTI iustitiam non imputat, alios absque pręuisis vllis meritis & perseuerantia in gratia, & iustitia saluet ac beet. Si Deus antecedenti & absoluta voluntate

quosdam

quosdam prædestinet ad gloriam, quosdam ab eâ reijciat, & reprobet, consequitur vt & prędestinati possint inaniter sperare, & reprobati debeant omnino desperare. At longè aliter huic vtrique peccato & vtrique malo occurrit misericordia Dei. Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare, iam damnandus sum, quare non facio quod volo? Audi scripturam, *nolo mortem impij, tantum vt conuertatur & viuat.* Hac voce Dei reducitur alius in spem, sed timendus alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo tu dicebas, qui spe magis peccas: quando me conuertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quidquid volo; Audi & tu scripturam, *ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Sed vt hominem Lutheranum de CHRISTI iustitiâ confidentem compellemus, audi & tu scripturam, *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, &c.* Si qui in CHRISTI nomine miracula patrârunt, tamen abijcientur, discedite à me operarij iniquitatis, quantò magis qui peccatis omnibus inquinatus de commentitia CHRISTI iustitiæ imputatione præsumit?

Ezech. 18.33.

Eccl. 5.8 9.

Matth. 7.21.23



CAPVT XXII.

Aliud præcipuum dogma paradoxum huius temporis Epicureorum, nullam esse necessitatem bonorum operum.



VAMVIS implicent se contrarijs pronuntiatis hæretici, & vehementer, tum cum alijs, tum ipsimet ipsi secum homines eiusdem disciplinæ diffidant nō intelli-

intelligentes, quid loquantur, tamen eiusdem disciplinæ in tollenda bonorum operum necessitate conspirant, & perspicuæ sunt Lutheri & Caluini sententiæ ex illo principio solius fidei iustificantis omninò deriuatæ. Lutherus, bona opera non faciunt bonum virum, nec mala malum; vt infideli nullum opus prodest ad salutem & iustitiam, sic è diuerso, nullum opus malum facit, malum & damnatum, sed sola infidelitas. Et, vides quam diues sit homo Christianus baptizatus, vt etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis modò velit credere: nulla enim peccata possunt eum damnare nisi sola incredulitas. Et, vbi fides est, nullum peccatum nocere potest. Ego dico tibi quia angusta est via, oportet te fieri tenuem si vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati sunt sicut conchilijs onustos videmus Iacobi peregrinos, non poterunt penetrare. Et si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioquin non poteris penetrare. An non sunt hæc Epicurea paradoxa? Caluinus tectius suam mentem ambagibus verborum inuoluit; non ita tamen, quin appareat. Libertatem Christianam tribus in rebus sitam, ait, primum in eo, quod vbi fiducia iustificationis quæritur, nulla legis vel operum ratio habeatur; Deinde vt opera fiant, non tanquam examinanda ad regulam legis, sed tanquam acceptanda à Deo, qualiacunque sint, siue bona, siue mala, siue flagitia. Denique in eo vt omnium rerum externarum vsus habeatur pro indifferenti, ita vt nulla quis religione tangatur, siue ea vsurpet, siue omittat. Ex qua doctrina rectè Bellarminus infert. Quis non videat, quam latè porta sceleribus omnibus & flagitijs aperiatur. Quis ambigat nulla bona opera esse necessaria, si res omnes externæ etiam baptismus & Eucharistia adiaphoræ sunt, si nullum opus ad legis regulam examinandum, &, si nullum nòn flagitium & scelus turpissimum sit à Deo certissimè tanquam opus pietatis acceptandum. Planè tollitur omnium operum discrimen, vt nulla sint bona, nulla mala, nulla laude & præmio, nulla vi-

L. de libert. Christi.

L. de capti. Babylo. c. de Baptis.

Serm in illud sic Deus dilexit mundũ.

tuperatione & supplicio digna. Tollitur omnis vis & differentia legum, nullę sint quibus virtutis officium iubeatur, nulla quibus flagitium inhibeatur, nulla sint affirmatiua, nulla negatiua pręcepta. Omnis omninò bonitas moralis & malitia detrahitur operibus quæ omnia sunt media & indifferentia, vt nihil intersit, an ea quis omittat, an vsurpet: Breuiter, nihil homines ratione præditi à brutis pecudibus differant, prætérquam sola fide si Luthero & Caluino credimus. Quam disputant eorum sectarij bona opera esse necessaria necessitate pręsentiæ, non efficientiæ, verborum sunt ambages fallendi & illudendi causa: nam si non sunt necessaria, necessitate efficientiæ, si nihil ad iustitiam & salutem conferunt, nec erunt necessaria necessitate præsentię. Esto per accidens seiungi non possint à fide (quamquā iam contrarium statuimus) tamen nulla necessitas operū inde colligitur, si nullus sit eorum effectus in parandâ, tuēdaq; iustitia. Caluinus erroris huius de fide iustificāte absq; operibus Apostolū propugnatorē ac præconē facere nititur. Quid sibi, amabo, volunt istę locutiones, sine lege manifestatam esse iustitiam; iustificari gratis hominem, & sine operibus legis? Hîc ingeniosum subterfugium habent, quod tametsi non excogitarunt ipsi, sed ab Origene & quibusdam veterum sumpserunt: ineptissimum tamen est, (nempe ineptissimo auctore Caluino veteris Ecclesiæ auctoritatem proculcante) opera legis cærimonialia excludi garriunt, non moralia. Imò & moralia quæ fidem antecedunt, quę ex viribus naturæ pręstantur, quę non oriuntur ex gratia. Quā de re plenius Tridentinum, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue ipsa opera iustificationis gratiam promerentur, si enim gratia est, non ex operibus, alioqui, vt idem ait Apostolus, gratia, non est gratia. Quare cum excludit opera, intelliguntur antecedentia fidem & iustificationem, non consequentia; excluduntur opera ex solis naturæ viribus edita, non ex gratiæ beneficio elicita vt pluribus explicat D. Augustinus. Non sunt sibi aduersi

L. 3. c. 11. § 19

Rom. 11. 6.

L. 83. q. & ps. 31

uersi Apostoli, Paulus, qui Abraham ex fide, non ex operibus iustificatum tradit, & Iacobus commendans eximium illud opus Abrahæ, quo filium suum immolare paratus fuit. Magnum opus sed ex fide, laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Alioquin & ipsum fidei opus est ex Dei dono profectum: longeque maior ea laus est & commendatio gratiæ per CHRISTVM partę, quod per eam bona opera edamus, quam quod omni bono opere careamus. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem: si enim hoc præter fidem certum faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecumque illud opus esset. Rursum si sic fidem teneret Abraham, vt cum ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum, non facio & tamen credo, quia me etiam contemnentem iussa sua liberat Deus, fides sine operibus mortua esset, & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret. Secum ipse pugnat Caluinus, qui docet iustificationem sine operibus nō constare, bonaque opera nostra non tantum accepta esse Deo, *L. 3. c.* sed remunerationem etiam habitura. Denique bona fidelium 17 § 8. opera causas esse, cur illis Deus benefaciat. Et rursus, Domi- C.14.§. num opera tanquam salutis nostræ causas inferiores amplecti. 21. Fatetur Lutherus enumerari non posse loca scripturæ, in qui- C.15.§. 3. bus opera requiruntur: sunt enim plenissimæ scripturæ, præ- C.16.§. ceptorum & testimoniorum, quibus præter fidem obseruatio 1. diuinæ legis exigitur. Sed ad ea duplici ratione respondet. *In com.* Tametsi Papistæ magnum cumulum locorum sacræ scripturæ *ad Ga-* afferant, in quibus bona opera præcipiuntur, ego tamen ni- *latas 3.* hil curo omnia dicta scripturę, si etiam ijs plura adferantur. *fol.147.* 155. Tu Papista valdè quidem fastidis & ferocem facis in scripturâ, quæ tamen CHRISTO vt Domino subest, itaque nihil câ re moueor. Age sanè, famulo nitere, quantum voles, at ego nitor CHRISTO vero Domino Magistro & Imperatore scripturæ: Huic ego assentior & scio eum nihil mihi mentiturum, neque me in errorem inducturum esse. Illi hono-

rem habere & credere malo, quam vt vllis dictis scripturę vel vnguem latum à sententia me patiar dimoueri. An sobrius an ebrius hæc scripserit Lutherus, ambigi possit: nam quod aliud habet scriptura certius & apertius CHRISTI Domini testimonium? An scriptura non est eius expressum verbum? sed quænam altera est responsio. Vt verba scripturæ interpreteris ironicè dicta; Hæc tibi norma & regula esto, quam in scripturis sacris intelligendis sequaris. Vbicumque scriptura iubet bona opera facere, tu id sic intellige, quod scriptura prohibeat, (semper per antiphrasin loquitur) ita CHRISTI verba, hoc fac & viues, aut esse ironiam, quasi diceret, fac modò si potes, si feceris eris mihi magnus Apollo; Ad Græcas Kalendas facies; quę eadem est responsio Caluini. Sed quem non delectet præclara hæc Lutheri Doctoris eloquentia & sapientia: ergo & alias eiusdem sententias adijciamus. Nam si vera est gratia (per quam à Deo iustificari cupis) verum non fictum peccatum ferto; Deus non facit saluos fictos peccatores: Esto peccator & pecca fortiter, sed fortis fide, & gaude in CHRISTO, sufficit, quod agnouimus agnũ, qui tollit peccata mundi. Ab hoc non auellet nos peccatũ etiamsi millies vno die fornicemur, aut occidamus. De seipso: doctori Stampelio sæpè confessus sum, non de mulieribus (nam id erat minutum & leue peccatum) sed verè atrocia & solida facinora; Nam vitare peccata, obest potiùs Christiano, & quęrenda est potius bonorum operum quàm malorum remissio. Itaque fortiter pecca, fortiter scortare, fortiter inebriare: nam demersus in profundum vsque ad verticem, si tantùm credis, in media beatitudine versaris, nimirum Epicurea, atque tartarea, non sana, sincera, cælesti ac Christiana. Ad hoc Epicureæ vitæ firmius stabiliendum fundamentum adijciunt alia pariter Epicurea paradoxa, sibi quidem cohærentia ac consentanea sed à veritate & religione Christianâ prorsus aliena quæ ordine deinceps breuiter exequemur.

In cõm. ps 5. to. 3. fol. 171. & Galat. 3 to. 4.

In Ep. ad Phil. to. 1. fol. 345.

In col-loq. Isbeliens. titul. de Tentat. fol. 241.

Verumenimuero quam discrepat ab hisce Lutheri delirijs Aposto-

Apostolicum documentum. *Apparuit gratia Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Sobriè, scilicet, quoad nos, iustè quoad proximum, piè quoad Deum, omnia complexus Christianæ virtutis officia, tum & finem adijciens, quò sint illa referenda. Hęc nos opera bona virtutis & pietatis, illius gratię beneficio exercita, eius diuino numini gratos acceptosque reddant, & supremo iudicij die certam adferant spem, pacem, & securitatem. Hoc ipsum prædixerat Baptistæ parens Zacharias, *daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiremus illi; in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Per eius gratiam prędìti innocentia vitę, continentiæ & pœnitentię quoad nos, iustitiæ remedio aduersus proximum, pietatis & religionis exercitijs aduersus Deum, coram ipso in eius conspectu, ad eius gloriam omnia nostra, nostra facta, dicta, cogitata ac vitæ instituta referentes. Hic sanè scopus est humanę redemptionis per CHRISTVM peractæ, & gratiæ per eum partę ac collatæ legitimus vsus & fructus.

Tit. 2. 11. 12. 13. 14.

Luc. 1. 74.



cepta. Moralem decalogi perfecit, & explicauit, rejectis falsis Pharisæorum glossematis, & quod caput est, dum gratiam ad eius impletionem largè liberaliterque suppeditauit, quæ præcipua est inter legem veterem & nouam differentia, vti mox explicabitur. Nihil notius est, quam Dominum commendare & reposcere à nobis charitatem, tum Dei, tum proximi, in quibus duobus præceptis vniuersa lex est constituta, *si vis ad vitam ingredi serua mandata, hoc fac & viues. Vade & tu fac similiter.* Sed respondent homines Lucianici, irrisores & illusores CHRISTI verborum, illum per ironiam loqui. Nempe ironicè ac iocorum hic erat locus: decebat CHRISTI maiestatem ac grauitatem ironia? An Apostoli quoque per ironiam prædicabant? *Ergo fratres debitores sumus non carni vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Cohæredes CHRISTI si tamen compatimur, si commortui sumus & conuiuemus, si sustinebimus & conregnabimus, si tamen perficitis legem regalem secundum scripturas. Sic enim abunde ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris IESV CHRISTI:* Nimirum adimpleta omni eâ virtute & conditione, quam supra memorarat: *Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri IESV CHRISTI cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum delictorum. Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando, Sic enim abundanter &c.* Non alia sanè via patet ad regnum celeste, quam hæc bonorum operum & virtutum CHRISTI Domini imprimis, tum & Apostoli-

Matth. 19.17. Luc.10. 28.37. Rom. 8. 13.14. 17. 2. Tim. 2.11.12 Iacob 2. 8. 2. Petr. 1.11. V. 5. & seqq. vsque ad 12.

Apoſto-

Apostolorum eius impressa & consignata vestigijs. Hoc igitur repudiato discrimine, præcipua differentia inter legem veterem & nouam ea est, quam explicat Apostolus, quod lex imperfecta foret, & monstraret quidem quid obseruatu & facto esset opus, sed ad id præsidia gratiæ non conferret. Aperiebat morbum sed morbi remedia non afferebat; *Per legem cognitio peccati, & peccatum non cognoui nisi per legem*, quare nec ad iustitiam perducere nec hominem sanctificare poterat; Imò ipsa inhibitione culpæ, & comminatione pœnę quodammodò magis irritabat, & ad transgressionem incitabat. At lex noua coniunctam habet gratiam, qua lex impleatur, & ad iustitiam & sanctitatem CHRISTI meritis perducamur. Lex vetus, timoris; Noua lex amoris diffusa in cordibus charitate. Lex vetus iram operatur, & quod Moysi Apostolus damnationem mortis describit, lex noua, lex gratiæ & vitę. *Litera occidit, spiritus autem viuificat*; Lex vetus gratiâ destituta occidit, quia nequit impleri, at lex Euangelica viuificat, vitamque tuetur: *Nimirum lex per Moysen data, gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est*. Moses legis veteris minister & veluti tabellarius, aut si legislator Dei vice, idem tamen & seruus, expers meritorum, quibus alijs gratiam emereretur & cōferret: at CHRISTVS minister noui testamenti, idem & Filius Dei, potestate præditus excellentię legislator est & Redemptor, auctor & dator gratiæ, quam omnibus suis largè & liberaliter impertitur. Auctor sacramentorum per quæ vti per canales, ea gratia copiosè in fideles deriuatur. Quo nomine magis etiam obstringimur oblata nobis Euangelicâ luce & gratiâ ad diuinę legis obseruationem, quam qui in veteri versabantur ad Mosaicæ, eo, inquam, magis obstringimur, quò plenius ex CHRISTI meritis gratiæ diuinæ præsidia nobis offeruntur; quò est vberior Euangelij gratia, eò etiam maior est virtutis & perfectionis huic statui filiorum congruentis obligatio: status veteris legis erat seruorum, qui timore coërcentur; At status nouæ legis est filiorum,


Rom. 3. Rom. 4. 2. Cor. 3. 6. Ioan. 1. 17.

filiorum, qui reuerentia Patris & amore ducuntur. Quo gradu perfectionis futurus status beatæ vitæ immortalis excedit præsentem vitę mortalis Euangelicũ, eodem propè lex Euangelica Mosaicam superat: sanè vt Mosaica referebatur ad gratiam Euangelij, ita & Euangelica gratia refertur ad gloriam. In lege veteri promissiones & comminationes erant temporales; In nouâ sunt ęternæ, quamquam interdum lex Moysi promittebat & comminabatur æterna, sed rariùs in noua quoque promittitur centuplum, & pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futurę. Lex vetus erat abroganda, noua sempiterna ad sæculi vsque finem perduratura. Lex vetus erat propemodum importabilis, difficilis obseruatu, noua facillima ob charitatem in cordibus diffusam, ob spem mercedis ęternæ, ob paucitatem denique præceptorum, quæ ad legem naturæ decalogum accesserunt, de Sacramentis, & de Theologicarum virtutum officijs.

Leuit. 26. Deut. 27.28. Hebr. 8. 1. Timo. 4.8.

CAPVT XXIV.

Quæ sit libertas Christiana? An fideles eximantur ab obligatione decalogi & aliarum legum?



LTERVM id est Epicureorum paradoxum ad omnium flagitiorum ac scelerum licentiam inducendam: fideles nulla lege teneri, eorum conscientiæ libertatem nullum vllius legis diuinæ vel humanę vinculum ac nexum pati, supremi iudicij sententiam minimè pronuntiandam secundum decalogum:

calogum: omnia enim qui circa Moysen, id est, decem præcepta versatur ad diabolum pertinere, lege stante CHRISTUM perire oportere. Moysem, inquit Lutherus, nec audire, nec videre volumus, Iudaico tantùm populo datus est, nec quidquam ad nos pertinet. Cum quispiam tibi proponit Moysen cum suis præceptis, tu dic, abi ad Iudęos cum tuo Moyse, ego Iudæus non sum, ne me cum Moyse inuoluas; Moysem cum sua lege ego habere nolo: est magister omnium carnificum, & CHRISTI Domini hostis. Principio notandum est quod ad nos Ethnicos & Christianos decem præcepta non pertineant, sed tantùm ad Iudæos: Hoc testatur & cogit ipse textus, cum ita loquitur; Ego sum Dominus Deus, tuus qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo seruitutis. Hoc sanè verũ est, & satis manifestũ, quod nos Ethnici non fuimus, ex Ægypto educti, ita omninò manifestum est Iudæis tantùm nõ nobis data esse decem præcepta. Hactenus Lutherus:

In Exod 20. At longè aliter CHRISTVS Dominus dę Moyse Iudæis: *Si enim Moysi crederetis, crederetis forsitan & mihi, de me*

Ioan. 5. 46. *enim ille scripsit: si autem illius literis non creditis quomodo verbis*

Deut. 18.15. *meis credetis?* De CHRISTO scripsit Moyses. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies &c.* Non minori quam Moyses, sed tantò maiori quanto seruo filius præstat Dominus IESVS auctoritate ac dignitate datam à Deo legem cõfirmauit & explicauit, vti iam diximus, reiectis prauis Pharisæorum & scribarum interpretationibus: *Ego autem dico vobis* pro potestate loqui sę significans & legem interpretari legitimo sensu, non modò de externis operibus, vt illi censebant, sed internis desiderijs ac voluntatibus intelligendam; affertque maximè vsitata exempla vtriusque tabulę, ex primâ de periurio, ex secunda de homicidio, adulterio, seu fornicatione, maiorem se à suis internam cordis, quam externam operum Pharisæorum iustitiam exigere demonstrans. Nemo dixerit Christianos non teneri lege naturali, & diuina charitatis tum Dei, tum proximi, atque ex

ex hac duplici charitate nascuntur, eaque continentur omnia decalogi præcepta. Ad charitatem Dei pertinent tria primæ tabulæ, ad charitatem proximi reliqua secundę. In vno dilectionis proximi *omnis lex*, ait Apostolus, *in vno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut teipsum*: Neque enim diligi potest proximus, quâ oportet diuinâ charitate, nisi Deus, qui causa est proximi diligendi, eadem super omnia diligatur. Et, *nemini quidquam debeatis nisi vt inuicem diligatis: Qui enim diligit proximum legem impleuit: nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut teipsum: dilectio proximi malum non operatur* (non modo malum, non operatur, sed & omne bonum proximi salutare operatur) *plenitudo ergo legis est dilectio*. At quis Christianum dixerit non teneri lege charitatis, quam toties CHRISTVS ex hac vitâ excessurus tam prolixè tam impensè velut tesseram & notam discipulorum suorum commendauit: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem*; hic fuit scopus amoris CHRISTI in nos, vt mutuum in nobis gigneret ac confirmaret amorem. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilexeritis inuicem*; An carebat Dominus authoritate & imperandi potestate? An non ille est de quo Isaias, *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos*. Iterum, *de Sion exibit lex, legem eius insulæ exspectabunt, benedictionem dabit legislator*, qui cum lege gratiam copulauit Euãgelicam, qua lex haud difficulter adimpleretur: vnus enim est legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare: non modò medicus, Redemptor, Pastor, Doctor, verum & Rex, Princeps, Dominus, Magister. Præceptor in scripturis appellatur, vt cui competat omne ius imperandi ac præcipiendi suæque disciplinę cultores arctiore quodam vinculo constringẽdi; hic enim opinor

Galat. 5. 14.

Rom. 13. 8.

Ioan. 13. 34.

33. 22. Is. 2. 3. & 42. 4. Ps. 83. 8.

Iaco. 4. 12.

Christianos arctiore decalogi obstrictos vinculo & nexu illigatos esse, quàm Iudæos. Nam ad primæuam naturæ & Dei iubentis obligationem, CHRISTI Domini decalogum insuper confirmantis ac præcipientis diuina accessit auctoritas, accessit & munifica liberalitas, quâ copiosè offeruntur diuinæ gratiæ præsidia ad eius legis obseruationem necessaria. Quis est tam impius, inquit Augustinus, qui dicat ideò se ista legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege sed sub gratia constitutus; Quis tam impius? Lutherus & Caluinus, non re sed sola appellatione Christiani. Constat decalogum nihil aliud esse quàm explicationem legis naturæ, quæ quia peccato primi parentis vitiatâ naturâ propemodum fuerat obliterata ex hominum mentibus, voluit Deus populo Hebrçorum, quem sui cultus causa specialiter sibi delegerat eandem lapideis tabulis consignatam à Moyse proponi, quâ de re præter alios Patres Augustinus crebriùs: Præcepta decalogi excepto sabbatho in nouo testamento obseruanda non dubitamus; excepto sabbatho quâ parte cçremoniale est, non qua morale, quatenus sabbatum commutatum est ab Ecclesia in diem Dominicum, planè nos obligat. De cæteris legibus diuinis, Ecclesiasticis, humanis quoque & politicis, quæ iustç sint longior foret instituenda disputatio, nullam subesse causam, ob quam ab earum obligatione censeamur exempti cum ad maiorem perfectionem nos obstringat sola Christianæ religionis institutio. Nihil verò magnopere mirandum si superiores omnes Ecclesiasticos & seculares oderunt Epicurei, obedientiç çquè ac pœnitentiç, omnisque virtutis osores, neminem illi superiorem patiuntur, nemini volentes subdi. Lutherus suis valedicens dicere consueuerat: impleat vos Dominus benedictione sua & odio Papç. Quo quidem odio quòd adeo exardescant hæretici, & non modò Papam negent CHRISTI Vicarium sed Antichristum & hostem coniuratum clamitent, an non ea est causa quod non sint de ouibus CHRISTI, quod lupi sint, non oues, nam

qu. 140. 172. in Exod.

qui

qui mitis & humilis ouicula de grege CHRISTI sit, quid optabilius ducat, quam ab eius Vicario Pastore visibili regi & in pascua deduci? Eadem illos superbia ciuilis quoque & politicæ administrationis superiores omnes renuere cogit, & quacumque possunt exstincta Monarchia Democratiam, aut Aristocratiam in quâ dominentur ipsi, per vim inducere & stabilire contendunt. Si qui Principes ijs obsistant, diris deuouent & execrantur. Testis Caluinus: Principes terreni si se contra Deum extollunt, suâ seipsi potentiâ priuant. Imò verò indignissimi sunt qui in hominum cætu & numero reponantur. Potiùs igitur illis facies conspuenda, quàm eorum imperijs obtemperandum, nisi omnem superstitionem exstirpent, & funditùs tollant: vbi per superstitionem intelligit ritus & ceremonias Ecclesiæ Catholicæ. Igitur iuxta hæreticos, lex Decalogi est impossibilis, Mosaica est abrogata, CHRISTVS nullam tulit, humana non obligat, nec Ecclesiastica quia Pontifex est Antichristus, nec ciuilis, quia Principes sunt prophani, & circa res adiaphoras versatur. At verò apud Christianos longè aliter se res habet: nam probati non desunt interpretes, qui præceptum censeant ab Apostolo nobis impositum, aut potiùs propositum aut promulgatum, omnes omninò actiones nostras ad Dei & CHRISTI Domini gloriam referẽdi, quod id exigat legis Euangelicæ professio & perfectio Apostoli verba notissima sunt, *siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite.* Et iterum, *omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *gratias agentes Deo & Patri per ipsum:* Hisce verbis non consilium sed præceptum contineri verosimile est ex ipsa conditione & naturâ legis Euangelicæ, cui tam copiosa CHRISTI gratia promissa est & annexa. Sanè cum virtutum nobis Theologicarum & moralium infusi sint habitus, neque desit crebra diuinæ gratiæ excitantis motio, æquum est ijs nos ad Dei & CHRISTI gloriam consentaneamque eius institutis, præceptis,

Inc. 6. Dani.

1. *Cor.* 10.31.

Coloss. 11.3.17.

ceptis & consilijs vitam agere. Sed quænam ergo erit libertas Euangelica? A qua CHRISTVS Dominus seruitute nos liberauit? Non est certè libertas Euangelica, libertas peccandi, aut quiduis pro libitu agendi, neque nos CHRISTVS Dominus à seruitute iustitiæ liberauit, quæ ipsa vna est ac verissima libertas, sed à seruitute peccati & mortis æternæ, quæ velut vmbra peccatum consequebatur. Tum & liberauit nos, à iugo legis Mosaicę, cæremonialem mitigando, & commutando, iudicialem penitùs abrogando, quę tametsi fuerat vtilis vni Iudęorũ populo, minimè tamen quod quærabat diuersis gẽtibus, ac nationibus in Ecclesiam congregatis: varij enim sunt variarum nationum mores, variæque indoles, tum maximè habita est ratio quod CHRISTVS spectaret alteram vitam sempiternam, ad quam nos redemerat pater futuri sæculi, præsentem non tantum æstimaret, quin eius externam pacem & tranquillitatem cuique genti & nationi pro sua conditione atque indole locorum procurandam relinqueret. Pro lege cærimoniali instituit, vti loquitur S. Augustinus, sacramenta numero paucissima, obseruatione facillima, significatione præstantissima, quibus societatem noui populi colligaret. Et alibi. Mutata sunt sacramenta, facta sunt pauciora, faciliora, salubriora, fæliciora. Legem moralem quæ eadem erat naturæ non immutauit, nisi quod ab Apostolis diem sabbati in Dominicum commutari voluit: eidem nouum adiecit vinculum, quo non tantum vt homines rationis compotes ex vi naturę, verùm etiam vt suę disciplinę cultores Christiani, Magistri sui legislatoris ac Domini pręcipientis authoritate tenerentur copiosa simul oblata gratia, quâ non difficulter impleri lex potest: liberauit itaque nos ab legis dominio & reatu ab eius iugo quo qui erant veteris testamenti, premebantur. Vt non dominetur lex tanquam seruis instans flagello, timorem semper incutiens, sed imperet liberis liberaliter obtemperare cupientibus: *non estis sub lege, sed sub gratia*, non sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen

Ep. 118. ad Ioã.

In psal. 73.

Rom. 6. 14.

men dante, inquit Augustinus, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare; & aliàs, *si spiritu ducimini non estis sub lege*, quę timorem incutiat, non tribuat charitatem. Hoc eodem sensu, *Iusto non est lex posita* quæ veluti inuitum & repugnantem coërceat, ad officium cogat, cum sua sponte feratur, obtinet in homine iusto vim directiuam, sed minimè coërcitiuam, quod eâ vti nihil sit necesse. *Ubi spiritum Domini, ibi libertas*, quæ libertas est seruitus iustitiæ, pœnitentiæ & continentiæ salutaris: *Lex spiritus vita liberauit me à lege peccati & mortis.* L. de ciu. ii. c. 3. 2. Cor. 3. 17. Rom. 8. 2.



CAPVT XXV.

Tertium Paradoxum Epicureorum legem moralem decalogi esse seruatu impossibilem.



DAMNAT hoc & superius paradoxum Tridentina Synodus: nemo quantumuis iustificatus liberum esse ab obseruatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illâ, & à Patribus prohibitâ voce vti, Dei pręcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibiliâ: nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis, *Cuius mandata grauia non sunt, cuius iugum suaue est & onus leue*: Qui enim sunt filij Dei, CHRISTVM diligunt, qui autem diligunt eum, vt ipse testatur, seruant sermonem eius, quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt. At directa fronte contra Sess. 6. c. 11. 1. Io. 5. 3. Matth. 11. 3. L. 2. c. 7. § 5.

Caluinus.

Caluinus: Quod impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitarit illi anathema denuntiare: quid visum sit Hieronymo, nihil moror: non vni Hieronymo id visum, sed & Basilio & Augustino & cæteris Ecclesię Doctoribus, sed eos nihil moratur Caluinus. Basilius in illud: Attende tibi. Impium est asserere, pręcepta Spiritus Sancti impossibilia esse obseruatu:

43. De nat. & grat. C. 69. Augustinus. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis. Iterum quomodo enim graue est cum sit dilectionis mandatum: aut enim quisquam non diligit, & ideò graue est, aut diligit & graue esse non potest. Idem August. & totidem verbis

Serm. 191. de temp. S. Hieronymus in explicatione symboli ad Damasum: Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo pręceptum & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari. Execramur & nos Catholici & profitemur legem Dei iustis hominibus esse possibilem, non quidem per solas vires arbitrij, vt maliciosè calumniantur hęretici, sed per auxilium gratię Dei, per spiritum fidei & charitatis diuinitùs infusum: de quo diuino

Ezech. 36.27. spiritu tantò ante promiserat Deus per Ezechielem. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.* Quo spiritu plenus Rex Da-

Ps. 118. 32. uid canebat, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Et Apostolus Paulus, *omnia possum in eo qui me con-*

Philip 4 13. *fortat.* CHRISTVS *passus est, vt iustificatio legis impleretur in*

Rom. 8. 4. *nobis.* Iterum, *factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æterna.* At si lex per eius gratiā impleri non posset, inaniter & falsò

Hebr. 5. 9. hęc dicerentur ab Apostolo, essent & eæ laudes, quas charitati in cordibus nostris diffusæ per Spiritum Sanctum tribuit,

1. Cor. 13. 4. 5 & seq. inanes & falsę. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet su-*

per

per iniquitate &c. Tum Spiritus Sancti fructus & dona sine causa commemorarentur. *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Hieronymus ait: Omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum & sublime culmen continentia sustentat & protegit. Aduersus huiusmodi non est lex, quæ nimirum coarguat, & accuset eos qui prædicti charitate legem implent, & verò etiam ampliùs quam quod lex præcipit, exequuntur; adolescens ille cui Dominus dixerat, *si vis ad vitam ingredi serua mandata*, *respondit*, *hæc omnia seruaui à iuuentute mea*, neq; mendacij est accusatus sed audijt, *si vis perfectus esse vade & vende omnia &c.* quod exequi detrectauit, id Apostoli CHRISTO authore & ad eorum exemplum posterioribus sæculis ex vtroque sexu innumeri Deo adiuuante præstiterunt, multi & ipsa superant mandata, inquit Chrysostomus & Augustinus; non grande onus impositum est virginibus, maior amor imposuit maius onus, tanquam dicerent, quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? Amando te plus facimus, quam præcipis. *Sanè qui natus est ex Deo non peccat*, nec potest peccare, quia ex Deo natus est. Qui ex Spiritu Sancto CHRISTI merito renatus est, congruã illi diuinæ origini & vitã agit, si gratia eius vtatur, alienã ab omnibus peccatis, quare & à transgressione legis, quæ peccatum est, longè semotam. Pugnant ipsi secum hæretici, qui legem asserunt impossibilem & minimè obligare, & nihilominus transgressionem esse peccatum. Nã ex eo duplici capite cõficitur eã transgressionem non esse peccatum, tum quia lex non obligat, tum quia est seruatu impossibilis, tum verò Deum faciunt tyranno quouis sæuiorem, qui vindicet id peccatum quod vitari non possit, exigat tributum, cui nemo sit soluendo. Beneficium quoque redemptionis per CHRISTVM extenuant, adeoque euacuant, qui promeritam ab eo gratiam negent, quã legem implere possimus. Sed occurrit Lutherus. Æquè nobis impossibilia sunt præcepta omnia, atque illud

1. In dormitia. *Matth. 19.17.* *Hom. 8. de pœni. serm. 18. de verb. Apost.* *1. Io. 3. 9* *L. de libertat. Christ.*

Q vnum,

L. 2. Inst. 7. § 5. vnum, non concupisces. Et Caluinus ne sanctis quidem possibilem esse legis impletionem; quod attinet ad illud, diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & illud, non concupisces, quæ duo præcepta impleri non posse in hac vita docere videntur S. Augustinus & Bernardus: ad illam vitam immortalem pertinet, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; Ad hanc autem, *non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Ad illam, *non concupisces*, ad istam, *post concupiscentias non eas.* Huic obiectioni pluribus responsum est à Bellarmino & alijs, posse ijs præceptis contineri finem ipsum & medium ad illum assequendum propositum, seu vt alij, posse spectari hæc præcepta quoad substantiam, & quoad modum omnem, quo possint impleri perfectissimum, sat esse si impleantur quoad substantiam si medium præscriptum ad finem executioni demandetur, tametsi non semper finem assequamur, & supersit aliquis adhuc modus quo perfectiùs impleri queat: non prohiberi omnes motus concupiscentiæ etiam inuoluntarios, nisi tanquam finem aut omninò non prohiberi, sed dumtaxat voluntarios, vt illo loco indicatur, *post concupiscentias tuas non eas, & ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui*, neq; diffitetur Augustinus: Concupiscentia in renatis non est peccatum, quando illi ad illicita opera non consentiunt, & aliud est habere mala desideria carnis, aliud tradi eis consentiendo. Et cum præcipitur vt Deum diligamus toto corde, tota anima &c. non præcipitur vt nihil præter Deum omnino cogitemus, nihil amemus, vt omnes animi corporisque vires continuò totæ ferantur in Deum, vt numquam interrumpatur amor Dei, verum vt nihil anteponamus amori diuino si non semper intensione summâ, at æstimatione & appretiatione super res omnes Deum amemus nihilque nos ab eius amore diuellat ac separet, non patrem aut matrem, remve vllam supra Deum amemus. De se Rex Dauid prædicat, *In toto corde meo exquisiui te. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, quam laudem confirmat illi scriptura; *non fuisti sicut seruus*

De spi. & lit. c. vlt. Bern. ser. 30. in Cant. Apud Bellar. l. de Monachis 13. L. 5. de Statu pecc. c. 10. D. S. Th. 1. 2. q. 44. a. 6. Eccl. 18. 30. Eccl. 5. 2. L. 1 de nupt. & concup. 23. 5. cont. Iulia. c. 3. Rom 8. 39. Matth. 10 37. Ps 118. 10 11. 3. Reg. 14.

seruum meum Dauid, qui custodiuit mandata mea & secutus est me in toto corde suo faciens quod placitum esset in conspectu meo. De Iosiâ item, *similis ante eum non fuit Rex; qui reuerteretur ad Dominum omni corde suo in tota anima sua, & in vniuersâ virtute sua*, hoc est verè, sincerè, ex animo. De Asa & eius populo. *In tota voluntate sua quæsiuerunt Dominum, & inuenerunt.* Quod vtinam sequamur exemplum, eueniatque nobis quod Deuteronomij 30. 6. promittitur. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas eum in toto corde, & in tota anima vt possis viuere &c. Amen.* Vera hæc & vnica vita intellectu & affectu Deo inhærere.

Act. 13. 22.
L. 4 Reg 23 25.
2. Paral 15. 15.

CAPVT XXVI.

Quartum Paradoxum Epicureum, omnia opera iustorum esse peccata lethalia ex naturâ suâ.



Hæc affirmat Lutherus & confirmat magnus eius Achates Melanthon in locis anni 1521. de vitando peccato. Consequitur itaque omnia hominum quantumuis laudabilia opera plane vitiosa esse & morte digna peccata. Nec dissentit Caluinus: nullum à sanctis exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem; & in Antidoto Tridentini, non suntantopere exagitandi, qui dixerunt, quælibet bona opera si exacto rigore censeantur æterna potius damnatione quam præmio vitæ digna esse. Allegant varias scripturas, vt illud psalmi. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, & illud, *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur*

L. de libertat. Chri. & in assert. a. 2. 31. 32 36.
L. 3. Inst c. 14 §. 9.
Sess. 6. c 11.
31. 1.
Ps. 142. 2.

in conspectu tuo omnis viuens. Et illud, *non est homo qui faciat bonum & non peccet.* Et illud, *facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes iustitiæ nostræ.* Lutherus quoque, sola, inquit, oratio Dominica omnes concludit sub peccato. Nam qui orat vt fiat voluntas Dei, fatetur se non facere voluntatem Dei; qui petit vt sanctificetur nomen Dei, agnoscit se polluere nomen Dei. Qui cupit vt adueniat regnum Dei, intelligit se sub regno esse diaboli. Dimitte nobis debita nostra, nos in omni opere peccare, quia non petimus, quod habemus, sed quod non habemus. Quamquam hęc vberrimè refutata sint à nostris & loca omnia scripturæ plenissimè explicata tamen non erit alienum eadem recognoscere denuò, quam insulsè scripturas deprauent, atque ad suos errores impiè detorqueant. Atque inprimis oratio Dominica, quâ Lutherus abutitur planè contrarium euincit. Quis enim dixerit eam orationem, quâ peccatorum remissio petitur esse peccatum idque lethale? Quis dixerit à Deo nos postulare peccata aut gratiam operandi peccata & flagitia? Tum verò non docuit nos CHRISTVS petere ea, quæ numquam essemus impetraturi, imò spopondit nos accepturos, petite & accipietis, si petimus ergo vt sanctificetur nomen Dei à nobis, & vt adueniat nobis eius regnum, fiat voluntas, id sanè consequemur; si nemo potest petere vt fiat voluntas Dei, nisi qui sit eius diuinæ voluntati rebellis, fuit ergo CHRISTVS rebellis, qui ter in oliuarum horto repetijt, fiat voluntas tua. Quantò sanius S. Cyprianus, id petimus & rogamus vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cæpimus perseueremus. Eodemque modo S. Augustinus. Potest amplius & amplius Dei nomen in nobis sanctificari, cum in eius fide, notitia & charitate ampliores quotidie progressus facere possimus & debeamus. Potest enim regnum gratiæ magis in dies confirmari, diminuta & exstirpata cupiditate, firmata & aucta charitate. Potest voluntas & debet magis impleri, non tantum in præceptis verùm & in consilijs. Peccata quæ venialia nullo non die contra-

Eccl. 7. 21. *Isai. 64. 6.* *In assert. a. 2.* *Serm de Orat. Dom.* *L. de bono perseu. c. 2.*

contrahimus, remitti postulamus, eorumque pœnam, & à tentationibus præmuniri, ne in grauiora proruimus. Et ne nos inducas in tentationem, frustra id omninò peteretur si omne opus iusti lethale peccatum foret. Tum Sancti Patres inquiunt, illa petitione fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, orari pro conuersione infidelium, & hominum terrestrium, vtæquè illi ac fideles ac cęlestes diuinam voluntatem adimpleant. Locus autem Isaiæ, quo maximè gloriantur, vt ordine retrogrado progrediamur expresse est de insignibus peccatoribus ob quorum scelera populus erat abducendus in captiuitatem Babylonicam, intelligitur itaque non in persona iustorum, sed impiorum eius temporis, neque vniuersim de omnibus eorum operibus, quorum quædam honesta, quædam media & indifferentia esse potuerunt, sed de sacrificijs, neomenijs, alijsque eiusmodi in quibus suam iustitiam constituebant. Et quamuis D. Bernardus nonnihil aliter exponat, *Serm 5. de verbis Is.* tamen reipsa nihil dissentit à cęteris Patribus; Triplicem statuit iustitiam, rectam, sed non puram, nec firmam; rectam, puram, sed non firmam: denique rectam, puram, & firmam. Rectam quando non consentitur peccato; Puram in ijs qui numquam iniusti fuerunt, adde, quæ non sit venialibus intermixta, firmam quæ amitti non possit. In Angelis ait reperiri rectam puram & firmam, in primis parentibus antequam peccarent, rectam, puram, sed non firmam: Denique in nobis ait esse posse rectam, cum peccato non consentimus, sed neque puram, neque firmam quamdiu in hac mortali vita fluctuamus. Locus Ecclesiast. non iudicat hominem peccare dum bonum facit vt somniat Lutherus, sed neminem esse tam iustum, qui non aliquando aliquod virtutis omittat officium qui non & commissione peccet aliquando, sed leuiori quod veniam meretur peccato, septies (in die) cadit iustus & resurgit. Resurgere tamen non est cadere nec peccare: versus ille *Pro. 24. 16.* psalmi variè explicatur, hominem coram Deo iustificari non posse quod ex sese nullam habeat iustitiam, sed omnem & *142.*

quamlibet à Deo habet elargitam, quod comparatione diuinæ iustitiæ quæ summa & absoluta est, omnis hominum & Angelorum iustitia propemodum videatur iniustitia, vt stellæ tametsi clarissimæ, tamen cum sole comparatæ videantur tenebricosę. *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur.* Iob 4. & 9. *scio quod ita sit & quod non iustificabitur homo compositus Deo.* Denique de peccatis venialibus, sine quibus hæc vita traduci non potest. Versus psalmi 31. de prima iustificatione potest intelligi, per quam remittuntur peccata & charitas infunditur non quasi totâ vitâ, non possit iustificatus aliud opus edere quam peccata: nam ipse Dauid canebat Ps. 100. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me, perambulabam in innocentia cordis mei*, & quæ sequuntur. Possumus igitur tres illos laudatissimos, opponere Lutheranis & Caluinistis, diuinæ gratiæ Præcones, quos & antea opposuimus, Iob, Dauid, & Apostolum Paulum. Si omnia iustorum opera essent peccata, quî laudaret Deus Iob Athletam suum per quem de Cacodæmone victoriam ac triumphum reportauit.
Iob. 1. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec stultum*
22. *aliquid contra Deum locutus est*, sed nec corde peccasse, quod quidam Rabbini calumniati sunt ostenditur capite secundo, *numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis illi in terra, vir simplex & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Dauid non semel de se in Domino gloriatur.
Ps. 7. 9. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum inno-*
Ps. 17. *centiam meam super me.* Et: *Retribuet mihi Dominus secundum*
25. *iustitiam meam & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.* &:
Ps. 118. *feci iudicium & iustitiam non calumnientur mihi superbi.* Aposto-
121. lus Paulus, si omnia eius opera peccati lethalis arguerentur, quî posset in Domino gloriari, *nihil mihi conscius sum &c. In laboribus plurimis, in frigore & nuditate, in fame & ærumna; in vigiliis &c.* Quam hæc atrox est iniuria, quæ in Redemptorem nostrum recidat, si nihil aliud sit assecutus omni vita, doctri-

na, &

na, & passione sua, quam vt eius sectatorum omnia opera essent æterna morte & condemnatione digna, quam vt ęternam opprobrij mercedem mererentur. Opponi prętereà possent hęreticis Abraham Patriarcha, qui ex operibus ex fide profectis & ampliorem & auctiorem iustitiam est assecutus, & Rahab meretrix, quæ primam adepta est iustificationem ex operibus, verum ex eadem ortis diuina fide, quæ profert exempla D. Iacobus non sola fide iustificationem fieri demonstrans. C. 2. Sed quid necesse est in re clarissima diutius immorari. Planè secum ipsi pugnant, qui omnia opera bona & mala confundunt; nec sat habuerunt ex disciplina Stoicorum, omnia bona opera, itemque mala æqualia inter se facere sine vllo gradu ordine & discrimine, nec venialia à lethalibus, nec lethalia inter se pro grauitate & conditione materiæ, variarumque circumstantiarum distinguere: sed insuper ad Epicureorum sectam stabiliendam, confusè omnia opera simul, bona & mala, velut chaos quoddam infernale constituere ac permiscuere: non detraxerunt bonitatem & malitiam operibus sed confusè & permixtim ijs affinxerunt pugnantes istas maximè qualitates bonitatis & malitiæ. Mala sunt ex sua natura, bona quia non imputantur, sed acceptantur à Deo qualiacumque tandem existant. Non possunt igitur euitare consequentiam duplicis affirmatiui & negatiui syllogismi, quem proposuit Bellarminus, vnus est omnia opera bona sunt facienda, aliqua peccata lethalia sunt opera bona, ergo aliqua peccata lethalia sunt facienda. Alter, nullum peccatum lethale est faciendum, omne opus bonum est lethale, ergo nullum opus bonum est faciendum. Ergo viuendum Epicureo more, non Christiano. Dissoluat hos syllogismos Caluinus, ac Theologos sophistas appellet sophistarum ipse maximus ac nequissimus.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Bona opera iustorum iustitiam augere & vitam æternam de condigno mereri.



DOGMA hoc Catholicum præ oculis semper habendum est ad continentiæ virtutem magnâ curâ semper excolendam, ad conseruandum & augendum Christianæ perfectionis studium, ad tentationes & blanditias voluptatum, quæ se ingerunt, repudiandas, difficultatesque omnes in itinere cęlestis, mortificationis ac pœnitentiæ superandas. Vtraq; enim pars expressa eius
est sacris literis. Prior Eccl. 18. *Non impediaris orare semper, &*
Eccl.18 22. *non verearis vsque ad mortem iustificari, quia merces Domini*
manet in æternum. Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra*
Rom. 6. 19. *seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem sic exhibete membra*
seruire iustitiæ in sanctificationem. 2.Cor.7. *Has ergo habentes pro-*
2.Cor.7. 1. *missiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis &*
spiritus perficientes sanctificationem Domini in timore. 2.Cor.9.
2.Cor.9 6. *Qui parcè seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus &c. multiplicabit semen vestrum & augebit incrementa frugum*
Apoc. 22.11. *iustitiæ vestræ*: Et, *Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Ratio non est obscura, si potest iustus opitulante CHRISTI gratia legem implere, potest per opera iustitiam augere, ampliùs atque ampliùs iustificari, si potest bona opera pręstare, quæ nullo sint vitio contaminata, potest ea multiplicando iustitiam accumulare; At posse eum legem implere,

implere,& bona opera præstare,quæ nullo sint infecta peccato demonstratũ est. Posterior pars probatur ex illo Matth. 5. *Gaudete & exultate,quoniã merces vestra copiosa est in cælis*,quæ sit hęc merces,explicuerat. *Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã,quoniam ipsorũ est regnum cælorũ*.Ex parabola operariorum, *voca operarios & redde illis mercedẽ suam*.Matth. 25.*Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnũ ab origine mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare*.Vera causa redditur adepti regni ,vt vera causa damnationis est omissio operum misericordiæ. 2 Cor.4. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam æternam. Bonum certamen certaui; cursum consummaui, fidem seruaui in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Scio cui credidi, certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem*. Tum subijcit Tridentinum, atque ideò benè operantibus vsque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per CHRISTVM IESVM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda, cum pręsertim ipsa merita sint Dei dona, ex gratuitâ Dei gratiâ profecta, eaque de causa vita æterna gratia dicatur pro gratiâ: nihil autem vetat eandẽ esse mercedem & hæreditatem, aut vt loquitur Apostolus, esse retributionem hęreditatis, vt duplici titulo ac nomine sit debita ac summâ Dei misericordia simul & iustitia repensa: vt nihil vetat; quin eundem Deum & Patrem & Dominum, CHRISTVMQVE simul Redemptorem & Iudicem, tanquam filij, ijdem & serui, hæredes & mercenarij, sed quorum sit ipse tota atque vna merces, reli-

Matth. 5.12.

Matth. 20.8.

Galat. 6 8.

2. Tim. 4.7.

Seß. 6. c. 16.

Colos. 3. 13.

giosè colamus & obſeruemus. Addit Tridentinum, cum enim ille ipſe CHRISTVS IESVS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit & comitatur & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſunt, nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quò minus plenè, illis quidem operibus, quæ in Deo facta ſunt, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam ęternam ſuo etiam tempore ſi in gratiâ deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur. Valdè enim notandum eſt in CHRISTO gratiam fuiſſe non tantùm vt in homine ſingulari, ſed tanquam in capite totius Eccleſiæ conſtituente cum ſuis membris vnam perſonam, quæ cauſa eſt, cur alijs promereri potuerit, & per eum alij fideles, illi fide ſpe & charitate cohęrentes promereri poſſint: vt ait Gregorius, CHRISTVS cum totâ Eccleſia ſua, ſiue quæ adhuc verſatur in terris, ſiue quæ cum eo regnat in cęlis, vna perſona eſt. Sicut ergo in humano corpore capitis actiones cęteris membris communicantur, & proſunt, & ex capite membra ſentiendi vim mutuantur, ita in CHRISTI corpore myſtico. Quemadmodùm item primi parentis Adami peccatum, non tantùm perſonale fuit illi vni proprium, ſed propagatione naturæ factum eſt commune omni eius poſteritati; ita & CHRISTI meritum merendique vis nobis communicatur, qui ex illo per Dei ſpiritum regeneramur, quam analogiã ex Apoſtolo pluribus explicat S. Auguſtinus tranſpoſitâ comparatione, ſicut CHRISTVS in quo omnes viuificamur, pręterquam quod ſe ad iuſtitiam, exemplum imitantibus prębet, dat etiam ſui Spiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quæ latenter infunditur & paruulis. Sic & Adam pręter imitationis exemplum occultâ tabe carnalis concupiſcentiæ tabificat omnes de ſua ſtirpe venientes. At potentior eſſe debet CHRISTI gratia nobis eius beneficio ac merito communicata, quam ſit Adami peccato deprauata natura.

Expli. pſ. 5. pænit.

1. De pecc. merit. c. 9.

Ad

Ad meriti rationem tres conditiones exigi solent, vt persona operans sit in gratiâ, iustitia & amicitiâ diuina ornata, vt opus ipsum sit honestum virtutis à charitate si nõ proximè at remotè saltem imperatum & ortum, eâ parte condignum vita æterna, quâ gratia censetur semen gloriæ, vt arbor in radice continetur, sic gloria omnis in gratiâ. Denique accesserit promissio diuina, qua bonis operibus iustorum æternam vitam & gloriam vti mercedem repensurum se spopondit Deus. Quę tres conditiones reperiuntur in operibus iustorum à Tridentino collaudatis. Quare eueniet iusto, quod ait Dominus: *si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hisce fundamentis ita stabilitum est orthodoxorum dogma, vt nulla ratione conuelli queat: sed quid tamen ex scripturis perperam intellectis opponunt hęretici? Duas res planè contrarias, vita æterna est gratia & hæreditas ipso iure filijs debita, ergo non est merces bonis operibus ex æquitate reddita. Deinde Dominus ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus*, nihil igitur promereri possumus. Vt appareat eos vndequaque ex scripturis ad impugnandum veritatem, argumenta conquirere, & nunc quâ parte sumus filij adoptiui, proinde grati & accepti Deo Patri per eius vnigenitum natura filium IESVM, nunc quâ serui vt aiunt, inutiles, bonorũ operum merita velle conuellere cum potius ex vtroque capite colligatur, & filiorum vti dixi opera grata esse Patri, & seruorum fideliũ ministeria apud ęquissimum & benignissimum Dominũ sua mercede & retributione non caritura: *si vos, cũ sitis mali*, argumentabatur Dominus: *nostis bona data dare filijs vestris* (si licet adijcere & seruis) *quantò magis Pater vester*, idemque Dominus cælestis, cuius natura, bonitas; & opus misericordia & prima summaque iustitiæ rectitudo non defraudabit iustâ mercede sui causa laborantes & decertantes? Non semel dictum est vitam æternam duplici titulo rependi, & hæreditatis & mercedis, tanquam filijs & operarijs, quod

Io. 4. 13. 14.

Luc. 17. 10.

ſibi Dominus glorioſius duxit vt eandem nos gloriam rectè factis & meritis ex eius gratia profectis aſſequeremur, quam ſi merè gratuitò conferret oſcitantibus & nihil agentibus: merita noſtra eius ſunt dona, & iuſtitia noſtra, quæ nobis inhæret, ex quâ oriuntur merita eadem eſt iuſtitia Dei per CHRISTVM, à Deo nobis infuſa ac communicata. Serui ſumus inutiles, ſi ſpectemur vt Adami filij ac poſteri ex eo contracta natura peccatoque vitiata. At non ſumus inutiles vt à CHRISTO per eius gratiam regenerati. Inutiles ſumus Deo, cui nihil accedit meritis noſtris: *Dixi Domino, Deus meus es tu, bonorum meorum non eges.* At non ſumus inutiles nobis ipſis reportantes finem & fructum fidei, ſpei, & charitatis diuinitùs nobis infuſę, vitam æternam, ſumus inutiles niſi accederet diuina gratia, naturam perficiens & ad ſuperiorem filiorum gradum euehens. Nam ſerui digni non fuimus filij facti ſumus. Inutilia eſſent opera noſtra, niſi ex Dei benignitatè ac munificẽtia acceſſiſſet promiſſio mercedis æternæ. Ad eundem modum locus Apoſtoli ab ijs quandoque prædictus.
Rom. 8. 18. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis,* variè explicatur, non eſſe condignas ſi rationem habeas durationis, ſi tempus cum æternitate conferas, nulla quantumcumque prolixi temporis cum ęternitate comparatio, finiti cum infinito: non eſſe condignas citra liberalem munificamque Dei promiſſionem, ſi illam demas, etſi quidem eſt proportio operis cum mercede, vt ſeminis & radicis cum arbore & fructibus, tenuis tamen illa eſt, non omninò ſufficiens, cũ pręſertim Deus, Optimus, Maximus, ſupra condignum remuneretur. Sed hęc abundè ad huius temporis Epicureos coarguendos, niſi & CHRISTI Domini meritum omne conarentur abolere, illique redemptoris munus ac dignitatem detrahere.

CAPVT.

CAPVT XXVIII.

De CHRISTI Domini merito & munere redemptoris quod imminuere, imò conuellere ausi sunt Caluinistæ.



VERVNT tempore magistri sententiarum qui docerent CHRISTVM nihil sibi meruisse, sed membris dumtaxat suis, quorum errorem secutus Caluinus pluribus amplificat; sed agedum collato pede dimicemus & singula Caluini dicta discutiamus. Quærere, ait, an sibi meruerit, quod faciunt Lombardus & Scholastici, non minus stulta est curiositas, quam temeraria præsumptio vti hoc idem asserunt. D.18.c. 3. L.1.Inst 17.§.6.

Cur igitur in eam stultam se curiositatem immittit, & quantò magis illa temeraria est præsumptio aduersus sacræ scripturæ ac SS. PP. auctoritatem contentiosè pernegare? Nempe vt omne meriti vocabulum amoliatur, neque ad exemplum CHRISTI capitis quidquam eius membra promereri posse contendat. Quærit ipse quid opus fuit descendere vnicum Dei filium vt sibi acquireret quidquam noui? Nihil fuit opus neque eius diuinitati quidquam accessit intrinsecum ab adiuncta humanitate, quod hominem fieri, fuit Dei filiū descendere. Gratuito planè dono, Dei Filius est homo, & ipsam vnionem hypostaticam, & quæ eam consequebatur gratiæ omnis & gloriæ plenitudinem, sine vllo suo merito est adeptus;

..tus; sed quoniam redemptionis nostræ rationes exigebant, vt tantisper orbaret se corporis immortalitate & gloria, nominis claritate, deitatis suæ manifestatione, hæc promereri potuit & æquissimo cælestis patris decreto promeritus est, qua de re Paulus Apostolus: *Humiliauit semetipsum factus obediens &c. propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen &c.* In quem locum Ambros. quid & quantum humilitas mereatur ostendit. Chrysost. extremam CHRISTVS præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem. Hilarius 9. De Trinit. ob meritũ obedientię dictum est, donauit illi nomen vt meritum perneget ordinem consequentiæ dũtaxat, hic agnoscit Caluinus: sed prosequatur: & consilium suũ exponens Deus omnem dubitationem exemit. Non enim filij vtilitati consuluisse dicitur pater, in eius meritis, sed eum tradidisse in mortem, neque ei pepercisse, quia mundum diligeret: imò & nostræ & illius maximè consuluit vtilitati, vti & glorię suę cui salus nostra semper coniuncta est quod eum passione ac morte redemptorem humani generis constituerit, qui gratiam nobis omnem, sibi verò nominis claritatem cæteraque externa bona quæ in tempus suæ resurrectionis distulerat, non totum patris dono, sed & suo merito sit consequutus. Videmus IESVM propter passionem mortis gloria & honore coronatum: CHRISTVS propter se non egebat carne passibili quam nostrę salutis causa explendę duntaxat suscepit & hinc secundario meritum suum retulerit ad promerendam carnis impassibilitatem, nihil inde charitatem suam erga nos imminuit. Iterum Calui. Notandæ sunt prophetarum locutiones puer natus est nobis. Ecce Rex tuus venit tibi. Rectè sed secundario velut præmio carere non debuit eius humilitas & obedientia, quod nostræ salutis pretium imminueret est enim ob dignitatem diuinæ personæ vndequaque infinitum & inexhaustum. At frigeret alioquin confirmatio illa amoris quam Paulus commendat, quod CHRISTVS pro inimicis mortem subierit: imò caleret præcipuè ac ferueret,

Ad Phil 2.8.

Hom. 7.

ret, dum suo nos exemplo prouocat ad moriendum, & gratiæ abundantis præsidio confirmat ad cæleste regnum post sua vestigia capescendum. Oportuit CHRISTVM pati & ita intrare in gloriam suam. Oportuit & capiti membra quoad licet imitatione conformari. Inde etiam colligimus rationem sui non habuisse; idque clarè affirmat dicens: *Pro illis sanctifico meipsum*: se nihil acquirere testatur qui fructum suæ sanctitatis in alios transfert. Vt nihil tamen illi decedat, sanctitas eius non imminuatur; imò gloria eius patrisque cælestis in salute nostra posita est, quo à pluribus eius cultoribus diuinitas agnoscitur atque adoratur, & certè hoc maximè dignum est obseruatu quod CHRISTVS vt se totum addiceret in salutem nostram quodammodo sui oblitus est. An & Dei patris gloriæ est oblitus? An in procuratione nostræ salutis non maximè suam & Dei patris gloriam amplificauit? An oblitus erat sui cum patrem precabatur: *Pater clarifica me claritate quam habui apud te priusquam mundus fieret*: Quem in locum S. August. vt CHRISTVS resurrectione clarificaretur prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Denique vrget Calui. quibus meritis assequi potuit homo vt Iudex esset mundi, caput Angelorum atque vt potiretur summo Dei imperio. Vt Iudex esset mundi eisdem meritis assecutus est quibus vt esset Saluator mundi: quo merito salutem nostram promereri potuit, eodem & potuit corporis sui gloriam, resurrectionem, & nominis claritatem vt esset caput Angelorum quoad deitatem, vt summo potiretur imperio, pro conditione vnionis hypostaticæ, id nullo assecutus est merito. Sed cur tantopere Calui. in stulta, vti censet, curiositate desudat? cur tantopere contendit, nihil CHRISTVM sibi promereri potuisse? nimirum, vt omne non modo nostrũ; sed & CHRISTI meritum gratiæ nobis conferendæ funditus euertat. Itaque narrat quosdam esse, qui tametsi fateantur nos salutem per CHRISTVM consequi, quod non nisi grauatè concedunt, nomen tamen meriti

Ioan. 17 5.

meriti audire non sustinent, quo putant obscurari Dei gratiam atque ita CHRISTVM volunt dumtaxat esse instrumentum vel ministrum vitæ ęternæ. In hos minimè Calui. inuehitur, velut hostes crucis CHRISTI, sed ad eorum accedit ipse sententiam; illamque firmâ, vt sibi videtur, ratione confirmat. Equidem fateor, si quis simpliciter & per se CHRISTVM opponere velit iudicio Dei non fore meriti locum, quia non reperitur in homine CHRISTO dignitas, qua possit Deum promereri. O falsam & blasphemam vocem! Non est igitur in CHRISTO dignitas diuinæ personæ? non est infinitus valor in omnibus eius actionibus ex adiuncta deitate? An non conciliat infinitam dignitatem vnio hypostatica? Non sunt eius actiones omnes theandricæ Dei viriles, pretij infiniti & inexhausti? At Caluinus eiusque sectarij ad fauorem extrinsecum confugere malunt, illique vni salutem nostram adscribere quam CHRISTI passioni ac morti rationem vllam meriti aut iustæ satisfactionis attribuere; contra quos Apostolus toties inculcat pretioso nos redemptos sanguine Agni immaculati; illa porrò redemptio, in qua nec condignum pretium exsoluitur, nec captiui liberantur; sed æque remanent constricti peccatorum vinculis, nec vllis meritorum passibus ad cælestem patriam contendere queunt? Quid aut redemptori, aut redemptis confert externus ille fauor Dei nullo effectu? Atrox planè blasphemia sed ex ea in alias grauiores Caluinus est prolapsus: quod CHRISTVS in anima diros cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit; quod ad tempus eas pœnas tolerarit, quæ sceleratis ab irato Deo infliguntur; sed nisi haberetur ratio diuinæ personæ, si merus esset homo CHRISTVS nec damnatorum pœnæ ad exiguum tempus toleratæ pares vnquam forent aut vlla proportione responderent sempiternis tot hominum supplicijs quot sua passione CHRISTVS exemit, sed vnus Dei fauor in pretio est apud Caluinum, vna benigna patris acceptatio, sed quidni & illa veteribus sacrificijs sanguine tauro-

rum

rum & hircorum tribui potuerit, cum ex eius vnius beneplacito pendeat? Caluiniani homines beati, quos tam benigno Deus oculo contuetur, quos tam eximio fauore prosequitur, vt absque omni & suo & CHRISTI merito saluare eos decreuerit, eisque salutis suæ tesseram certissimam fidem specialẽ impresserit. Quicunque primus id meriti nomen, ait Caluinus, operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptauit, is fidei sinceritati pessimè consuluit; vt enim est fastuosissimum, nihil quam obscurare gratiam Dei potest. Et tamen idem Caluinus immemor sui; Inscitè, inquit, opponitur CHRISTI meritum misericordię Dei. Regula enim vulgaris ęst. Quæ subalterna sunt non pugnant, ideoque nihil obstat quominus gratuita sit hominum iustificatio ex merâ misericordiâ Dei, & simul interueniat CHRISTI meritum quod Dei misericordiæ subijcitur. Ita & meritum omne nostrum CHRISTI merito subalternatur cum ex eo vim omnem suam ac dignitatem sortiatur quod promerita & parta per CHRISTVM gratia nitatur, quod tanquam CHRISTI membra illi capiti suo fide, spe, charitate cohęrentia, virtutum Deo acceptarum officia exequantur. Sed quod Caluinus nec in CHRISTI meritis, ac satisfactionibus ex eius personæ dignitate pretium ac valorem infinitum agnoscit, nec in nostris ex infusa gratia & vnione cũ CHRISTO condignitatem vllam; iure merito damnatur hæreseos. Esto requiratur aliqua Dei acceptatio, non tamen deest condigna ratio pretij; quod pro nobis Patri obtulit atq; exsoluit Saluator. Alioquin nec munere nec nomine Redemptoris dignus erit si nullum pro nobis condignum pretium exsoluit. Et quamuis habitâ ratione diuinæ personæ satisfacientis ac merentis quęuis actio CHRISTI ac passio, valoris esset infiniti, plusquam exuberantissimè sufficiens ad humanam explendam redemptionem, tamen illi placuit nihil seorsum offerre, sed vniuersa simul omnia à primo conceptu vsquę ad extremum spiritum, quę denique passione ac morte complerentur, eaque simul omnia placuit

cuit Deo Patri acceptare. Errauit hic ipse primarius Carolus Molinæus* Caluini discipulus Iurisconsultus magis quam Theologus, dum nos erroris arguit. Errarunt monachi & sacrificuli Doctoresque Papistici vrgentes merita tum Incarnationis, tum Natiuitatis, tum tentationum & afflictionum CHRISTI. Nihil hæc omnia proderant, nihil poterant, sed sola mors CHRISTI sola ea à Deo acceptata & pro remissione peccatorum nostrorum, & iure vitę æternæ. Sed quo auctore id asserit nouellus hic Theologus, quis ei reuelauit solam mortem acceptatam & non reliquam omnem vitam atque incarnationis, vt loquuntur Patres Oeconomiam &c? Quid Apostolus ad Hebręos admonet nisi prima oblatione quam in mundum ingressus fecit Deo Patri nos sanctificatos, quæ prima oblatio vitam eius omnem consequentem amplectebatur. Ambrosius de eius infantia, me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ delicta lauerunt, mors & passio meritorum conclusio fuit, sed non omnis eorũ congeries. An non nobis natus, circumcisus, in Ægyptum delatus, tentatus, an non nobis ęque vixit Saluator ac mortuus est? An solam mortem retineri memoria vult Molinęus, reliquam omnem vitam obliuione perpetua deleri ac obliterari? ne ab ea virtutum exempla ac documenta peteremus?

Cap. 10. 14.

Ambros. 2. in Lucam.

CAPVT



CAPVT XXIX.

De pœnitentiæ virtute & sacramento & reparatione lapsorum.



PERAMPLVS mihi campus aperiebatur complurium disceptationum aduersus hæreticos de pœnitentia, sed ne rem actam agam præteritis eorum calumnijs & mendacijs, id vnum exequar summa breuitate, vt nemini non perspicuum fiat, eos in deneganda pœnitentia molliori vitæ, & Epicureæ sectæ deseruire. Adeo pœnitentiæ tum virtutem, tum sacramentum auersantur, vt ne quidem vocabulum ac nomen ferre sustineant, illud præclaris auctoribus Valla & Erasmo negant respondere Græcæ voci μετάνοια aut μεταμέλεια sed huic respondere potius Latinam vocem resipiscentiæ quâ quis sapit post errorem. Lutherus ad Vicarium sui ordinis scriptâ epistolâ ait se studio virorum eruditissimorum tandem comperisse vocem pœnitentiæ non significare odium vel dolorem de vitâ præteritâ, vt olim dicebatur, sed amorem iustitiæ & nouæ vitæ, & hoc nomen nihil habere amarum vel acerbum, sed omnia grata & suauissima. Habebat & illud frequentius in ore, pœnitentia noua vita, iure damnatum à Leone decimo. Besa reprehendit vulgatum interpretem & eos qui μετανοεῖτε non verterunt resipiscite, sed pœnitentiam agite, quod multi imperiti, inquit, occasionem ex hoc dicendi genere acceperint falsarum opinionum de satisfactione. Resipiscere est post factum sapere, Cal-

Ad cap. 3. Matthæi.

re, Caluinus post factũ esse sollicitũ & anxium. Adeo illis exosa est ipsa vox pœnitentiæ. Apud bonos auctores maximè sacros idem est μετάνοια, quod pœnitentia. Vulgatus Ausonij versus:

Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnas
Nempe vt pœniteat sic Metanæa vocor.

Si spectes Ethymon idem est quod mutatio mẽtis à complacẽtia facti alicuius in displicentiã, quasi dicas transmutationẽ, quæ propriè est pœnitentia, cum displicet animo quod ante placebat. Lactantius scribit metania Latinè reddi posse resipiscentiam, sed addit, resipiscit autem quem errati pœnitet, & seipsum castigat dementię, & confirmat ad rectè viuendum. *Li. 6 re-ct in. 24.*

Non est obscurum quo referantur hæc eorum de pœnitentiæ & resipiscentiæ vocibus obseruatio; nempe vt dolorem, odium, detestationem, punitionem & vindictam admissi peccati secludant, hoc est pœnitentiæ virtutem omnem euertant, eamque vnico emendationis seu nouæ vitæ proposito penitus includant.

Scholasticos sophistas ex veterum dicterijs pœnitentiæ definitionem arripuisse monet Caluinus. Quod pœnitentia sit ante acta peccata deflere, & flenda non committere. Item quod sit mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere. Item quod sit quædam dolens vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Item quod sit dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quę quisque commisit vel quibus consensit. Hæc, inquit Caluinus, vt à Patribus benè dicta concedamus (quod inficiari tamen contentiosò difficile non esset) non tamen in eam partem dicebantur vt pœnitentiam describerent, sed tantum vt suos hortarentur ne in eadem delicta rursum inciderent, à quibus extracti erant. Si hoc vnum spectassent Patres, sat erat posterius membrum expressisse; nisi persuasum habuissent, non posse vitam nouam inchoari, nisi ab eo, quem veteris pœniteret, qui de ea doleret, illam detestaret, illam vindicare decerneret ad placandum diuinum numen, peccatum impunitũm esse nequit, vti sępè monet S. August.

Lib 3. c. 4. §. 1. 1. Greg. refertur l 4. sentẽt. dist 14. c. 10 2. Amb. dist. 3. in decr. de pœnit. 3. Aug. refertur ibid. ca. pœnit. 4. Amb. dist inct. 1. de pœnit.

August. si puniendũ non esset peccatũ, cur diceret aut ab homine ipso pœnitente, aut à Deo vindicante puniendũ est, ne à Deo puniatur, tu ipse puni. At punies numquam nisi oderis & auersatus fueris. Quare prima illa & potissima pars est pœnitentiæ, præcipuus eius actus contritio cordis quæ à Tridentino definitur, animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi, de cætero, quod propositum nascitur ex odio priore peccati, illique ferè respondet æquâ mensura. Pœnitentiam, inquit S. August. non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Respondet sibi odium peccati & amor Dei, augentque se vicissim, & stabiliunt. Quantopere Deum amaris tantopere necesse est peccatum oderis atque auerseris. Idem, S. August. nemo eliget nouam vitam nisi quem veteris pœnitet, item nisi hominem pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare.

In psal. 44 *ps. 58.* *Sess. 14. c. 4.* *August. serm. 7. de temp. hom. 37. & 50.*

Vt duæ sunt partes iustitię Christianæ declinare à malo, facere bonum, de quibus Apostolus, *odientes malum, adhærentes bono*, ita duæ videri possunt pœnitentiæ partes & functiones, dolor de admisso peccato ad illud abolendum; & satisfactio ad diuinum numen reconciliandum, vindicta de peccato, & innouandę charitatis & amicitię diuinæ studium in expleta legis obseruatione. Duas partes istas complexus Rex Dauid pœnitens ait: *iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*. Qui illos, inquit Tridentinum, sanctorum clamores considerarit: *Tibi soli peccaui & malum coram te feci: laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: & alia huius generis; facilè intelliget ea ex vehementi quodam anteactę vitę odio & ingenti peccatorum detestatione manasse. Sed de contritione, virtute & actu pœnitentiæ proximo iterum capite disseretur.

Rom. 12. 9. *Psalmo 118. 163* *Sess. 14. c. 4.*

re, Caluinus post factū esse sollicitū & anxium. Adeo illis exosa est ipsa vox pœnitentiæ. Apud bonos auctores maximè sacros idem est μετάνοια, quod pœnitentia. Vulgatus Ausonij versus:

Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnas
Nempe vt pœniteat sic Metanœa vocor.

Si spectes Ethymon idem est quod mutatio mētis à complacētia facti alicuius in displicentiā, quasi dicas transmutationē, quæ propriè est pœnitentia, cum displicet animo quod ante placebat. Lactantius scribit metania Latinè reddi posse resipiscentiam, sed addit, resipiscit autem quem errati pœnitet, & seipsum castigat dementię, & confirmat ad rectè viuendum.

Li. 6 recti tu. 24.

Non est obscurum quo referantur hæc eorum de pœnitentiæ & resipiscentiæ vocibus obseruatio; nempe vt dolorem, odium, detestationem, punitionem & vindictam admissi peccati secludant, hoc est pœnitentiæ virtutem omnem euertant, eamque vnico emendationis seu nouæ vitæ proposito penitus includant.

Scholasticos sophistas ex veterum dicterijs pœnitentiæ definitionem arripuisse monet Caluinus. Quod pœnitentia sit ante acta peccata deflere, & flenda non committere. Item quod sit mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere. Item quod sit quædam dolens vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Item quod sit dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quę quisque commisit vel quibus consensit. Hæc, inquit Caluinus, vt à Patribus benè dicta concedamus (quod inficiari tamen contentiosè difficile non esset) non tamen in eam partem dicebantur vt pœnitentiam describerent, sed tantum vt suos hortarentur ne in eadem delicta rursum inciderent, à quibus extracti erant. Si hoc vnum spectassent Patres, sat erat posterius membrum expressisse; nisi persuasum habuissent, non posse vitam nouam inchoari, nisi ab eo, quem veteris pœniteret, qui de ea doleret, illam detestaret, illam vindicare decerneret ad placandum diuinum numen, peccatum impunitum esse nequit, vti sępè monet S. August.

Lib 3. c. 4. §. 1. 1. Greg. refertur l. 4. sentēt. dist. 14. c. 10. 2. Amb. dist. 3. in decr. de pœnit. 3. Aug. refertur ibid. ca. pœnit. 4. Amb. distinct. 1. de pœnit.

August. si puniendũ non esset peccatũ, cur diceret aut ab homine ipso pœnitente, aut à Deo vindicante puniendũ est, ne à Deo puniatur, tu ipse puni. At punies numquam nisi oderis & auersatus fueris. Quare prima illa & potissima pars est pœnitentiæ, præcipuus eius actus contritio cordis quæ à Tridentino definitur, animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi, de cætero, quod propositum nascitur ex odio priore peccati, illique ferè respondet æquâ mensura. Pœnitentiam, inquit S. August. non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Respondet sibi odium peccati & amor Dei, augentque se vicissim, & stabiliunt. Quantopere Deum amaris tantopere necesse est peccatum oderis atque auerseris. Idem, S. August. nemo eliget nouam vitam nisi quem veteris pœnitet, item nisi hominem pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare.

In psal. 44 & 58. Sess. 14. c. 4. August. serm. 7. de temp. hom. 37. & 50.

Vt duæ sunt partes iustitię Christianæ declinare à malo, facere bonum, de quibus Apostolus, *odientes malum, adhærentes bono*, ita duæ videri possunt pœnitentiæ partes & functiones, dolor de admisso peccato ad illud abolendum; & satisfactio ad diuinum numen reconciliandum, vindicta de peccato, & innouandę charitatis & amicitię diuinæ studium in expleta legis obseruatione. Duas partes istas complexus Rex Dauid pœnitens ait: *iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*. Qui illos, inquit Tridentinum, sanctorum clamores considerarit: *Tibi soli peccaui & malum coram te feci: laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* & alia huius generis; facilè intelliget ea ex vehementi quodam anteactę vitę odio & ingenti peccatorum detestatione manasse. Sed de contritione, virtute & actu pœnitentiæ proximo iterum capite disseretur.

Rom. 12. 9. Psalmo 118. 163. Sess. 14. c. 4.



CAPVT XXX.

De pœnitentię ſacramento quod & reconciliationis, confeſſionis, abſolutionis & à veteribus exhomologeſeos dicitur, & quod pernegant Heretici à Baptiſmo eſſe diuerſum.



VM negare non auderent eos, qui ab accepta iuſtitia excidiſſent, reconciliari poſſe (quamquam ex eorum ſententia fides & iuſtitia ſemel adepta nequit amitti,) docuerunt eos reconciliari per baptiſmum, non reipſa ſed memoria repetitum. Præbuit his opinionibus occaſionem verbum illud periculoſum D. Hieronym. ſiue malè poſitum, ſiue malè intellectum, quo pœnitentiam appellat ſecundam tabulam poſt naufragiū; quaſi baptiſmus non ſit pœnitentia. Hinc enim vbi in peccatum lapſi fuerint de primâ tabulâ ſeu naui deſperantes ſecundæ tabulæ incipiunt niti & fidere, id eſt pœnitentiæ. Idem tradit Caluinus. A baptiſmo pendere clauium poteſtatem & vim baptiſmi ad omnia peccata totius vitæ ſe extendere ex huius rei ignoratione natum eſſe commentitium pœnitentiæ ſacramentum. Alias reprehendit Hieronym. dictum. Sed dictum, inquit Hieronym. cuiuſcumque ſit, quin planè impium ſit, excuſari nequit, ſi ex eorum ſenſu exponitur; quaſi vero per peccatum deleatur baptiſmus, & non potius in memoriam reuocandus ſit peccatori, quoties de remiſſione peccatorum cogitat,

Lutherus de capti. Babilonica c. de bapt.

C. 4. Inſtit. 15 § 4.

C. 19. § 17.

cogitat, vt illinc sese colligat animumque recipiat, & fidem confirmet, & infra: aptissimè itaque dixeris, si baptismum vocaueris pœnitentię sacramentum, cum in Confirmationem gratię & fiducię sigillum ijs datum sit, qui pœnitentiam meditantur. Delectabatur Caluinus hac sigilli metaphorâ, sed inane est sigillum vbi gratia non est, quam certè necesse est excludi quouis peccato lethali. Non deletur baptismus hoc sensu quin semper susceptus fuerit, & perseueret character impressus illius vi; at peccato quouis lethali gratia baptismalis expungitur, & qui illius est reus ex amico ac filio Dei, transit in partes dęmonis, fitque illius mancipium filius damnationis & gehennę, alioquin nec ipsa gehenna delet baptismū. Cæterum obseruat Trident. pœnitentiam à S. Patribus vocari laboriosum quemdam baptismum quod sine magnis fletibus & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire nequeamus ad eam nouitatem & integritatem, quam per baptismum noua in eo effecti creatura, cōsequimur. Ita Clemens Alexandrinus apud Euseb. vocat baptismum lachrymarum multisque orationibus & ieiunijs opus esse ad obtinendam remissionem. Nazianzenus distinguit baptismum aquæ qui facilis est à baptismo laborioso & lachrymarum, qua eadem similitudine vtitur Damascenus. Magnum enim est discrimen inter eos qui ante baptismum peccauerūt per ignorantiam & suæ salutis incuriam, & qui post baptismum per summam ingratitudinem & malitiam, qui semel lapsi; qui sæpè sępius relapsi, in eadem & grauiora peccata proruerunt, nec vlla ratio patitur vt pari æquè omnes pœna plectantur: At ex aduersariorum sententia longè facilius veniam assequuntur, qui post baptismum scientes & volentes per summam ingratitudinem sępius peccarunt; sola nimirum recordatione baptismi: ad quam baptismi memoriam nec Simon Magus, nec incestuosus ille Corinthius, nec alius vspiam, remissus legitur. Si valeat baptismus non tantum ad præterita sed ad futura omnia peccata delenda, haud exigua patefiet porta peccatis omnibus velut præsumpto

Sess. 14. c. 2.

Lib. 3. c. 17.

Oratio. in sancta lumina.

C. 4. de fide Cathol. c. 10.

Actorū 8. 22.

Corint. 5. 5.

præsumpto antidoto ad omnia venena; exeret baptismus vim suam in peccata nondum admissa, aut eius memoria plus virium habebit, quam ipse baptismus. Quod addit Caluinus durè & impropriè dictum à S. Hieronymo pœnitentiâ reparari baptismum, à quo excidunt, qui ab Ecclesia excommunicari merentur, in eo quoque cæteros Patres condemnat, qui per pœnitentiam asserunt reparari gratiam in baptismo deperditam. Non enim vnus Hieronymus sed alij passim PP. pœnitentiam à baptismo secundam tabulam dixerunt. Ambros. Pacianus Ambrosio antiquior Ep. 1. ad Soph. Antiquissimus Tertullianus secundam vocat ianuam quæ pulsantibus patebat obstructam peccato, ianuam indulgentiæ, & seram intinctionis; appellat item post baptismum secundam spem & secunda subsidia per multos labores perueniri ad remissionem post baptismum, cum antea facillimus esset aditus ad indulgentiam. Origen. Obijcientibus Christianis vnam tantum habere viam remissionis peccatorum nempe baptismum, respondet, non eam solam esse sed alios modos enumerat, quorum postremus & præcipuus est per pœnitentiæ sacramentum. Ante baptismum exigitur quoque pœnitentia, de qua Petrus Act. 2. Sed alia est, quæ post baptismum requiritur, de qua idem Apostolus ad Simonem Magum. Baptismus dici potest sigillum pœnitentiæ, sed prioris, quę antecedit, non posterioris quæ consequitur. Eodem sensu apud Fulgent. baptismus vocatur sacramentum fidei & pœnitentiæ.

Ad Virg. lapsam exposit. Ps. 37.

Hom. 2. in Leuit.

Act 2. 38.

Act. 8. 22.

L. de fide ad Petrum 30.

CAPVT





CAPVT XXXI.

De partibus materialibus sacramenti Pœnitentiæ quas omnes euertunt Hæretici.



NOTISSIMÆ sunt tres partes pœnitentiæ ipsius pœnitentis actiones, contritio, confessio, satisfactio, vt respondeant triplici, quod admitti solet à nobis, peccato, mentis, oris, & operis. Item aduersus Deum, proximum & nos ipsos. vel tribus conditionibus, quas ipsa ratio & naturæ lumen expostulat ad obtinendam veniam, in filio erga Patrem offensum, seruo erga Dominum, vxore erga maritum, nempè vt culpam detestentur, eam confiteantur, & debitæ pœnę humiliter se subijciant. Nihil in scriptura notius quam Deum esse patrem nostrum, summum Dominum, fidelissimumque animarum nostrarum sponsum. Ad iudices, inquit Tullius, sic agi solet, non fecit, non cogitauit, falsi testes, falsum crimen, Ad parentem autẽ erraui, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam posco, vt ignoscas oro. Tres istæ partes pœnitentiæ, quà virtus est, disponunt, sed quà sacramentum efficiunt cum absolutione reconciliationem, & iustificationem pœnitentis. Ad ipsam gratiam & iustitiam efficiendam velut causæ sacramentales cõcurrunt, vt quot modis offendimus Deum, ab eoque abiungimur, totidem reconciliemur & in gratiam redeamus. Singulæ testimonijs S. Scripturæ reperiuntur expressæ, exstantque illustria earundem exempla in Dauide, Niniuitis, Publicano, filio prodigo, quæ

S. Thomas 3. p. q. 90. a. 2. & 3.

Pro Ligario.

pluribus exponi atque amplificari possent, nisi vulgo essent notissima. Tertull. tres eas partes complexus est primum quod attinet ad contritionem, oportere pœnitentem animum mœrororibus deijcere, ingemiscere, lachrymari, mugire dies & noctes. Quoad satisfactionem, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, ieiunijs preces adiungere. Quoad confessionem, hæc omnia Exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, & in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur. Cum igitur prouoluit hominem, magis releuat, cum squalidum facit, magis mũdatum reddit, cum accusat excusat, cum condemnat absoluit. Omitto cæteros Patres vt maturiùs ad nouatores Epicureos veniamus. Duas illi pœnitentiæ partes statuunt, contritionem & fidem, sed per contritionem intelligunt terrores conscientiæ, ex comminatione legis incussos, per fidem, fiduciam certam remissionis peccatorum ex Euangelij promissione conceptam, quo sensu Luth. duas statuit, legem & Euangelium, Melanchon vocat mortificationem & viuificationem, quibus eisdem vocabulis vtitur Caluinus, sed alio sensu mortificationem sui, vitiorum, & totius veteris hominis abnegationem, quæ pœnitentia per omnem vitam agenda sit, viuificationem pium viuendi studium & affectum ad opera bona, quæ non sunt pars, sed fructus & effectus pœnitentiæ.

Cap. de pœnité.

Caluinum sequitur Beza, sed à recto tramite veritatis discipulus æquè ac Magister aberrant pœnitẽtiam verbis obscurare velle videntur, non pœnitentiam explicare, terrores incussi ex minis legis, & spes veniæ ex Euangelij pollicitatione, ac promissis, disponere quidem possunt animum ad pœnitentiam, & illi viam sternere ac munire; non sunt tamen illius partes, mortificatio vitiorum, & exercitatio piorum operum consequuntur pœnitentiam, & recuperatam postliminio gratiam, sed non ~~sicut~~ [Sunt] & ipsę partes pœnitentiæ, quibus gratia recuperetur, peccatumque deleatur, effectus sunt & fructus

ctus pœnitentiæ ac reconciliatę cum Deo gratiæ, non illius causa, ne dispositiones quidem quæ illam perficiant, atque a adimpleant. Ex eodem errorum fonte est quod Lutherani volunt contritionem ad legem, non ad Euangelium pertinere, non esse opus nostrum, sed potius passionem quâ concutiamur, eandem hominem reddere vel pertinacem, vel hypocritam, exuere omnibus suis bonis operibus, & replere innumerabilibus peccatis, hoc est cognitione peccatorum timore tremore & horrore. Lutherus sanè confidenter: plus tibi discutiendum est confessuro, quantum diligas iustitiam, quàm quantum odias peccatum, multoque maiore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo deseras aut odias præteritam malam, verissimum est enim prouerbium & omni doctrina de contritione huc vsque data præstantius optima pœnitentia noua vita. Hęc Lutherus admodum congruenter verbis antecedentibus. Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem (& postea) peruersissimo ordine & nunquam profuturo studio quæritur amor iustitiæ per odium peccati, imo machina desperationis & deijciendi animi est talis peruersitas. Pœnitentia enim debet esse dulcis; hominibus Epicureis à quibus abesse debet longissimè, quicquid iucunditatem vitæ delicatioris interturbet, quibus omnis dolor summum malum, voluptas summum bonum est. Quare & Caluinus ea parte contritionem reijcit, quod vbi exigitur doloris acerbitas quę culpę magnitudini respondeat, & quæ in trutina appendatur cum fiducia veniæ miseræ conscientię torqueantur & exagitentur, nec sibi satisfaciant vnquam se officium præstitisse quod erat in earum potestate. Sed inanis est ea excusatio; non enim aliam contritionem exigit Ecclesia, quam quâ Deo conscientiarum inspectori fieri queat satis: imo contritionem imperfectam, quę attritio dicitur, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, vna

Sermon. de pœnitent. Tom. I. opuscu. fol. 59.

cum sacramento pœnitentię, disponere ac sufficere ad remissionem peccatorum definit Trident. Absurdè vero Lutherus in meta consistere vult antequam è carceribus euolarit, versari in termino ad quem, amore iustitiæ ac virtutis; non deserto termino à quo, iniustitiâ & vitio minimè odio habitis ac repudiatis. Sit noua vita argumentum veræ pœnitentiæ: hæc tamen constare non potest, nisi in vitæ veteris odio, detestatione, &
De captiuit. Babylo. expiatione. Confessionem non esse necessariam multis docet Lutherus maximè quo ad circumstantias. Ego, inquit Luther. quicquid est circumstantiarum, consuluerim potius contem-
Serm. de pœnitēt. nere; Nempe laboris & erubescentiæ plena est ea discussio &
L. cōtra Latonū. 1521. confessio. Alias non esse confitenda venialia nec omnia mortalia sed ea tantum quę sunt manifestè mortalia, ac quotidie in deterius proficiens, nego in totum confessionem esse exi-
C. 3. Institu. c. 4. §. 12. gendam. Caluinus admittit confessionem generalem quam Minister pro se & populo faciat, & priuatam coram Pastore, quando quis ita angitur & afflictatur peccatorum sensu, vt se explicare, nisi alieno adiutorio non queat, sed tamen eam esse liberam, nec enumeranda omnia peccata, sed quoad interesse putabunt ad solidum consolationis fructum referendum. Quo egeant adiutorio ad explicandum, si nihil necesse est explicare, sed hac illecebrâ matronas Geneuenses ad se Pastorem alliciebat. Confessionem cuiusmodi fit apud Catholicos, vocat plusquam crudelem conscientiarum carnificinam, nec non laqueum populo Christiano inductum, dicam in summa, qualis lex illa fuerit, primum simpliciter est impossibilis, atq; ita non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem cōijcere potest. Deinde peccatores à vero peccatorum suorum sensu abductos, hypocritas facit, Deique ac sui ipsorum ignorantes. At hęc exaggerantur à Caluino, nulla
Sess. 14. c. 5. vel apparente ratione fulciuntur; audiendi potius Patres Tridentini; impium esse confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur impossibilem dicere, aut carnificinam illam cōscientiarū appellare, constat enim nihil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus

exigi,

exigi, quam vt postquam quisque diligentius se excusserit, & cõscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit, reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me Domine*, si impossibilis est ea confessio quæ fit homini Dei Vicario; impossibilis ea quoque censenda, quę fit ipsi Deo. Si hæc est possibilis, & illa; Nam & illa fit ipsi Deo, quæ fit eius Vicario; neque Deus aliam exigit diligentiam, in ea confessione quæ fit Vicario suo, quam quæ sibi fieret. Verè autem addit Trident. Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas & peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissima conferuntur. Quare quam sint à veritate aliena quę Caluinus deblaterat, Orthodoxorum, quibus eximium est solatium pœnitentiæ sacramentum, quottidiana docet experientia, Qui enim sedari possent conscientiæ timoratę, ac perturbatę, semper anxiæ de peccatorum remissione nisi eas Dei Vicarius suâ confirmet absolutione. Valet hic illud Ierem. *Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo.* Quod si secreta & auricularis confessio carnificina est, quantò magis publica consistorialis? ex hac, non ex illa nata sunt scandala, sacrilegia, odia, capitales inimicitiæ, cędes, rapinæ, blasphemiæ, hæc igitur abolenda, non illa quæ disciplinę Christianę custos & nutrix iure potest existimari, de qua apud veteres plurima extant monimenta. Vnum alterumue hic interseram. Cyprianus eorum impudentiam grauiter accusat qui post negatam fidem, ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis accesserant ad altare. Et post multa de occultis instituendam confessionem docet his verbis. Quanto fide maiores,

31.16.

Serm. de lapsis.

& timore meliores ſunt, quiquamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes dolenter & ſimpliciter, confitentur, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt &c. Denique confiteantur ſinguli, quæſo vos, fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cuiuſque & remiſſio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt.

L. 2. de pœnit. Ambroſius idem confirmat: Soluit criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum. Et iterum: hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, vbi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri? Narrat Paulinus in eius vita, quotieſcunque quis ei lapſus ſuos pœnitentiæ cauſa confiteretur, ita flebat, vt & pœnitentem flere compelleret.

In Mat. 16. Hieronymus vult Sacerdotes non prius exercere ſoluendi & ligandi poteſtatem, quam audierint peccatorum varietates, vt ſciant qui ligandi, quiue ſoluendi ſint.

Chryſ. c. 2. & 3. de Sacerd. Hom. 1. in pſ. 50 Hom. 3. ad Pop. Antioch In Eccleſ. 10. Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & tacuerit qui percuſſus eſt &c. Si erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Apud eundem Chryſoſtomum vocatur hoc tribunal ἀμάρτυρον, teſtium expers auriculare. Tertiam pœnitentiæ partem ſatisfactionem omnium acerrimè impugnant hæretici. Lutherus vehementer odi & ſublatum vellem hoc vocabulum ſatisfactio, quod non modò in ſcripturis non inuenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro peccato illo ſatisfacere, cum gratis ille ignoſcat omnia.

L. 1. c. 4. §. 4. Caluinus maiore licentia in fecibus ſuis torpent, quia confidunt expiationibus ludicris ſe poſſe erga illum defungi. Et alias tertium locum ſatisfactioni in pœnitentia aſſignant de qua quicquid blaterāt vno verbo ſubuerti poteſt. Dicunt non ſufficere pœnitenti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de ijs quæ facta ſunt ſatisfiat Deo. Eſſe autem multa adminicula, quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia, ijs Deum

propi-

propitiandum, ijs debita iustitiæ Dei persoluenda, ijs compensanda delicta ijs veniam emerendam. Quamuis enim largitate misericordiæ culpam remiserit, pœnam tamen retinere disciplina iustitiæ: Hanc esse pœnam quæ satisfactionibus redimenda sit. Optimè sed hanc pœnam temporaneam in quam sempiterna sit commutata dicere debuerat, nam æterna vna cum culpâ remittitur. Gratis quidem sed non absque præuia dispositione nec absque fructu consentaneo siquidem omnis nostra satisfactio CHRISTI Domini satisfactionibus, ac meritis innititur, & inde vim suam omnem mutuatur. Est autem ea pœna non solum emendatoria, verum & vindicatoria non modò præcauens peccati relapsum, qua ratione pertinere potest ad Dei misericordiam, qui nobis ea ratione consulit, verum & puniens iam admissum ex lege iustitiæ, ad offensi numinis gratiam amicitiamque recuperandam ordinata. Deus, inquit S. Cyprian. quantū pietatis Patris indulgens tantum Iudicis maiestate metuendus est. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit, orare oportet impensius, diem luctu transigere. vigilijs noctes ac fletibus insomnes ducere, tempus omne lachrymosis occupare lamentationibus, stratos solo adhęrere cineri, in cilicio versari & sordibus. D. Augus. non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs quę facta sunt satisfiat Deo per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, non dictum est vt tantum abstineamus à peccatis, sed & de præteritis deprecare Dominum vt tibi dimittatur. Sed Caluinus, parum me mouent, inquit quę in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos. O præclarum Censorem Epicureum, cui quemadmodum Luthero nulla nisi dulcis amaritudine omni dilutâ placebat pœnitentia. Sed quâ fronte Caluinus citat eosdem PP. Chrys. August.

Sermone de lap. *Hom. 30 ex 50.* *C. 4. §. 38.*

ad impugnandas satisfactiones, an vt ipse sibi passim contradicere solet: ita Patres secum pugnantes inducat, apertum est eos loqui de gratuita culpa & æternæ pœnæ condonatione, quæ CHRISTI Domini meritis est asscribenda, ex quibus & omnis nostra satisfactio & præparatio ad iustificationem vim suam obtinet, sed Caluin, nullam culpę & pœnæ, nullam pœnæ æternæ & temporalium, nullam peccatorum lethalium & venialium distinctionem admittit, quâ sublatâ quî potest Patrum dicta conciliare? Duplicem ipse pœnam statuit vindictę & correctionis, duoque iudicij genera, vnum iudicis, alterum patris, allegato Chrysostomo: pœnam aliam esse filiorum, aliam seruorum, verum hic nunquam asseuerarit Deum in hac mortali vita ita iudicem agere, quin & se patrem esse meminerit, sumusque omnes illi & famuli & filij, quorum omnium optat salutem & emendationem, Deus idem & Iudex, & Pater est erga omnes à se conditos & redemptos; quos dum punit & castigat ipsa punitione monet, & cautiores reddit, latet hic error Caluini ante extremum iudicium nullis pręuisis meritis, nec vitæ exitu distinctos esse electos & reprobos; aduersus electos Deum Patrem existere, aduersus reprobos iudicis officio fungi, nempe pro solis electis CHRISTVS passus est, & eorum non tantum pœnas omnes ęternas & temporales, sed & culpas suscepit ex imputatione Caluini, quare nulla illis opus est satisfactione, reprobis quoque nulla prodesse potest frustraque ab eis adhiberetur. Ergo totum opus saluationis vnius CHRISTI humeris imponendum; nullæ verò erunt reliquę partes mortalium, nec CHRISTI gratiæ cooperandum, si quibus constat sua electio, vt Caluinistis omnibus, securi sunt & altum dormire possunt, absque vlla pœnitendi & satisfaciendi curâ; quibus verò non constat hos necesse est se reprobos reputare & in desperationis barathrum proruere. Verum quamdiu præsens agitur vita, nemini de salute desperandum, est nec in quemquam sæuit Deus cum ira, iudicio vindictæ vt cum confun-

confundat, dissipet & perdat, sed omnes vti filios, & si quandoque seuerius corrigit, vt ea ipsa punitione ac mulctâ doceat, & cautiores imposterum reddat, ira ac vindicta propriè in futurum iudicium reseruatur; omnis verò satisfactio & pœna, siue quæ infligitur à Deo, siue quam quisque sibi volens imponit simul est & vindicta peccati præteriti, & admonitio & cautio futuri, eademque operâ & ad diuinum Numen propitiandum nos ipsos mulctamus & punimus, & ad peccatum omne deinceps vitandum præmunimus ac circumspectiores reddimus. Sed antequam de satisfactione finiamus, paucula de absolutione præmittamus.



CAPVT XXXII.

A quo sit impertienda sacramentalis absolutio.



AVDIAMVS responsiones Martini Lutheri Doctoris eximij Epicureorum Coriphei, de occultis audiendæ confessionis facultas liberrima omnibus fratribus ac sororibus permittenda est. Quicumque te absoluerit, siue ioco, siue serio, modo credideris absolutus eris. Cessent hominum mendacia, claues sunt totius Ecclesiæ & cuiuslibet ministri eius tam iure quam vsu, & omnibus modis. Quid mirum? omnes Christiani Sacerdotes sunt; tam viri quam mulieres, Iuuenes & senes Domini & serui, Dominæ & Ancillæ, docti & indocti, præsentes & futuri (addo & præteritos) hic nullum discrimen est, nisi fides inæqualis sit. Ministerium verbi omnibus commune est etiam mulieribus, non modo iure, sed & præcepto.

L. de captiu. Babil. 8. assert. & 12. 19. L. de clauibus. 8. artic. Assert. ar. 3. 10. 2.

In sacramento pœnitentiæ non facit plus Episcopus, quam infimus sacerdos, immo vbi non est sacerdos tantum facit quilibet Christianus etiamsi mulier & puer esset. Nec omnis fit sacerdos sed nascitur, non ordinatur sed creatur. Quisquis ex baptismate prorepsit gloriari potest, se iam Sacerdotem, Episcopum, & Papam esse, & aduersus hoc nihil valent innumera Concilia, æterna consuetudo, vniuersa multitudo mundi. O hominem delirum! sed potestne vlterius eius insaniâ progredi? sacramenta etiam diabolus rectè & ordine confert, nec pignus dederimus, numquam diabolũ egisse Pastorem. Bene sibi consulit dum pignore deposito certare non vult. Scit enim quo Doctore profecerit. Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, non Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed è contrario dico, si diabolus ipse veniret & ego postea rescissem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, & specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè & ritè docuisse, baptisasse, celebrasse Missam & absoluisse à peccatis, & tali munere functum iuxta institutum CHRISTI (non instituit sanè CHRISTVS diabolum sacramentorum suorum administrum) tunc cogeremur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI nos accepisse. Hæc
l. 4. c. 15. §. 20. 21. Doctor Martinus Lutherus: Caluinus in altero extremo ne in necessitate quidem permittit laicis præsertim fœminis baptismum, conferre sed ministris dumtaxat legitimè vocatis. Vt
De præscript. aduers. her. 41. omnem fæminis ad publicum ministerium præcludat aditum, ex Tertulliano profert, nõ permitti mulieri loqui in Ecclesia, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis,
l. 3. c. 4. §. 12. nedum sacerdotalis officij sortem sibi vindicare. Quoad confessionem tamen scribit Calũ. Iacobum liberum permittere, vt ei confiteamur, qui ex Ecclesię grege maximè idoneus fuerit visus, mox tamen addit; Quia Pastores præ alijs, vt plurimum iudicandi sunt idonei, potissimum nobis eligendos,
sed

ſed quid ſi viro maximè videatur idonea mulier, vt quidam ex Viuarienſi Prouincia Miniſter reſpondit, Iacobi mentem eſſe vt vir vxori, vxor viro confiteatur. Sanè non verentur Caluini diſcipuli, Eccleſiæ capita Principes Ciuiles agnoſcere & ſtatuere, ſiue illi viri, ſiue pueri, ſiue fœminæ ſint, cuiuſcumque tandem ſectæ & Religionis. Eſt enim, inquiunt, penes magiſtratum ciuilem Eccleſiaſticarum legum conſtitutio, & Religionis reformatio. Docendi in Eccleſia & ſacramenta adminiſtrandi poteſtatem non laici ſolum omnes, ſed fœminæ etiam poſſident. Si Regina ſit in conſcientia credendum eſt iuriſdictionem habere ad reformandum, ordinādum. corrigendum homines Eccleſiaſticos, & quoſcumque errores & ſchiſmata. Non certè in Eccleſia catholica, ſed in ſynagogis Caluini & Lutheri. Quale nuper monſtrum vidimus lupam & lupæ filiam Eliſabetham, Eccleſiæ caput Anglicanæ ſed Caluiniſticæ. Valeant hæc apud homines mulieroſos Epicureos; ab Orthodoxis ratione & iudicio vtentibus, planè repudiabūtur. Scimus claues Eccleſiæ à CHRISTO Domino datas ſolis Epiſcopis ac Sacerdotibus legitimè ordinatis ſecundum eas functiones ad quas ordinati ſunt. Quis ignorat veterem hunc Eccleſię morem fuiſſe quem deſcribit Tertullianus vt pœnitentes non niſi presbyteris aduoluerentur. Hinc Ambroſius poteſtas ligandi & ſoluendi ſolis Sacerdotibus conceſſa eſt. Hinc Hieronymus vt in veteri lege ſoli Sacerdotes inter lepram & lepram diſcernebant, ita in noua lege claues illi regni cælorum, quibus peccata remittuntur, ſoli acceperunt; Abſit, inquit idem Hieronym. vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes CHRISTI corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus; qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante diem iudicij iudicant, qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant; hinc magnus ille Leo CHRISTVS Eccleſiæ præpoſitis hanc poteſtatem dedit vt confitentibus pœnitentię ſatisfactionem imponerent. Hinc Chryſoſtomus Sacerdotum poteſtatem

Lib. de pœnit.
Lib. 1. de pœnit. 2.
In 16. Matth.
Ad Heliodor.

noſtrę labefactant, & euertunt. Prętextus ille eſt, quo tegere conantur, inſigne quo laborant odium omnium ſatisfactionum & pœnitentiarum, cupientes hac quoque via clandeſtina quaſi per omnē cuniculū CHRISTI ſatisfactionē euertere. Quemadmodum CHRISTI Domini miraculorum gloriæ nihil officiunt, Apoſtolorum eius diſcipulorum miracula, quæ non niſi eius virtute, ad illius illuſtrandam gloriam patrata ſunt; Nihil etiam cæleſtis eius doctrinæ ſplendorem obſcurat, quod Apoſtoli toto terrarum orbe diſſeminarunt Euangeliū. Denique ſalutis per eum hominibus impartitę beneficium, nihil imminuit, quod per ſacramenta, ſacramentorumque adminiſtros gratiam ſuam in mortales deriuet, ita nec merita noſtra meritis eius ſubordinata, nec ſatisfactiones ex illius ſatisfactione vim habentes, illam euertere, ſed potius ſtabilire, atque vti præſcripſerat, abſoluere cenſeri debent. Neque enim ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, vt non ſit per CHRISTVM IESVM. Nam qui ex nobis tanquā ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat omnia poſſumus. Ita non habet homo vnde glorietur. Sed omnis gloriatio noſtra eſt in CHRISTO in quo viuimus & in quo morimur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri & per illum acceptantur à Patre. Eſt quidem CHRISTI ſatisfactio ac redemptio, ſupra quam dici ac cogitari queat exuberantiſſima, vndequaque pretij infiniti, inexhauſta ſuperabundans ad extremum vnguem ac rigorem expenſa iuſtitię. Verum vti nos eius participes efficeremur; certas adhiberi voluit Dominus conditiones ſine quibus eius fructum non caperemus, voluit gratiam ſuam cum eâ quâ par eſt diſpoſitione recipi, nec ſemper omnem pœnam cum culpa remitti, ſed ſuper eſſe temporaneam aliquam quæ à nobis dependatur, aut compenſetur, Eleemoſynis redimatur, ieiunio oratione alijſque pijs operibus expungatur. Voluit ad ipſius culpæ ac pœnæ etiam æternæ condonationem aliquid operæ à nobis conferri, contritione, pœnitentia & ſatisfactione præeunte ſaltem in animi præparitione

ad gratiam excipiendam comparari. Prioribus sæculis videtur hęc consuetudo viguisse, vt ante absolutionem pręmitterętur, expleretúrque satisfactio, quemadmodum restitutio, quam malè quispiam cum satisfactione confuderit, ablatio enim est furti, detentionis rei alienę. Post tamen obtinuit, vt præmitteretur absolutio, vt eo fructuosior atque efficacior euaderet satisfactio pœnitentis in gratiam amicitiamque recepti, quo solent amicorum ac filiorum opera Deo esse gratiosa, tum vt appareret absolutionem valere; nec tantum vt externæ fidelium societati pœnitens restitueretur, sed coram Deo ad expiationem culpæ ac æternæ pœnæ. Prior antecedens valuit vti loquuntur de congruo. Posterior etiam de condigno. Extant apud D. Leonem vtriusq; huius moris vestigia. CHRISTVS hanc Ecclesię prępositis tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentię darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communione sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Qui tamen graui morte correpti, vel alio casu de vita periclitantur, absolutio potest impendi nondum peracta satisfactione. His, inquit D. Leo, qui in tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: à Sixto IV. in Concilio Complutensi, inter alios damnatus est error Petri Oxoniensis non esse absoluendos pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis iniuncta. Sat enim est acceptatam esse, & inclusam in actum contritionis, vt de restitutione quę æque aut magis est necessaria. In ipsa contritione quędam inest ob eius amaritudinem, satisfactio, aut certè prompta satisfaciendi voluntas, de qua S. August. Nullam debere grauioris pœnæ veniam accipere, nisi qualemcumque etsi longè minorem quam debeat soluerit pœnam, atque ita tribui à Deo largitate misericordiæ, vt non relinquatur disciplina iustitiæ. Nam & peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam, vt nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat;

Ep. 91.

Lib. de Contin. c. 6.

aut

pluribus exponi atque amplificari possent, nisi vulgo essent notissima. Tertull. tres eas partes complexus est primum quod attinet ad contritionem, oportere pœnitentem animum mœroribus deijcere, ingemiscere, lachrymari, mugire dies & noctes. Quoad satisfactionem, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, ieiunijs preces adiungere. Quoad confessionem, hæc omnia Exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, & in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur. Cum igitur prouoluit hominem, magis releuat, cum squalidum facit, magis mūdatum reddit, cum accusat excusat, cum condemnat absoluit. Omitto cæteros Patres vt maturius ad nouatores Epicureos veniamus. Duas illi pœnitentiæ partes statuunt, contritionem & fidem, sed per contritionem intelligunt terrores conscientiæ, ex comminatione legis incussos, per fidem, fiduciam certam remissionis peccatorum ex Euangelij promissione conceptam, quo sensu Luth. duas statuit, legem & Euangelium, Melancthon vocat mortificationem & viuificationem, quibus eisdem vocabulis vtitur Caluinus, sed alio sensu mortificationem sui, vitiorum, & totius veteris hominis abnegationem, quæ pœnitentia per omnem vitam agenda sit, viuificationem pium viuendi studium & affectum ad opera bona, quæ non sunt pars, sed fructus & effectus pœnitentiæ.

Cap. de pœnitē.

Caluinum sequitur Beza, sed à recto tramite veritatis discipulus æquè ac Magister aberrant pœnitētiam verbis obscurare velle videntur, non pœnitentiam explicare, terrores incussi ex minis legis, & spes veniæ ex Euangelij pollicitatione, ac promissis, disponere quidem possunt animum ad pœnitentiam, & illi viam sternere ac munire; non sunt tamen illius partes, mortificatio vitiorum, & exercitatio piorum operum consequuntur pœnitentiam, & recuperatam postliminio gratiam, sed non ~~sicut~~ & ipsę partes pœnitentiæ, quibus gratia recuperetur, peccatumque deleatur, effectus sunt & fructus

Sunt

ctus pœnitentiæ ac reconciliatę cum Deo gratiæ, non illius causa, ne dispositiones quidem quæ illum perficiant, atque
a adimpleant. Ex eodem errorum fonte est quod Lutherani volunt contritionem ad legem, non ad Euangelium pertinere, non esse opus nostrum, sed potius passionem quâ concutiamur, eandem hominem reddere vel pertinacem, vel hypocritam, exuere omnibus suis bonis operibus, & replere innumerabilibus peccatis, hoc est cognitione peccatorum timore tremore & horrore. Lutherus sanè confidenter: plus tibi discutiendum est confessuro, quantum diligas iustitiam, quàm quantum odias peccatum, multoque maiore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo deseras aut odias præteritam malam, verissimum est enim prouerbium & omni doctrina de contritione huc vsque data præstantius optima pœnitentia noua vita. Hęc Lutherus admodum congruenter verbis antecedentibus. Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem (& posteą) peruersissimo ordine & nunquam profuturo studio quæritur amor iustitiæ per odium peccati, imo machina desperationis & deijciendi animi est talis peruersitas. Pœnitentia enim debet esse dulcis; hominibus Epicureis à quibus abesse debet longissimè, quicquid iucunditatem vitæ delicatioris interturbet, quibus omnis dolor summum malum, voluptas summum bonum est. Quare & Caluinus ea parte contritionem reijcit, quod vbi exigitur doloris acerbitas quę culpę magnitudini respondeat, & quæ in trutina appendatur cum fiducia veniæ miseræ conscientię torqueantur & exagitentur, nec sibi satisfaciant vnquam se officium præstitisse quod erat in earum potestate. Sed inanis est ea excusatio; non enim aliam contritionem exigit Ecclesia, quam quâ Deo conscientiarum inspectori fieri queat satis: imo contritionem imperfectam, quę attritio dicitur, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, vna

Sermon. de pœnitent. Tom. 1. opuscu. fol. 59.

cum sacramento pœnitentię, disponere ac sufficere ad remissionem peccatorum definit Trident. Absurdè vero Lutherus in meta consistere vult antequam è carceribus euolarit, versari in termino ad quem, amore iustitiæ ac virtutis; non deserto termino à quo, iniustitiâ & vitio minimè odio habitis ac repudiatis. Sit noua vita argumentum veræ pœnitentiæ: hæc tamen constare non potest, nisi in vitæ veteris odio, detestatione, & expiatione. Confessionem non esse necessariam multis docet Lutherus maximè quo ad circumstantias. Ego, inquit Luther. quicquid est circumstantiarum, consuluerim potius contemnere; Nempe laboris & erubescentiæ plena est ea discussio & confessio. Alias non esse confitenda venialia nec omnia mortalia sed ea tantum quę sunt manifestè mortalia, ac quotidie in deterius proficiens, nego in totum confessionem esse exigendam. Caluinus admittit confessionem generalem quam Minister pro se & populo faciat, & priuatam coram Pastore, quando quis ita angitur & afflictatur peccatorum sensu, vt se explicare, nisi alieno adiutorio non queat, sed tamen eam esse liberam, nec enumeranda omnia peccata, sed quoad interesse putabunt ad solidum consolationis fructum referendum. Quo egeant adiutorio ad explicandum, si nihil necesse est explicare, sed hac illecebrâ matronas Geneuenses ad se Pastorem alliciebat. Confessionem cuiusmodi fit apud Catholicos, vocat plusquam crudelem conscientiarum carnificinam, nec non laqueum populo Christiano inductum, dicam in summa, qualis lex illa fuerit, primum simpliciter est impossibilis, atq; ita non nisi perdere, damnare, confundere, in ruinam & desperationem cōijcere potest. Deinde peccatores à vero peccatorum suorum sensu abductos, hypocritas facit, Deique ac sui ipsorum ignorantes. At hęc exaggerantur à Caluino, nulla vel apparente ratione fulciuntur; audiendi potius Patres Tridentini; impium esse confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur impossibilem dicere, aut carnificinam illam cōscientiarū appellare, constat enim nihil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus exigi,

De captiuit. Babylo. Serm. de pœnitēt. L. cōtra Latonū. 1521.

C. 3. Institu. c. 4. §. 12

Sess. 14. c. 5.

exigi, quam vt postquam quisque diligentius se excusserit, & cõscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit, reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me Domine*, si impossibilis est ea confessio quæ fit homini Dei Vicario; impossibilis ea quoque censenda, quę fit ipsi Deo. Si hæc est possibilis, & illa; Nam & illa fit ipsi Deo, quæ fit eius Vicario; neque Deus aliam exigit diligentiam, in ea confessione quæ fit Vicario suo, quam quæ sibi fieret. Verè autem addit Trident. Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas & peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissima conferuntur. Quare quam sint à veritate aliena quę Caluinus deblaterat, Orthodoxorum, quibus eximium est solatium pœnitentiæ sacramentum, quottidiana docet experientia, Qui enim sedari possent conscientiæ timoratę, ac perturbatę, semper anxiæ de peccatorum remissione nisi eas Dei Vicarius suâ confirmet absolutione. Valet hic illud Ierem. *Quiescat vox tua à plo-* 31.16.
ratu & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo. Quod si secreta & auricularis confessio carnificina est, quantò magis publica consistorialis? ex hac, non ex illa nata sunt scandala, sacrilegia, odia, capitales inimicitiæ, cędes, rapinæ, blasphemiæ, hæc igitur abolenda, non illa quæ disciplinę Christianę custos & nutrix iure potest existimari, de qua apud veteres plurima extant monimenta. Vnum alterumue hic interseram. Cyprianus eorum impudentiam grauiter accusat qui post negatam fidem, ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis accesserant ad altare. Et post multa de occultis instituendam confessionem docet his verbis. Quanto fide maiores,

Serm. de lapsis.

& timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes dolenter & simpliciter, confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt &c. Denique confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sęculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio cuiusque & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.
L. 2. de pœnit. Ambrosius idem confirmat: Soluit criminum nexus verecunda confessio peccatorum. Et iterum: hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, vbi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri? Narrat Paulinus in eius vita, quotiescunque quis ei lapsus suos pœnitentiæ causa confiteretur, ita flebat, vt & pœnitentem flere compelleret. *In Mat. 16.* Hieronymus vult Sacerdotes non prius exercere soluendi & ligandi potestatem, quam audierint peccatorum varietates, vt sciant qui ligandi, quiúe soluendi sint. In Eccles. 10. Si quem serpens dialobus occultè momorderit, & tacuerit qui percussus est &c. Si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. *Chrys. c. 2. & 3. de Sacerd. Hom. 1. in ps. 50 Hom. 3. ad Pop. Antioch* Apud eundem Chrysostomum vocatur hoc tribunal *ἀμάρτηρον,* testium expers auriculare. Tertiam pœnitentiæ partem satisfactionem omnium acerrimè impugnant hæretici. Lutherus vehementer odi & sublatum vellem hoc vocabulum satisfactio, quod non modò in scripturis non inuenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro peccato illo satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia. *L. 1. c. 4. § . 4.* Caluinus maiore licentia in fecibus suis torpent, quia confidunt expiationibus ludicris se posse erga illum defungi. Et alias tertium locum satisfactioni in pœnitentia assignant de qua quicquid blaterát vno verbo subuerti potest. Dicunt non sufficere pœnitenti à præteritis malis abstinere, & mores in melius commutare, nisi de ijs quæ facta sunt satisfiat Deo. Esse autem multa adminicula, quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia, ijs Deum propi-

propitiandum, ijs debita iustitiæ Dei persoluenda, ijs compensanda delicta ijs veniam emerendam. Quamuis enim largitate misericordiæ culpam remiserit, pœnam tamen retinere disciplina iustitiæ: Hanc esse pœnam quæ satisfactionibus redimenda sit. Optimè sed hanc pœnam temporaneam in quam sempiterna sit commutata dicere debuerat, nam æterna vna cum culpâ remittitur. Gratis quidem sed non absque præuia dispositione nec absque fructu consentaneo siquidem omnis nostra satisfactio CHRISTI Domini satisfactionibus, ac meritis innititur, & inde vim suam omnem mutuatur. Est autem ea pœna non solum emendatoria, verum & vindicatoria non modò præcauens peccati relapsum, qua ratione pertinere potest ad Dei misericordiam, qui nobis ea ratione consulit, verum & puniens iam admissum ex lege iustitiæ, ad offensi numinis gratiam amicitiamque recuperandam ordinata. Deus, inquit S. Cyprian. quantū pietatis Patris indulgens tantum Iudicis maiestate metuendus est. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit, orare oportet impensius, diem luctu transigere. vigilijs noctes ac fletibus insomnes ducere, tempus omne lachrymosis occupare lamentationibus, stratos solo adhærere cineri, in cilicio versari & sordibus. D. August. non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs quę facta sunt satisfiat Deo per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, non dictum est vt tantum abstineamus à peccatis, sed & de præteritis deprecare Dominum vt tibi dimittatur. Sed Caluinus, parum me mouent, inquit quę in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos. O præclarum Censorem Epicureum, cui quemadmodum Luthero nulla nisi dulcis amaritudine omni dilutâ placebat pœnitentia. Sed quâ fronte Caluinus citat eosdem PP. Chrys. August.

Sermone de lap.

Hom. 30 ex 50.

C. 4. §. 38.

ad

ad impugnandas satisfactiones, an vt ipse sibi passim contradicere solet: ita Patres secum pugnantes inducat, apertum est eos loqui de gratuita culpa & æternæ pœnæ condonatione, quæ CHRISTI Domini meritis est asscribenda, ex quibus & omnis nostra satisfactio & præparatio ad iustificationem vim suam obtinet, sed Caluin. nullam culpę & pœnæ, nullam pœnæ æternæ & temporalium, nullam peccatorum legalium & venialium distinctionem admittit, quâ sublatâ quî potest Patrum dicta conciliare? Duplicem ipse pœnam statuit vindictę & correctionis, duoque iudicij genera, vnum iudicis, alterum patris, allegato Chrysostomo: pœnam aliam esse filiorum, aliam seruorum; verum hic nunquam asseuerarit Deum in hac mortali vita ita iudicem agere, quin & se patrem esse meminerit, sumusque omnes illi & famuli & filij, quorum omnium optat salutem & emendationem, Deus idem & Iudex, & Pater est erga omnes à se conditos & redemptos; quos dum punit & castigat ipsa punitione monet, & cautiores reddit, latet hic error Caluini ante extremum iudicium nullis pręuisis meritis, nec vitæ exitu distinctos esse electos & reprobos; aduersus electos Deum Patrem existere, aduersus reprobos iudicis officio fungi, nempe pro solis electis CHRISTVS passus est, & eorum non tantum pœnas omnes ęternas & temporales, sed & culpas suscepit ex imputatione Caluini, quare nulla illis opus est satisfactione, reprobis quoque nulla prodesse potest frustraque ab eis adhiberetur. Ergo totum opus saluationis vnius CHRISTI humeris imponendum; nullæ verò erunt reliquę partes mortalium, nec CHRISTI gratiæ cooperandum, si quibus constat sua electio, vt Caluinus istis omnibus, securi sunt & altum dormire possunt, absque vlla pœnitendi & satisfaciendi curâ; quibus verò non constat hos necesse est se reprobos reputare & in desperationis barathrum proruere. Verum quamdiu præsens agitur vita, nemini de salute desperandum, est nec in quemquam sæuit Deus cum ira, iudicio vindictæ vt eum confun-

confundat, dissipet & perdat, sed omnes vti filios, & si quandoque seuerius corrigit, vt ea ipsa punitione ac mulctâ doceat, & cautiores imposterum reddat, ira ac vindicta propriè in futurum iudicium reseruatur; omnis verò satisfactio & pœna, siue quæ infligitur à Deo, siue quam quisque sibi volens imponit simul est & vindicta peccati præteriti, & admonitio & cautio futuri, eademque operâ & ad diuinum Numén propitiandum nos ipsos mulctamus & punimus, & ad peccatum omne deinceps vitandum præmunimus ac circumspectiores reddimus. Sed antequam de satisfactione finiamus, paucula de absolutione præmittamus.



CAPVT XXXII.

A quo sit impertienda sacramentalis absolutio.



AVDIAMVS responsiones Martini Lutheri Doctoris eximij Epicureorum Coriphei, de occultis audiendæ confessionis facultas liberrima omnibus fratribus ac sororibus permittenda est. Quicumque te absoluerit, siue ioco, siue serio, modo credideris absolutus eris. Cessent hominum mendacia, claues sunt totius Ecclesiæ & cuiuslibet ministri eius tam iure quam vsu, & omnibus modis. Quid mirum? omnes Christiani Sacerdotes sunt; tam viri quam mulieres, Iuuenes & senes Domini & serui, Dominæ & Ancillæ, docti & indocti, præsentes & futuri (addo & præteritos) hic nullum discrimen est, nisi fides inæqualis sit. Ministerium verbi omnibus commune est etiam mulieribus, non modo iure, sed & precepto.

L. de captiu. Babil. 8. assert. & 12. 19. L. de clauibus. 8. artic. Assert. ar. 3. 10. 2.

In sacramento pœnitentiæ non facit plus Episcopus, quam infimus sacerdos, immo vbi non est sacerdos tantum facit quilibet Christianus etiamsi mulier & puer esset. Nec omnis fit sacerdos sed nascitur, non ordinatur sed creatur. Quisquis ex baptismate prorepsit gloriari potest, se iam Sacerdotem, Episcopum, & Papam esse, & aduersus hoc nihil valent innumera Concilia, æterna consuetudo, vniuersa multitudo mundi. O hominem delirum! sed potestne vlterius eius insaniā progredi? sacramenta etiam diabolus rectè & ordine confert, nec pignus dederimus, numquam diabolū egisse Pastorem. Bene sibi consulit dum pignore deposito certare non vult. Scit enim quo Doctore profecerit. Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, non Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed è contrario dico, si diabolus ipse veniret & ego postea rescissem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, & specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè & ritè docuisse, baptisasse, celebrasse Missam & absoluisse à peccatis, & tali munere functum iuxta institutum CHRISTI (non instituit sanè CHRISTVS diabolum sacramentorum suorum administrum) tunc cogeremur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI nos accepisse. Hæc

l. 4. c. 15 § 20 21. Doctor Martinus Lutherus: Caluinus in altero extremo ne in necessitate quidem permittit laicis præsertim fœminis baptismum conferre sed ministris dumtaxat legitimè vocatis. Vt omnem fæminis ad publicum ministerium præcludat aditum, *De præscript. aduers. her. 41.* ex Tertulliano profert, nō permitti mulieri loqui in Ecclesia, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis, *l. 3. c. 4. § 12.* nedum sacerdotalis officij sortem sibi vindicare. Quoad confessionem tamen scribit Calū. Iacobum liberum permittere, vt ei confiteamur, qui ex Ecclesię grege maximè idoneus fuerit visus, mox tamen addit; Quia Pastores præ alijs, vt plurimum iudicandi sunt idonei, potissimum nobis eligendos,

sed

sed quid si viro maximè videatur idonea mulier, vt quidam ex Viuariensi Prouincia Minister respondit, Iacobi mentem esse vt vir vxori, vxor viro confiteatur. Sanè non verentur Caluini discipuli, Ecclesiæ capita Principes Ciuiles agnoscere & statuere, siue illi viri, siue pueri, siue fœminæ sint, cuiuscumque tandem sectæ & Religionis. Est enim, inquiunt, penes magistratum ciuilem Ecclesiasticarum legum constitutio, & Religionis reformatio. Docendi in Ecclesia & sacramenta administrandi potestatem non laici solum omnes, sed fœminæ etiam possident. Si Regina sit in conscientia credendum est iurisdictionem habere ad reformandum, ordinãdum. corrigendum homines Ecclesiasticos, & quoscumque errores & schismata. Non certè in Ecclesia catholica, sed in synagogis Caluini & Lutheri. Quale nuper monstrum vidimus lupam & lupæ filiam Elisabetham, Ecclesiæ caput Anglicanæ sed Caluinisticæ. Valeant hæc apud homines mulierosos Epicureos; ab Orthodoxis ratione & iudicio vtentibus, planè repudiabũtur. Scimus claues Ecclesiæ à CHRISTO Domino datas solis Episcopis ac Sacerdotibus legitimè ordinatis secundum eas functiones ad quas ordinati sunt. Quis ignorat veterem hunc Ecclesiæ morem fuisse quem describit Tertullianus vt pœnitentes non nisi presbyteris aduoluerentur. Hinc Ambrosius potestas ligandi & soluendi solis Sacerdotibus concessa est. Hinc Hieronymus vt in veteri lege soli Sacerdotes inter lepram & lepram discernebant, ita in noua lege claues illi regni cælorum, quibus peccata remittuntur, soli acceperunt; Absit, inquit idem Hieronym. vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes CHRISTI corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus; qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante diem iudicij iudicant, qui sponsam Domini sobria castitate conseruant; hinc magnus ille Leo CHRISTVS Ecclesiæ præpositis hanc potestatem dedit vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem imponerent. Hinc Chrysostomus Sacerdotum potestatem

Lib. de pœnit.
Lib. 1. de pœnit. 2.
In 16. Matth.
Ad Heliodor.

auribus sunt insinuata quod Abbatissæ moniales proprias benedicant ipsarū quoque confessiones in criminibus audiant, & legentes Euangelium præsumāt publicè prædicare. Cum igitur id absonum sit pariter & absurdum: mandamus, quatenus ne id de cetero fiat cunctis firmiter inhibere: quia licet beatissima VIRGO MARIA dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis Dominus claues regni Cælorum commisit. Hactenus Innocentius. Quæ contra possint obijci Sanctorum Patrum sententiæ cuiusmodi perferantur à Magistro sententiarum dist. 20. c. 4. intelligi debent non de remissione peccatorum quæ fit per sacramentum pœnitentiæ, sed de eo remittendi modo quo quis per orationes, gemitus, & alia pietatis opera cooperatur pœnitentiæ ad impetrandam peccatorum veniam.



CAPVT XXXIII.

De satisfactione pœnitentiæ iniuncta, & indulgentia, quæ satisfactionis relaxatio est.



EX tribus pœnitentiæ partibus satisfactio quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè nostra ętate summo pietatis prætextu, impugnata ab ijs, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt. Nempe ab hominibus Epicureis Christiana larua pietatem ementitis, ad extollendam (vt aiunt) vnius CHRISTI satisfactionem eximiam quam nostram *Tridēt. sess. 14. cap. 18.*

nostrę labefactant, & euertunt. Prętextus ille est, quo tegere conantur, insigne quo laborant odium omnium satisfactionum & pœnitentiarum, cupientes hac quoque via clandestina quasi per omnē cuniculū CHRISTI satisfactionē euertere. Quemadmodum CHRISTI Domini miraculorum gloriæ nihil officiunt, Apostolorum eius discipulorum miracula, quæ non nisi eius virtute, ad illius illustrandam gloriam patrata sunt. Nihil etiam cælestis eius doctrinæ splendorem obscurat, quod Apostoli toto terrarum orbe disseminarunt Euangeliū. Denique salutis per eum hominibus impartitę beneficium, nihil imminuit, quod per sacramenta, sacramentorumque administros gratiam suam in mortales deriuet, ita nec merita nostra meritis eius subordinata, nec satisfactiones ex illius satisfactione vim habentes, illam euertere, sed potius stabilire, atque vti præscripserat, absoluere censeri debent. Neque enim ita nostra est satisfactio hæc, vt non sit per CHRISTVM IESVM. Nam qui ex nobis tanquā ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat omnia possumus. Ita non habet homo vnde glorietur. Sed omnis gloriatio nostra est in CHRISTO in quo viuimus & in quo morimur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri & per illum acceptantur à Patre. Est quidem CHRISTI satisfactio ac redemptio, supra quam dici ac cogitari queat exuberantissima, vndequaque pretij infiniti, inexhausta superabundans ad extremum vnguem ac rigorem expensa iustitię. Verum vti nos eius participes efficeremur; certas adhiberi voluit Dominus conditiones sine quibus eius fructum non caperemus, voluit gratiam suam cum eâ quâ par est dispositione recipi, nec semper omnem pœnam cum culpa remitti, sed super esse temporaneam aliquam quæ à nobis dependatur, aut compenſetur, Eleemosynis redimatur, ieiunio oratione alijsque pijs operibus expungatur. Voluit ad ipsius culpæ ac pœnæ etiam æternæ condonationem aliquid operæ à nobis conferri, contritione, pœnitentia & satisfactione præeunte saltem in animi præparitione

ad gratiam excipiendam comparari. Prioribus sæculis videtur hęc consuetudo viguisse, vt ante absolutionem pręmitteretur, expleretúrque satisfactio, quemadmodum restitutio, quam malè quispiam cum satisfactione confuderit; ablatio enim est furti, detentionis rei alienę. Post tamen obtinuit, vt præmitteretur absolutio, vt eo fructuosior atque efficacior euaderet satisfactio pœnitentis in gratiam amicitiamque recepti, quo solent amicorum ac filiorum opera Deo esse gratiosa, tum vt appareret absolutionem valere, nec tantum vt externæ fidelium societati pœnitens restitueretur: sed coram Deo ad expiationem culpæ ac æternæ pœnæ. Prior antecedens valuit vti loquuntur de congruo. Posterior etiam de condigno. Extant apud D. Leonem vtriusq; huius moris vestigia. CHRISTVS hanc Ecclesię prępositis tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentię darent & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Qui tamen graui morte correpti, vel alio casu de vita periclitantur, absolutio potest impendi nondum peracta satisfactione. His, inquit D. Leo, qui in tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. à Sixto IV. in Concilio Complutensi, inter alios damnatus est error Petri Oxoniensis non esse absoluendos pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis iniuncta. Sat enim est acceptatam esse, & inclusam in actum contritionis, vt de restitutione quę æque aut magis est necessaria. In ipsa contritione quędam inest ob eius amaritudinem, satisfactio, aut certè prompta satisfaciendi voluntas, de qua S. August. Nullam debere grauioris pœnæ veniam accipere, nisi qualemcumque etsi longè minorem quam debeat soluerit pœnam, atque ita tribui à Deo largitate misericordiæ, vt non relinquatur disciplina iustitiæ. Nam & peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam, vt nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut

Ep. 91.

Lib. de Contin. c. 6.

Cap. de pœnit. aut cęcitate non doleat. Tertullianus ait temporali afflictione pœnitentis æterna supplicia expungi: & peccatorem maccerari & excruciari pœnitentię operibus, ne in æternũ pereat. Absolutio datur non tantum intuitu contritionis & confessionis, verum & satisfactionis factę & faciendę quare cum per absolutionem remittitur culpa, & pœna æterna in temporaneam commutatur, id respectu quoque satisfactionis fieri censendum est. Est tertia illa pars sacramenti pœnitentiæ, quam pro potestate clauium Sacerdos in eo Tribunali Iudex, & CHRISTI Vicarius iniungit, quam respuere pœnitenti non licet, nisi manifestè iniusta esse conuinceretur; nec se purgatorijs pœnis reseruare, potest tamen partem aliquam indulgentijs redimere. Olim cum tempore persecutionis lapsi sacrificati, aut libellatici diutius ad reconciliationem differentur, iniunctis grauioribus pœnitentijs & satisfactionibus: Ad Martyres & Confessores in carceribus detentos confugiebant, ab ijsque libellos ad Episcopum impetrabant, quibus indulgentiam sibi fieri, & ad sanctorum communionem admitti postulabant. Cuius rei plures Cypria. Epistolæ & liber de lapsis. Item Tertull. de pœniten. fidem facit: inde natas indulgentias opinantur, quod martyres lapsis sua merita & satisfactiones applicabant. Sed earum origo, ex altiore principio deduci potest, ex Apostoli facto & testimonio, cum incestuoso Corinthio, quẽ satanę tradiderat, in interitum carnis, tamen mitigandam pœnam censuit, ne acerbiore iustitia absorberetur & contrahendum pœnitentiæ tempus. *Cui autem aliquid donastis & ego. Nam ego quod donaui si quid donaui, propter vos in persona* CHRISTI. Cui locus alius adiungendus. *Suffero in corpore meo quæ desunt, passionum* CHRISTI *pro corpore eius quod est Ecclesia.* Ex quo Patres colligunt posse fidelem vnum pro alio satisfacere, & communem quendam esse Thesaurum Ecclesiæ totius, ex infinitis CHRISTI Domini & S. Matris atque sanctorum satisfactionibus cuius dispensandi potestatem habeat Prælati: Ecclesiæ caput imprimis. S. Pontif. ad Thesaurum

Bern. ad psal. 58.

2. Cor. 2. 6.

Coll. 1. 24.

CHRISTI

CHRISTI satisfactionum infinitum, & inexhaustum addere possunt aliquid merita & satisfactiones sanctorum. Non intensione sed extensione, quemadmodum ad Deum infinitum addunt aliquid creaturæ extensione: nil morantur Caluinum qui ad hũc Apostoli locum exclamat ineptè. Quid hoc est, nisi CHRISTO nomen relinquere cæterum vulgarem sanctulum facere, qui in turba vix dignoscatur; an non sanctus sanctorum est, cui tanquam capiti corpus, tota Ecclesia connectitur, à quo capite sanctitatem suam omnem obtinet. Passiones CHRISTI vt ex August. citat ipse Calui. in solo CHRISTO vt capite, in CHRISTO & Ecclesia, vt in toto corpore; vnde dum vnum membrum Paulus. Suffero in corpore meo quod deest passionibus CHRISTI. Si ergo in membris CHRISTI es, quisquis hoc audis, quisquis hoc pateris ab ijs qui non sunt CHRISTI membra, deerat passionibus CHRISTI. Sanè Caluin. communionem omniũ sanctorum ipsumque CHRISTI corpus è medio tollere adeoq; caput CHRISTVM truncare videtur. Dum vnum clamat CHRISTVM in remissione peccatorum expiatione, sanctificatione, satisfactione contuendum. Atque vt sepiæ suo se solent atramento conuollere, & obtegere. Hic ipse Egregius mentiendi ac dissimulandi artifex vt fallat imperitos omnem tum antecedentem præparationem, tum consequentem satisfactionem, cum ipsa redemptione, atque expiatione peccatorum à CHRISTO peracta confundit. Vnius capitis rationem habet neglecta omni membrorum cura. Vnius radicis excisis omnino palmitibus. Vnius principis dignitatem tuetur despectis ciuibus & subditis, sed an non id est truncare caput, membris illud exscindere, nulla nisi arida, exsucca, emortua membra relinquere vitam inanem & infructuosam reddere, si nihil à radice succi palmites trahant, nullos illi fructus germinent? Principem omni ciuium ornamento priuare, si nullas illis opes meritorum, & satisfactionum conferat. Quanto maior est gloria saluatoris si salua-

In psal. 16.

tis absse tantum diuinæ gratiæ copiam largiatur; quanta opus est ad bene merendum, & satisfaciendum ad prȩstanda virtutis opera, quibus insit vis merendi, satisfaciendi, & impetrandi, quam si otiosis & varijs felicitatem contulisset. Quæ foret laus & commendatio capitis si nullam vim sentiendi membris sui corporis attribueret. Quæ radicis & vitis prȩsentia si nullum palmitibus succum, fructumque impertiret, quȩ principis maiestas, si nulla in ciues liberalitate ac munificentia vteretur vnquam, quæ charitas, ac societas inter ipsos ciues, si nulla prorsus officia ac subsidia in commune conferre possent, si mutuis sese demereri officijs atque beneficijs non possent ad sui principis honorem & splendorem. licet princeps vnus ciuitate quempiam donare possit, ab exilio aut morte reuocare, tamen ipsi ciues adlaborare possunt alij pro alijs apud Principem intercedendo, aut alias sibimet opem ferre, promouere ad honores, augere rem familiarem, vendicare ab iniurijs. Vnus Saluator extitit humani generis CHRISTVS Dominus caput Ecclesiȩ totius, ac Reip. Christianæ. Qui vnus potest ob eam dignitatem diuinæ personæ cæteris gratiæ vitam emereri, & gloriam gratiæ responsuram, solus condignum humanæ redemptionis pretium exsoluit; solus auctor humanæ salutis ac fœlicitatis: at cæteri fideles eius merito & beneficio, pro ea dignitate, quam per eum adepti sunt, amicorum & filiorum Dei, non quidem alijs gratiam, nec sibi primam promereri; possunt tamen sibi promereri augmentum gratiȩ & gloriæ: cæteris autem sibi & capiti cohȩrentibus membris, aliquem suorum operum pietatis fructum impertiri, si non qua merendi at qua satisfaciendi, & impetrandi vim obtinent, qua parte sunt opera pœnalia & eatenus, ipsi non ȩgent. Non possunt sibi membra vitam animamque elargiri; at certè possunt sibimet opem ferre, & in ea vita tuenda mutuo esse præsidio: si quid patitur vnum membrum, compatiuntur & cætera membra, nec frustra absq; effectu. Sed verè pleno fructu charitatis impensæ, tum in eo qui beneficium

ficium prestat, tum in eo cui præstatur. Quo maior est ciuium inter se charitas, maiorque mutuo benefaciendi voluntas ac facultas, eo maior est Principis, cuius munificentia id possunt, dignitas, opulentia, potentia & maiestas.

Fatetur Caluinus Indulgentias (quas ore blasphemo CHRISTI sanguinis prophanationes, satanęque ludibrium appellabat) inde natas, quod cum iniungerentur olim seueriores satisfactiones pœnitētibus, quā vt ab omnibus fieri possent, qui pœnitentia sibi imposita grauari, se vltra modum sentiebant, petebant ab Ecclesia Relaxationes, addere debuit, & impetrabant, spectatis Martyrum & Confessorum carcere detentorum meritis pacem & reconciliationem. Cur igitur antiquissimum hunc Ecclesiæ morem reprobat ipse, & condemnat, cur non patitur eiusdem corporis membra sibi esse subsidio? Si non ad culpæ remissionem, certè quoad pœnarum relaxationem. Nec audiendus est, hanc reconciliationem ad Ecclesiam dumtaxat pertinuisse, non ad Deum. Quorsum enim Ecclesiæ fiebat reconciliatio, nisi vt & Deo fieret. Nempe non habet Deum Patrem qui non habet Ecclesiam matrem.

Non reconciliatur Deo, qui non reconciliatur Ecclesię, & hæc Ecclesiæ facta reconciliatio, non alio spectabat, quam vt in Dei gratiam amicitiamq; pœnitens reciperetur. Nec dispar admodum est ratio, publicæ & priuatæ reconciliationis, si publica non fiebat nisi publica præmissa satisfactione, aut data eius subsecuturæ cautione. Ita priuata non fiebat sine priuata satisfactione congruenti. Verisimile est priuatam semper præcessisse, ac demum publicam adiunctam, cum id Ecclesiæ postularet ędificatio. Sed de his aliàs. Vnum corollarij loco adijciam. Excellit satisfactio iniuncta à Sacerdote, cæteras quæ vel sponte suscipiantur, vel à Deo præter exspectationem immittantur. Quod cum sit pars sacramenti pœnitentiæ, vim quandam obtinet velut ex opere operato CHRISTI Saluatoris instituto. Tum quod obedientiæ, & submissionis animi

singulare meritum contineat. Quæ ſponte ſuſcipiuntur, magis ſunt voluntariȩ, quam quæ diuinitus immittuntur. Tamen tanta poteſt eſſe aduerſum Deum ſubmiſſio, & incenſa charitas, ſeſeque vincendi difficultas: vt prioribus non magnopere concedant. Sed ordinariè iniuncta valet amplius, quam ſponte ſuſcepta & hæc ſecunda, quam tertia inflicta ac patienter tolerata. De Indulgentijs, quæ Deo laus crebriores exiſtunt, quam ſuperioribus ſæculis, malus augur extitit

c. 3. 5. Caluinus, cum ſcriberet eas ſponte conſeneſcere, & ad inclinationem ſpectare. Item frigeſcere; mox longè laturas, & denique euanituras. Nihil mirum monet Trident. Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminũ, & pœnitentium facultate, ſalutares, & cõuenientes ſatisfactiones iniungant, ne ſi forte peccatis conniueant, & indulgentius, cum pœnitentibus agant, leuiſſima quȩdam opera pro grauiſſimis delictis iniungentes, alienarum pœnarum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantum ad nouȩ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Quo fine iterum de pœnitentijs.

CAPVT



CAPVT XXXIV.

De Pœnitentijs & satisfactionibus, quâ ratione ad continentiam pertineant, & quam iustâ necessariaq́; de causa suscipiendæ sint.



ETSI non admodum grata futura est Epicureis hæreticis ista tractatio qui vel solum pœnitentiæ vocabulum auersantur, tamen orthodoxis futura est perquam vtilis & salutaris, proprieque ad hoc quod in manibus habemus argumentum pertinet. Nam imprimis constat satisfactiones pro peccatis quas vulgo pœnitentias vocamus, afflictiuas & pœnales esse oportere. Exigit diuinę legis & iustitiæ ratio vindictam aliquam ac pœnam de peccatis sumamus quę mensura quadam illorum tum multitudini, tum grauitati respondeat. Pœna autem non potest nisi pœna compensari, nec satisfactio esse idonea, nisi pœnam aliquam inferat atque molestiam creet. Postulat æquitas diuinæ iustitiæ, vt qui peccando sibi plus tribuerit Deoque detraxerit honorem & obsequium vicissim satisfaciendo sibi detrahat, quod in Dei cedat honorem & obsequium. Qua ratione definitum est ab Anselmo; satisfacere esse honorem Deo debitum impendere. Pœna omnis priuatio est boni vel vtilis vel delectabilis, nam boni honesti priuatio pertinet ad culpam; rursus bonum vtile refertur vel ad honestum, vel ad delectabile, nec foret illa satisfactio ma-

gnopere probanda, quæ priuaret bono vtili ad honestatem & virtutem; esset enim impedimentum maioris boni ea ex parte indiscreta & repudianda: superest igitur sit priuatio boni delectabilis & vtilis, quod ad delectationem efficiendam pertinet. Cum igitur bonum delectabile moderetur continentiâ, ad eam referendę sunt pœnitentiæ & satisfactiones quatenus pœnam adferunt, & delectatione aut re ad delectationem efficiendam vtili nos priuant. Reuocantur vulgo ad tria bonorum operum genera, orationem, ieiunium, & eleemosynam; oratio tametsi suauis & iucunda menti, tamen corpori pœnam adfert lassitudinem & languorem; ieiunium quod fame sitique conficit corpori maximè est pœnale, & complectitur fletum, planctum, cineré, cilicium, omnemque castigandi corporis asperitatem. Eleemosyna priuat bono vtili, diuitijs, sed quæ ferè non appetantur nisi ad parandas voluptates & corporis lautitias: quod si & superbiæ atque ambitioni inseruiunt, tamen hæc vanam complacentiam & iucunditatem ex se gignit quam amolitur paupertas & eleemosyna. Ad eum modum iubentur filij Israel celebrare festum expiationis affligendo animas suas. Sicque definitur à S. Augustino satisfactio: est quędam dolentis vindicta puniens quod dolet commisisse. Gregorius, Hieron. & alij tradunt eum qui illicita commisit, debere sibi licita subtrahere, quod sine pœna & molestia non fit; non dubium igitur est quin pœnitentiæ omnes & satisfactiones ad continentiam præcipuè spectent eoque magis huius virtutis actiones omnes ad satisfaciendum sunt idoneæ, quo magis sunt pœnales & afflictiuę, qua ratione omne opus virtutis, qua parte homini terrenis rebus affixo, vehementibus adhuc passionibus appetitus sensitiui tentato & agitato non potest non esse molestum, difficile, laboriosum, & pœnale ea parte censeri quoque potest satisfactorium. Per omnia virtutis opera etiam debita & pręcepta siue decalogi, siue ab Ecclesia, speciatim iniuncta, pręstari satisfactiones possunt; sed ordinariè hæ non sunt iniungendæ, ac longè gratiores

res, & efficaciores existunt, quæ fiunt per indebita quę sunt ex consilio, & supererogationis dicuntur. Possumus satisfacere per ieiunia Ecclesiastica, hoc fine inter alias causas instituta, vt per ea Deo reconciliemur, pœnasque peccatorum nostrorum exsoluamus. Possumus & per afflictiones à Deo immissas & patienter toleratas. Nam declarat Tridentinum, tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositis; sed etiam, quod maximum est amoris argumentum, temporalibus flagellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per CHRISTVM IESVM satisfacere valemus. Cum igitur necessitas virtutis materiam suppeditat; afflictiones illæ, siue sint communes omnibus ęrumnæ, vt mors, fames, sitis, bella; siue speciales vt morbi, pauperies, damna, vulnera, flagella Dei vindicantis peccata; &, dum patienter tolerantur, induunt rationem satisfactionis, fiuntque opera pœnitentis sibimet per virtutem continentiæ imperantis, & per virtutem pœnitentiæ sua flagitia vindicantis. Quod per indebita opera præcipuè fiat satisfactio, perspicuum est non modo quod qui offert indebita, promptiorem adferat voluntatem, plusque exhibet qui facit quod nôn debet, verum etiam quia Patres satisfactionem eam maximè commendant, qua qui commisit illicita, continet & temperat se à licitis & concessis. Quo pertinet exemplum pœnitentis Magdalenæ & quæ Sancti Patres in eam sententiam congerunt. Hieronym. 1. in Iouin. Augustinus lib. de adulter. coniugijs c. 14. Serm. 60. de temp. Nazianzenus or. 20. Chrysost. in illud 1. Cor. 9. Vę mihi si non &c. & Hom. 55. in Matthæum.


Cum autem hę pœnitentiæ non tantum pertineant ad expianda præterita peccata sed etiam maximè ad futura præcauenda & vitanda, multęque sint eximię earum vtilitates, de quibus mox agemus: haud obscurum est quam iusta necessariaque de causa suscipiendæ sint. Et quidem tria illa satisfa-

ctionis

ctionis opera quæ præcipuè commendātur oratio, ieiunium, & eleemosyna speciali quodam aduersus peccata omnia possunt esse remedio & subsidio. Oratio si non valet per modum satisfactionis, quatenus est pœnalis, plurimum valet tamē per modū meriti & impetrationis, ex CHRISTI promisso: Petite & dabitur vobis. Quare non tā, ait S. Thomas, spectatur pœnitentis afflictio, quam orantis deuotio. Ieiunium aptissimum est ad comprimendam carnem, subigendam concupiscentiā, mentem eleuandam in Deum, vt canit Ecclesia: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & prȩmia. Eleemosyna tum corporalis tū spiritualis præcipuè refertur ad misericordiam Dei conciliandam, simulque præstat vt aliorum merita & satisfactiones nobis prosint iuxta illud: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (Matth. 5. 7.) Oratio mentis, ieiunium oris, Eleemosyna operis expiare & expurgare peccata censeri potest. Vel si peccata spectentur admissa in Deum, proximum, & nos ipsos; oratione Deum placamus, eleemosynis proximum conciliamus, ieiunio & continentia nos ipsos curamus, & illata nobis, à nobis, damna reparamus peccatorum. Sed agedum earum satisfactionum ac pœnitentiarum præcipuas quasdam vtilitates & eximios fructus ex Trident, referamus.

CAPVT





CAPVT XXXV.

De præcipuis quibusdam vtilitatibus Pœnitentiarum & satisfactionum.



RIMA vtilitas est quod, vt aiunt Patres Tridenti- *Seß. 14. c. 8.* ni, magnopere à peccato reuocant & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ; cautioresque & vigilátiores in futurum pœnitentes efficiunt, ita enim natura comparatum est, vt ab ijs cōmittendis imposterum diligentiùs caueamus, ob quæ grauiter puniti semel fuerimus. Piscator ictus sapit. de se S. August. fatetur 8. Confess. cap. 11. & in Ps. 98. Tu propitius fuisti eis, & vindicans in omnes adinuentiones eorum non solum donans peccata sed etiam vindicans propitius fuisti. Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat, nam cui verè propitius est, non tantum donat peccata ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

Secunda quod eiusmodi pœnę medentur peccatorum reliquijs, & vitiosos habitus malè viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt. Iubent proinde Patres Tridentini pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares ac conuenientes satisfactiones iniungantur, quæ sint maximè medicinales: exempli causa rapacibus & auaris eleemosynarum largitiones, luxuriosis & gulosis ieiunia & abstinentias, socordibus ac rerum diuinarum incurijs orationes prolixio-

prolixiores, superbis humilitatis exercitia & sic de cęteris. Contraria contrarijs curantur eodemque pertinet quod Apostolus
Ad Hebr. 12. 11. obseruat de flagellis, quibus Deus filios suos castigat: *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitia.*
22. contra Faustum c. 67. De Dauide S. Augustinus pro quibus, inquit, peccatis cum temporalibus emundationibus vreretur, videbat erga se & manere veniam & non negligi medicinam. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit, ad amouendum imminentem à Domino pœnam; quam vt hæc pœnitentiæ opera cum vero animi dolore frequentent.

Tertia accedit ad hoc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, CHRISTO IESV, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur; certissimam quoq; inde arrham
Rom. 8. 17. habentes, *quod si compatimur & conglorificamur.* Præclarè D. Leo: Certa atque secura est exspectatio promissę beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ Passionis.
Serm. 9. de quadrag.

Quarta satisfactionis propria (nam priores tres omnibus bonis operibus possunt esse communes) est placatio iræ diuinæ super peccatis commissis, seu relaxatio pœnæ temporalis adhuc
2. Cor. 7. 10. debitæ. Ad quem fructum respexisse videtur Apostolus. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* De quo mox plenius dissceretur.

Quinta vt Ecclesia peccato contristata & scandalisata per actum pœnitentiæ lætificetur atque ædificetur, sed hæc vtilitas spectat dumtaxat ad publicam pœnitentiam de peccatis publicè notis, neque præcipua est vt aduersus Caluinum alio loco est obseruatum, nam ad Deum ipsum propitiandum & conciliandum præcipuè referuntur satisfactiones, id quod
Dan. 4. 24. indicat Daniel Regi Nabucodonosor: peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperũ: forsitan ignoscet delictis tuis. Et Apostolus incestuosum illum tradit in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Idem ex testimonio Ionæ 3. Tobiæ 4. & 12. Ecclesiastici 29. clarissimè conficitur.

citur. Illa quoque non postrema censenda est vtilitas harum satisfactionum quod à virtute charitatis & Religionis imperari possunt ad eamque cumulandam & augendam referri, quod Deus pro sua libertate & munificentia numquam se vinci patiatur, sed quantum se quis depresserit ac macerarit eius honoris causa, pœnitendo, tantum ipse de suis gratijs congruis & efficacibus, cœlestibusque & diuinis solatijs large soleat impertiri. Quibus gratiæ diuinæ præsidijs cumprimis egemus in omni vita spiritali siue ad peccata vitãda tentationesq; superandas, siue ad opera virtutis obeunda & majori contentione progrediendum in via perfectionis. Huc pertinet quod Sanctus Dorotheus obseruauit dictum à sapiente, *da & accipe, & iustifica animam tuam*: interpretatur, da sanguinem & accipe spiritum: quo in Deum liberalior eris assiduo mortificationis studio, eo vicissim Deum in te largiore suarum gratiarum & inspirationum copia munificentiorem experieris. Non omittendum hoc loco satisfactionum duo genera distingui: nam quędam dicuntur in pœna, vt cum lege fixa est & determinata est pœna, homicida gladio, incendiarius igne, fur suspendio plectitur. Quædam pro pœna, vbi commutatio locum habet & pœnæ quam lex præscribit quædam fit redemptio & compensatio, cum in Ciuilibus mulcta pecuniaria, aut aliud genus seruitutis exigitur in vicem grauioris pœnæ. *Eccl. 14. v. 15.*

Primum genus maximè pertinet ad alteram vitam, & animas in purgatorio luentes pœnam à Deo præfixã nõ pro pœna sed in pœna, nam id tempus erit iustitiæ & seueritatis diuinæ, hoc autem est clementię & misericordiæ: itaq; licet hîc luere pro pœna & anteuertere pœnam, quæ illic nos manet. Satisfactiones pœnitentium sunt pro pœna, defunctorum in pœna.

Rursus satisfactionum aliæ sunt publicę, aliæ priuatæ: publicæ pro publicis: priuatæ pro secretis. Legi potest prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. & Cyprianus serm. 5. de la-

psis. Item alię sunt iniunctæ à Sacerdotibus pro potestate clauium, quas non est in potestate pœnitentium recusare: aliæ sponte susceptæ. Nam si leuiores sint iniunctæ, quam vt grauitati peccatorum respondeant, sponte alias adijcere tenentur pœnitentes vt fructus faciant dignos pœnitentiæ, cuius præcepti nō fuit Ioānes auctor sed enunciator: & pręco, CHRISTVS fuit institutor ait S. Thomas. Denique satisfactiones quædam sunt diuinitus inflictæ, & patienter toleratæ, tum vt flagella Dęi tum publica & generalia, tum priuata & specialia, tum præsentis tum futuræ vitæ quæ quisque quoad potest alijs pœnis sponte susceptis præuertere debet; & orare Deū non modo ne in furore arguatur, quod ad gehennā pertinet; verum etiam ne in ira corripiatur, quod ad Purgatorij pœnas pertinet ex interpretatione S. August. & S. Gregorij in Psal. 37. horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. *Ad Hebr. 10. 11.*

Perspicuum igitur est quam iusta necessariaque de causa suscipiendæ sint satisfactiones, & quam stultum sit reseruare se pœnis purgatorij, quæ meræ sunt satisfactiones in pœna, non pro pœna, vbi nullum erit patientis meritum nec charitatis alteriusue virtutis augmentum, nec boni operis exemplum, vbi sola satispatiendi ratio habebitur, non satisfaciendi merendi & impetrandi vbi nullus clementiæ & indulgentiæ locus, sed solius iustitię ac vindictæ seueritas extrema vigebit.

CAPVT





CAPVT XXXVI.

Condonata culpa & æterna pœna superesse pœnam temporalem exsoluendam in præsenti aut futuro seculo.



VNDAMENTVM hoc est controuersiarum, quæ nobis cum hęreticis de satisfactionibus intercedunt, ab illis præcipuè oppugnatum; à nostris certissima sacrę scripturę & SS. Patrum auctoritate, optimaque ratione stabilitum, quamquam mihi nulla prior aut potior ratio videtur afferri posse, quam Dei voluntas & institutio CHRISTI Domini, cui sic visum est culpam remittere illique annexam pœnam æternam commutare in temporalem, quoties per sacramentum pœnitentiæ culpa remitteretur. In baptismo quidem culpa omnis ac pœna simul condonatur, quod baptismus sacramentum sit regenerationis & renouationis, eoque plenissimè CHRISTI Domini merita applicentur; at sacramentum pœnitentię sanationis est & curationis vulnerum ac morborum peccati, nec ita plene in eo CHRISTI merita applicantur. Exigebat diuinæ iustitiæ ratio, inquiunt Patres Concil. Trident. vt aliter à Deo in gratiam reciperetur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerant, aliter qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati & accepto spiritus sancti dono, scienter Dei templum violare & Spiritum Sanctum *Sess. 14. c. 8.*

contristare non formidauerint. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumeliosi Spiritui Sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Quare duplex adfertur ratio, cur CHRISTI instituto ac Dei voluntate, aliqua satisfactio à nobis exigatur, tum à diuina iustitia, tum à clementia deducta. Remissa culpa non semper remitti omnem poenam apertè conficitur ex scripturis. Rex Dauid peccati sui admonitus à Nathan dixit peccaui, & mox audijt; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris; veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* Quod exemplum Dauidis pluribus amplificat S. August. Et in psalmum 50. agnoscens culpam amplexus est poenam suam. Primi parentes etsi per sapientiam educti à delicto suo Sap. 10. tamen inobedientiæ suæ poenam temporalem valde prolixe luerunt ipsi & eorum posteri, maledictioni, certissimæ morti & sexcentis ærumnis obnoxij. Cum intercedente Moyse placatus fuisset Dominus populo super peccato adorati vituli, nihilominus subiunxit, *Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum dimisi iuxta verbum tuum*, videlicet peccatum ob murmurationẽ, *tamen omnes homines, qui viderunt Maiestatem meam & signa quæ feci, non videbunt faciem meam.* Maria soror Moysi obtenta per Moysen venia, iubetur nihilominus septem diebus separatim agere extra Castra. Ipse quoque Moyses & Aaron ob incredulitatis peccatum ad aquas contradictionis prohibentur ab ingressu terræ promissæ. Quod eodem capite repetitur de Aaron morituro & de Moyse Deuter. 2. Quos haud dubium est in gratia Dei excessisse, legi potest S. August. in illud Psal. 98. Vindicans in omnes affectiones, nos legimus adinuentiones eorum. Huc pertinent scripturæ in quibus fatentur iusti se pro suis affligi peccatis: Vt Tobias, Daniel, tres pueri in fornace missi, septem Machabæi fratres, & generatim Aposto-

2. Reg. 12.13. 22. Contra Faust. c. 67. Sapien. 10.2. Gen. 3. 18. Exod. 32.34. Num. 14.20. 21.22. 23. Num. 12.14.

Apostolus ad Hebr. 12. citata ex Prou. 3. Sententia docet Ad Hebr. 12. 6.
Deū flagellis castigare filios suos, *quem enim diligit Dominus castigat. flagellat autē omnem filium quem recipit, quis enim filius quē non corripit pater &c.* Restat igitur luenda pœna aliqua temporalis, siue pro venialibus, siue pro lethalibus antea condonatis, sed non plane & integre expiatis. Eiusdem fundamenti probatio certissima est illa quod satisfactionum opera à iustis hominibus exigantur, non enim iusti forent nisi remissa illis foret omnis culpa, & tamen pœnitentia ab eis requiritur Act. 26. Paulus Iudæis atque gentilibus annunciabat pœnitentiam agerent & conuerterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes, quos Baptista vocat fructus dignos pœnitentiæ. 2. Cor. 7. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos* V. 11.
quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Omitto quam plurima alia testimonia quibus opera pœnitentiæ ieiunium, fletus, luctus, planctus, cinis & cilicium commendantur. Venio ad auctoritates Patrum de quibus tamen perpaucas adferam ex ea copia quam suppeditant Canisius, Bellarminus & alij. Cyprianus Serm. de lapsis nec cessemus in agenda pœnitentia atque Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Ambros. 7. in Lucam sicut qui pecuniam soluunt debitum reddunt, nec prius euacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad numerum, vsque quocumque solutionis genere quantitas vniuersa soluatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum vel satisfactione quacumque peccati pœna dissoluitur. Hieron. in Malach. qui peccator est, & quem conscientia propria mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta quam populi, atque iterum ingrediatur Ecclesiam de qua fuerat eiectus, & cubet in sacco vt preteritas delicias, per quas Deum offenderat vitæ austeritate compenset. præter exemplum Fabiolæ quæ publicam egit pœnitentiam de qua

Epist.

Epist. 30. ad Oceanum, & 48. ad Saluinam aliud illustre, proponit Paulæ nobilissimæ, quæ dicere consuerat: Affligendum est corpus quod multis vacauit delicijs, longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicij commutanda. Quis dixerit sanctissimam matronam culpæ omnis grauioris expertem non fuisse? Denique Greg. 3. parte Pastoralis admon. 31. admonendos ait eos qui peccata quidem deserunt, non tamen plangunt, ne iam relaxatas ęstiment culpas, (quoad omnem pœnam consequentem) quas etsi agendo non multiplicant nullis tamen fletibus mundant; neque enim scriptor, si à scriptione cessauerit quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat deleuit: nec debitor absolutus est quia alia non multiplicat, nisi & ea quæ ligauerat soluit; ita & cum Deo deliquimus, nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates, quas dileximus è contrario appositis lamentis insequamur. Verum hic Caluinus pro sua confidentia & superbia damnat veteres omnes immodicæ & nimiæ austeritatis & excessus; in exigendis castigationibus fuisse aliquanto rigidiores quam ferat Ecclesiastica mansuetudo, desiderari eorum prudentiam cum peccatori pœnitentiam solemnem & priuationem à sacra communione, nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam inducerent, quid inde sequi potuit nisi vel magna hypocrisis, vel maxima desperatio? imo seria emendatio vitæ, humilis sui despicientia, pudor, gemitus, confusio, vindicta, quam etiam Caluinus immemor sui notat in 2. ad Cor. 7. v. 10. postrema, inquit, est vindicta, quò enim seueriores in nos sumus, & acriore censura quęstionem habemus de peccatis nostris, eo debemus magis sperare propitium & misericordem Deum, & certè fieri non potest quin anima diuini iudicij horrore perculsa partes vltionis in exigenda de se pœna occupet, sentiunt sanè pij quales pœnę sint pudor, confusio, gemitus, displicentia sui, & reliqui affectus, qui ex seria delictorum recognitione nascuntur

Lib. 3. cap. 3 §. 16. li. 4. c. 12. § 8.

tur

tur, adijciat Caluinus insuper effectus ieiunia, cilicia, flagella, vigilias, humicubationes, & alias asperitates, quibus pœnitens iustam de se vindictam expetit, peccatum suum maturè punit ne post seuerius à Deo puniatur. Nunc quæ sint eorum obiectiones videamus.



CAPVT XXXVII.

Dissoluuntur obiectiones aduersariorum.



EX triplici potissimum capite deducuntur, vel quod Deus non dimittat culpam quin & omnem simul pœnam indulgeat; vel quod cumulatissime CHRISTVS Dominus pro omni culpa & pœna satisfecerit; vel denique quod nullæ nostræ possunt esse pares & idoneę satisfactiones, quæ proportione quadam peccatis respondeant. Ad primum caput pertinet quod Dominus apud Ezechielem ait, se fore immemorem iniquitatis à qua per pœnitentiam peccator decesserit, quem locum allegat S. Augustin. & alias pro eodem habet remitti & tegi peccata, tunc vero tegi quando non vult punire. Vulgatum illud eiusdem August. est, impium est dimidiam à Deo sperare veniam. Deinde Apostolus ait: *nihil damnationis est ijs qui sunt in* CHRISTO IESV. Proferuntur & ex Chrysostomo varia testimonia, quibus negari videtur indulta semel culpa per Dei misericordiam pœnam vllam ab eius iustitia reposci, breuitatis causa loca tantum adnoto. Respondeo nihil amplius probari quam à Deo condonari totam culpam, & ex illa consequentem ęternam pœnam iuxta id quod additur apud Ezechielem, *vita viuet & non morietur*, quomodo & Dauidi

Cap. 18. & 33. Ser. 20. de verb. Domin. In Psal. 31. & 84. Lib. de vera & falsa pœniten c. 9. Hom. 2. in ps. 50 de pœn. & confess. & 1. Cor. 11.

Dauidi dictum fuerat non morieris, nec tamen immunis fuit ab omni pœna: non nocebit impietas quoad culpam abolitam & pœnam æternam, cui comparata temporalis nihili est æstimanda, ita nihil damnationis ijs qui sunt in CHRISTO IESV quoad mortem æternam, pro qua sumitur damnatio, quorum damnatio iusta est. Ad eundem modum explicanda
Cap. 3. sunt S. Augustini & Chrysostomi testimonia, non superesse punitionem æternam, quamquam supersit temporalis, sed quę vix punitionis nomen obtineat, quam ipsam suscepta quis sponte sui castigatione potest auertere, cum Dei misericordia pugnat ęterna pœna non temporalis quam iustitia Dei misericors exigit.

Ad secundum caput. CHRISTVS plenissime satisfecit pro omni culpa & pœna vt ostendit Isaię locus 53. v. 10. cum pretium eius diuini cruoris sit infinitum & inexhaustum ergo nihil præterea superest exsoluendum, nam vt est apud Nahum
Cap. 1. v. 9. Prophetā: *non consurget duplex tribulatio*, nec Deus bis idipsum punit, CHRISTO videtur ingratus & illi facere iniuriam, qui cum diuino suo cruore expiarit atque expunxerit omnia peccata, aliquam ab homine præterea requirat satisfactionem: si CHRISTVS non abolet simul culpam & pœnam magis nobis obfuisset, primi parentis inobedientia quæ simul culpam & pœnam inuexit, quam obedientia CHRISTI Redemptoris profuisset, quæ solam culpam extinguit, plus ex illa damni quā ex hac lucri ac emolumenti prouenisset. Respondeo CHRISTVM quidem exuberantissimè satisfecisse pro omni culpa & pœna, eiusque diuini cruoris pretium esse vndequaque infinitum, sed visum non est diuinæ iustitiæ illud nobis pretium plenissimè applicare in sacramento pœnitentię, perinde atque in sacramento baptismi, quemadmodum visum est diuinæ iustitiæ baptisatum hominem, cui omnis culpa & pœna condonata est, relinquere tamen obnoxium ærumnis huius vitæ, & necessitati mortis subeundæ, aspergimur omnes sanguine CHRISTI in remissionem peccatorum, sed non æquali-

æqualiter, & non pari mensura in sacramento regenerationis quod est baptismus, & reconciliationis quod est pœnitentia, de quo discrimine superius dictum est: aufertur à nobis omne malum per obedientiam CHRISTI culpæ & pœnæ quod Adami inuexerat inobedientia, sed non continuo ait S. Augustinus, ne parua putaretur culpa, si cum illa pariter finiretur & pœna, & vt interim habeant iusti quo exerceantur ad ampliorem palmam supernæ vocationis. Hac ipsa ratione etsi plenissimæ sint CHRISTI satisfactiones pro peccatis omnium mortalium, quoad sufficientiam, non tamen omnibus applicantur quoad efficientiam, nimirum ijs qui sua culpa fidem vel sacramenta suscipere negligunt, aut in suis criminibus perseuerant impœnitentes. Prophetæ Nahum sensus est, Dominus consummationem faciet, id est, sic peccatores vna tribulatione consumet, & disperdet, vt alia secunda non sit opus: quamquam verum est, si debitum sit plane exsolutum, nihil præterea superesse soluendum, sed iam sæpè dictum est pœnam æternam Dei misericordia in temporaneam commutari, vt diuinæ iustitiæ satisfiat, & misericordiæ consulatur, quâ deinceps in peccato vitando cautiores euadamus. Tum & vt CHRISTI membra hac etiam in parte capiti conformentur, cum satisfactiones omnes nostræ CHRISTI satisfactionibus subordinentur, ex ijsque vim omnem suam sortiantur.

Tract. vlt. in Ioanné.

Superest tertium Caput. Multis ex causis videtur impossibile vt homo Deo satisfaciat, tum quia offensa Dei ratione obiecti est infinita, omne autem opus hominis est finitum, tum quia nihil potest homo offerre Deo quod non sit ei debitum iure creationis, satisfactio autem fieri debet per opera indebita; tum quia quotidie peccatur, & sæpius quidem ab hominibus iustis, vt dum pro vno satisfacere conantur, mox alia plura debita nascantur, denique dici posset homo seipsum redimere si pro pœna æterna, aut certe temporanea satisfacere potest.

Obseruandum est satisfactionem aliam esse perfectam absolutè,

tè, atque omni modo, in qua reperitur perfecta æqualitas, quæ nullius alterius egeat gratia: alteram imperfectam, quæ nulla rei vel operis æqualitate nitatur, sed sola eius, qui læsus est, gratia & liberalitate: Tertiam quodammodo mediam & sufficientem, quæ constet quadam æqualitate, & tantum exsoluat quantum oportet, tamen & gratiam alterius includat ab eaque dependeat. Sola CHRISTI Domini satisfactio omni modo & absolutè est perfecta ob infinitam eius personæ dignitatem: nostræ pro pœna æterna non sunt perfectæ, nec pro temporali quidem remissa culpa, constant tamen quadam æqualitate, & non planè inferiori dignitate, siquidem ab homine existente in gratia & viuo membro mystici CHRISTI corporis illi fide, spe, & charitate cohærente proficiscuntur, idcirco, inquit D. Leo, exigua ista impendia tanta æstimari taxatione meruerunt, quia pondera operum charitatis lance pensantur; sed tamen opus habent gratia & per CHRISTVM offeruntur æterno Patri & ab illo acceptantur. Respondetur itaque, opera bona, quæ fiunt ab homine iusto Christiano per gratiam CHRISTI, & Spiritum Sanctum, sumere quandam infinitatem, vt quemadmodum de condigno sunt meritoria vitę ęternę, ita etiam quatenus pœnalia, sint satisfactoria eius pœnę quæ superest exsoluenda: quamuis Deus iure creationis & supremi dominij possit exigere omnia opera nostra, pro sua tamen bonitate non exigit, nisi certa quædam iuxta leges à se præscriptas, quia quotidie peccamus, quotidiana opus habemus satisfactione, quam S. Augustin. ait esse Dominicam orationem, dimitte nobis debita nostra. Nihil absurdi est, si dicatur quispiam se redimere quoad pœnas temporales per opera in CHRISTO facta, quæ ex eius redemptione vim omnem ac redemptionem obtinent, à qua loquendi formula non abhorrent SS. Patres & scriptura ipsa Dan. 4. Prouerb. 10. & 13. vt mereri ita & satisfacere per CHRISTVM Christianus dicitur quæ maior est CHRISTI Domini & Dei gloria; si in comparanda salute ac fælicitate, nos ope-

Serm. 4 de Collect.

Enchir. 71 epist. 89. & 108. August. Enchir. 67. Ambr. de Elia & ieiu. 10. D. Leo serm. 4 de quadr.

ope sua corroboratos adsciscat, atque adhibeat operatores; quam si planè otiosis ac nihil agentibus illam conferat.

CAPVT XXXVIII.

De Purgatorio, quid sentiant è Lutheri & Caluini schola Epicurei.



VTHERVS sub initium apostasię, cum necdum Christianę pietatis sensum pœnitus exuisset, Purgatoriũ asserebat vt ex disputatione Lipsicâ colligitur, quę adhuc extat. [Ego qui credo fortiter, imo ausim dicere, loco Purgatorium esse, facilè persuadeor de eo in scripturis mentionem fieri,] sed mox spiritu vertiginis agitatus pro sua inconstantia aut verius malitia in varios abripi se passus est errores. Purgatorium non posse probari ex scripturis, animas ibidem de sua salute incertas agere, posse mereri & demereri, sine intermissione peccare, dum horrent pœnam & requiem quærunt. Animas, quæ liberantur per Ecclesię suffragia, minus beari quam si per se satisfaciant: Habentur errores hi quinque inter articulos à Leone condemnatos. Denique factus audacior & impudentior sustulit perfrictâ fronte Purgatorium, suffragia pro defunctis, quo fine & fructu post aperietur nullum esse Purgatorium post hanc vitam, sed solum in vitâ & morte; horror enim & pœna mortis purgat si quid purgandum superest. Satius est totum negare Purgatorium quàm credere B. Gregorio referenti animarum appaririones, suffragia expetentium, & ad Waldenses cum negatis Purgatorium, damnatis missas, vigilias, *L. de abrogand. miss. priuat.*

vigilias, cœnobia, monasteria & quicquid per hãc impostu-
L.3.c.5. ram erectum est, per omnia etiam probo. Caluinus Purgato-
§.6. rium censet ex multis blasphemijs constructum esse, & nouis
quotidie fulciri multasque & graues offensiones suscitare, exi-
tiale esse Sathanæ commentum, quod CHRISTI crucem
euacuat, quod contumeliam non ferendam misericordię Dei
irrogat, quod fidem nostram labefacit & euertit: Idem om-
nia subterranea loca in anilium fabularum habet numero.
Quamplurimi sunt in hoc dogmate sectatores Lutheri & Cal-
uini, sed eminent apostatæ duo, quos è claustris religiosis in
Epicuri castra mulierculę pertraxerunt, Bernardinus Ochi-
nus, qui de purgatorio dialogum edidit, & Petrus Verne-
tius pseudo Martyr, in cap. 3. prioris ad Corint. Præter eam
causam, quæ potissimum eos permouit, nempe denegandam
alteram vitam animarumque immortalitatem, duplex alia
potuit ad purgatorium inficiandum inducere, vel quod re-
formidarent purgatorium, quamquam infernum potius hor-
rere & præcauere debuerant, vel quod subterfugerent labo-
rem precandi pro defunctis, quodque ea mortis cogitatio,
defunctorumque suffragia crebrius vsurpanda, vitæ mollioris
Epicureæ iucunditatem interturbarent; quo tamen ex capi-
te & viuis & mortuis, damni plurimum attulerunt. Nam &
viuos ab opere charitatis præstando, & mortuos ab eadem ope
recipienda, vtrosque ab animi grati significatione reddenda
prohibuerunt: sibimetipsis vero præcipuè nocuerunt dum li-
centioris vitæ in flagitia profusæ habenas hâc pestiferâ doctri-
nâ laxarunt. Nam si purgatorium non est, quid necesse est
virtuti ac continentiæ operam dare? Cur tanto studio pec-
cata deuitem, non tantum grauia & lethalia, quæ certa ma-
net gehenna, sed leuiora quæque si nullis pœnis sunt expianda?
cur me defatigem operibus pietatis geniumque meum defrau-
dem? ieiunijs, vigilijs & alijs macerationibus affligam, si mor-
te obitâ quæcumque extinguntur & purgantur peccata? Ni-
hil est quod ijs præcauendis aut eluendis hic tàm impensè &
tanto

tanto ante laboremus. Quemadmodum ipsa natura docente deprehendi potest post hanc vitam omninò aliam superesse, in qua & iustis rectè factorum pręmia, & impijs scelerum supplicia rependantur, ita solius luminis naturę ductu compertum esse potest, si quis non planè purgatus cesserit ex hac vitâ, vt in beatorum consortium admitti queat, aliquem purgationis modum & expiationis locum à Deo constitutum, quo penitus repurgatus & dignus cælesti domicilio, ore Dei beatorumque consortio reddatur. Plato quidem in dialogis suis Phœdone & Gorgia tria distinguit hominum genera, qui post mortem ad iudicium euocentur, vnum eorum qui iustè pieque vixerunt, & hos statim ad insulas beatorum transmitti; Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, & hos tamdiu pœnis exerceri quoad omne scelus eluatur; Tertium, qui peccata admiserunt incurabilia & hos in Tartarum deijci sempiternum cruciandos, quorum supplicia nihil ipsis, sed cæteris dumtaxat ad exemplum prosint, qua de re Poëta Latinus

——— Sedet, æternumque sedebit. Æneid. 6.
Infelix Theseus, Phrygiosque miserrimus omnes
Admonet, & magnâ testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Esse autem purgatorias pœnas declarat ibidem.

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Cui Claudianus concinit L. 2. in Ruffinũ.

Quos vbi per varios amnes per mille figuras
Egit lætheo purgatos flumine.

Tullius in somnio Scipionis & 2. de finibus Plutarch. De sera numinis vindicta non obscurè produnt hanc veritatem fuisse omnium gentium ac nationum animis velut impressam, etsi poetæ dæmonis artificio varijs eam figuris ac mēdacijs obscurarint. Sanè non omnes statim in cælum vocari & admitti ob pręclara merita, nec in tartarum detrudi ob scelera absque

vllâ

vllâ ſpe, plurimorum in ipſa morte ſupplex pœnitentia commonſtrat, quos non eodem ſupplicio cum impœnitentibus plecti videtur æquum, horum non exiguam eſſe multitudinem inſinuat Poëta:

Æneï. l. 6. *Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat*
Quique pij Vates, & Phœbo digna locuti,
Quique ſui memores alios fecere merendo.


21. De ciuit. 27. Luc. 10. Matth. 10. De quo verſu S. Auguſt. admirans eo notatas Domini ſententias: *facite vobis amicos &c. Qui recipit Prophetam &c.* id eſt qui promeruerunt alios, eoſque ſui memores promerendo fecerunt. Prorſus tamquam eis diceret, quod frequentatur ore Chriſtiano, cum ſe cuique ſanctorum, humilis quiſque commendat & dicit: Memor mei eſto, atque vt id eſſe poſſit, promerendo efficit. Sed quis ſit iſte modus, & quæ ſint iſta peccata, quę ita impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt inuenire, periculoſiſſimum definire. Quæ peccata venialia, quæ lethalia, & hæc remiſſa quando non plenè expiata: quis modus vitæ, nec ita bene vt non egeat, nec ita male, vt ſubleuari nequeat aliena miſericordia. Qua de

21. De ciuit. 24. re iterum: nam pro defunctis quibuſdam, vel ipſius Eccleſię, vel quorumdam piorum exauditur oratio; ſed pro his quorum in CHRISTO regeneratorum, nec vſque adeo vita in corpore malè geſta eſt, vt tali miſericordia iudicetur digni non eſſe, nec vſque adeo bene vt talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere. Id ſanè beneficium eſt communionis SS. qui eiuſdem myſtici corporis membra cenſeantur, vt ſibi ſubſidio eſſe poſſint. *Pro inuicem ſollicita ſunt mem-*

1. Ad Corint. 12. 25. 26. *bra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Si non ſit planè vita deſtitutum, neque reſecandum penitus membrum, ſed foueri ac priſtino robori queat reſtitui, ope aliorum membrorum id planè fiat: ſi qui ciues ab exilio reuocari poſſint & patriæ reddi, id cæterorum interceſſione & ſuffragijs fiat. Sed de Purgatorio iterum proximo capite

capite. Errores Lutheri quam iure meritò à Leone 10. damnati sint ex consequentibus perspicuum fiet, primus posse purgatorium ex scriptura probari & quod illi connexum est dogma, animas fidelium posse ac debere à viuentibus piorum opus suffragiorum adiuuari, proximo cap. In altero secum ipse pugnat dum ait animas in purgatorio suæ salutis incertas, nam si in hac vita fideles omnes ex primario dogmate suo certi sunt de sua salute, quanto magis in altera decurso vitæ stadio; quid illi venit in mentem vt adimeret mortuis, quod tam asseueranter tribuit viuis, quo ad tertium vt animæ sunt extra periculum lapsus & peccandi, ita sunt extra statum merendi: quo in errore, & 4. etiam secum pugnat dum ait, posse & debere mereri quia sunt imperfectæ in charitate, & tamen continuò peccare dum reformidant & horrent pœnas & requiẽ exoptant. Quis mereri potest & peccare? aut peccando mereri? somnia sunt hominis ebriosi, timor ille seruilis cum sua seruilitate cui culpa attribuitur charitatem secludit. Videtur Lutherus Purgatorium cum statu vitę præsentis in quo meriti locus est, & inferno in quo continenter peccatur, confudisse aut ex vtroque mundo & inferno chaos conflasse. Postremus error nullo nititur fundamento, vt verbo astruitur, verbo negatur.


Aa CAPVT





CAPVT XXXIX.

Ex scriptura probari Purgatorium, & ex Apostolica traditione suffragia pro defunctis.



ON congeram hic quæ multi recentiores iustis voluminibus cum laude sunt executi, sed vt scribendi, & legendi laborem imminuam paucissimis sacræ scripturæ & SS. PP. testimonijs contentus ero: ex veteri testamento illustre est factum & testimonium Iudæ Machabæi, qui facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis, bene & religiose de resurrectione cogitans, quod factum approbans scriptura cum hoc epiphonemate concludit: *sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Ex quo loco & immortalitas animarum & futura corporum resurrectio, & purgatorium, & animas in purgatorio degentes à viuis adiuuari posse demonstratur; vt mirum non sit, Epicureos Hæreticos librum illum ex Canone sacrorum librorum expungere. Negare tamen non possunt quin apud Hebræos recepta semper fuerit ea consuetudo pro defunctis orandi. Quo etiam pertinet Tobiæ monitum. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturā iusti constitue,* Et quod habet Eccl. *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Atque hanc certe consuetudinem Iudas sacerdotum princeps ignorare nō poterat, nec obstat quod qui de donarijs idolorum aliquid acceperant grauiori crimine Anathematis se contaminarant, nam vel

2. Macha. 12. vers. 43. &c.

Tob. 4. 18.

Eccl 7. 37.

vel ignorantiâ plerique potuerunt excusari, vel contritione ante mortem excitatâ purgari, vel in ipsa morte pro religione suscepta expiari, sanè Iudas bene de illis opinabatur qui cum pietate dormitionem acceperant, sub id tempus exorta putatur hæresis Saducæorum resurrectionem & alteram vitam denegantium. Ex nouo testamento celebris est locus Apostoli prioris ad Corint. 3. *Si quis super ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit; quia in igne reuelabitur; & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauerit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem.* Agit Apostolus de prædicatoribus qui CHRISTO fundamento superstruunt alij salutarem & vtilem doctrinam, alij curiosam & parum vtilem, non meminit eorum qui perniciosam, & hæreticam tradunt, nam hæc euertit ipsum fundamentum. Agit de extremo iudicij die, & igne conflagrationis, quo mundus expiabitur, sic enim solet de se & cæteris fidelibus loqui, quasi iam versentur in extremo Saluatoris aduentu, cæterum eadem est ratio fidelium omnium, quæ prædicatorum, & horum opera quædam sunt meritoria virtutum perfectarum, quędam intermixta venialibus culpis, & affectibus terrenis quæ per ignem sint expurganda, grauiora peccata quæ per æs, ferrum, plumbum iudicentur, fundamentum quoque CHRISTVM euertunt cum creaturam Deo præponant & igne sempiterno vindicantur, de quo non agit hic Apostolus, cum per eum nemo saluus fiat, eadem item ratio est iudicij particularis, & vniuersalis, & vt hoc comitabitur ignis conflagrationis, ita particulari adiungendus ignis purgatorius, per quem quis saluus fiat, sed de hoc loco qui plenius instrui velit, consulat interpretes. Alius locus vrgeri potest, *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quod non diceret Dominus, nisi aliquid remitteretur in futuro, quoad pœnam certè. Ex Patribus Græcis Dionys. Matth. 12.32.

Areop. docet precationem pro defunctis traditionem esse Apostolicam. Nyssenus ait nos deponere passiones & affectus à ratione alienos vel in hac vita per studium virtutis, vel in altera per purgatorij ignis fornacem expurgatos. Chrysosto. homilia 79. ad populum: non temere hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem quæ eadem habentur homilia 3. in epist. ad Philip. Legi quoque potest Orig. homilia 7. in Exod. in cap. 9. Isa. Ex Patribus Latinis Tertul. l. de corona militis inter Apostolicas traditiones recenset suffragia pro mortuis l. de Monogamia. Vidua Christiana pro anima eius oret annuis diebus dormitionis eius. Cypr. l. 2. ep. 9. Episcopi antecessores nostri censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominet, & si quis hæc fecisset non offerretur pro eo nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur & ideo Victor. &c.

C. vlt Eccles. hierarc. serm. de dormient.

Hieronym. Epistola ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos; Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda Eleemosynæ Balsamis rigat, his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum, sicut aqua extinguit ignem ita Eleemosyna peccatum. Paulinus ad eundem Pammach. scribit quod corpori & animę defunctę coniugis satisfecerit, corpori lachrymis, animæ Eleemosynis. Ad Delphinum Episcopum de anima fratris sui, fac vt orationibus tuis condonetur tibi vt animam illius de minimo sanctitatis tuæ distillans refrigerij gutta respergat. D. Augustinus orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia vt pro eis qui in corporis & sanguinis CHRISTI communione

Serm. 32. de verbis Apostoli de adiutorijs mortuorum.

munione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, pro illis offerri commemoretur. Plura habet in eundem sensum sed à quibus quæso Patribus id traditum est nisi à Sanctis Apostolis iuxta regulam ab eodē traditam, quod vniuersa tenet Ecclesia nec consilijs institutum sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur, Idem S. Augustinus libro quem de cura pro mortuis scripsit in Machabęorum libris oblatum pro mortuis sacrificium legimus, sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersę Ecclesiæ quæ in hac consuetudine elucet auctoritas, vt in precibus sacerdotis, quę Deo ad eius altare funduntur, locum habeat etiam commendatio defunctorum.

Caluinus apertam veritatem nèq; negare neq; occultare & dissimulare potuit. [Ante annos mille trecentos vsu receptū fuit, vt precationes fierent pro defunctis, sed omnes fateor in errorem abrepti sunt.] O! hominem impudentem qui solus sapiat præ tota antiquitate. Addit veteres orasse pro mortuis, non tam vt eos iuuarent, quàm vt ostenderent suum erga eos affectum, & vt seipsos consolarentur, apertissimum mendacium ex ipso Patrum contextu conuincitur, illud item æquè apertum & impudens mendacium, vulgus Christianorum cępisse orare pro mortuis ex imitatione gentilium, Patres autem accommodasse se vulgi opinioni, quidquid de hac re legitur apud veteres publico mori & vulgi imperitię esse datum. Abrepti enim ipsi fateor in errorem fuerunt, vt inconsiderata credulitas priuare iudicio solet hominum mentes. Liber August. de cura pro mortuis tot hæsitationes continet, vt suo frigore stulti zeli calorem extinguere possit, si quis mortuorum patronus esse appetat. Monicam matrem suam in libris confess. August. narrat vehementer rogasse, vt sui memoria in peragendis mysterijs ad altare fieret; anile votum quod filius non exegit ad normam scripturæ sed pro naturæ affectu alijs probari voluit. Postremò addit de Purgatorio nihil asseruisse

3. Inst. c. 5. §. 10.

fuisse Patres, vt illud pro re incerta haberent, quam impudentem calumniam euidentissimè coarguit Bellarm. Iam ex D. Dionysio & Basil. indicatum est eam esse traditionẽ Apostolicam, scribitque Arnobius in Christianorum conuentibus pacem & veniam mortuis à Deo peti solitam ac tametsi sub initium nascentis Ecclesiæ non reperirentur orationes factę pro defunctis quod tum potior cura foret Apostolis ad fidem resurrectionis corporum, & beatitudinis animarum, ad persecutiones tolerandas & martyria subeunda fideles adhortari, quibus omnes pœnæ peccatorum exhauriebantur, quodque tum plenæ & integrę satisfactiones iniungerentur, tamen ex Tertulliano, Cypriano, & alijs satis aperta vestigia traditionis eius Apostolicæ colliguntur. Constat item Aërianos propterea habitos in Hęreticorum classe, quod dicerent non oportere orare, vel offerre pro mortuis vt referunt Epipha. & August. Ratio congruentissima redditur ab eodem S. Aug. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel Eleemosynę in Ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent vt eis hæc postea prodessent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus vt non requirat ista post mortem, nec tam malus vt non prosint ista post mortem. Quicumque in finem vitæ in CHRISTO perseuerârunt in gratiâ eius & amicitia id suâ perseuerantia promeruerunt, vt ipsis propter membrorum eiusdem corporis communionem prodesse queant piorum suffragia, quæcumque ab alijs membris eiusdem corporis vel communiter pro omnibus defunctis, vel specialiter pro ipsis opera pietatis offeruntur Deo. Quemadmodum æqua lex iustitiæ postulat, aliter habeantur ciues alicuius Reipub. & qui ciuium priuilegio gaudent, aliter exteri & peregrini, sic & in altero sæculo, qui CHRISTO cohærentes charitate perseuerarunt ciues, & domestici sanctorum, etsi ob aliquas maculas aliquamdiu arceãtur à beatorum cœtu ac consortio, aliter iudicandi sunt, quam

Hæres. 52. In Enchiridio c. 110. 21. De Ciuit. 24.

qui

qui sunt à CHRISTI corpore pœnitus alieni. Illi merito bonorum operum in quibus perseuerarunt id assecuti sunt, vt iure communionis sanctorum & aliorum bonis operibus fructu assequantur quod ipsorum meritum in hac vita comparatum est vti monet S. August. Quod eodem de ciuit. c. 26. & Enchir. 69. ait posse dubitari & quæri, an post hanc vitam, animæ torqueantur igne purgatorio, non dubitans de pœna, id ait, sed de modo & qualitate, nam priore loco tantum dubitat, an ignis purgatorij sit idem cum igne gehennæ de quo Matth. 25. Ite in ignem æternum, posteriore, an post hanc vitam vrantur animæ igne illo doloris de amissione charorum & temporalium, quo hic vri solent cum rebus valde dilectis carere coguntur. Libro de cura pro mortuis nullum dubitationis vestigium reperietur, & quamquam placidè non furiosè quemadmodum Caluinus OEstro quodam infernali concitatus, non tamen frigidè nec dubitanter disputat, scilicet Caluinus vlla ex parte cum S. August. sit comparandus, vel ingenio, & iudicio, vel Christiana etiam eloquentia. Caluinus anile votum S. Monicæ matris quod cum tanto pietatis sensu refert & laudat Augustin. ad scripturas examinauit, & improbauit homo imperitissimus, quas quæso scripturas? vel vnum edat scripturæ locum, cui non plenissimè satisfaciant Orthodoxi. Non omittendum quod Hæretici quoque reprehendunt vsum anniuersariorum & repetitionum exequiarum die 3. 7. & 30. quod signum sit diffidentiæ, quodque B. Ambros. in illud Gen. 23. surrexit Abraham ab officio funeris, docemur, inquit, vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus, quem locum expendens Caluin. Præfat. institut. dicit ab Ambrosio reprehendi eos qui nullum faciunt finem orandi pro mortuis. Nempe Caluinum malè habebat consortium nos aliquod habere cum mortuis, nec pro mortuis nec ad mortuos vult nos habere sermonem, verum non loquitur Ambr. de oratione, sed de fletu & dolore quem moderatum esse conuenit. Alioquin oratione in Valentinianum

Beati

Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, orationibus vos & obsecrationibus frequentabo. Ex eodem de obitu Theodosij non solum de anniuersario, sed 3. 7. & 30. solitum offerri sacrificium neque id signum diffidentiæ sed feruoris & desiderij si repetantur eædem precationes vt Dominus in Oliuarum horto & Apostolus cum diceret ter Dominum rogaui. Sed agedum veram causam ob quam Purgatorio Hæretici tantopere sint infensi non obscuris coniecturis depromamus.



CAPVT XL.

Quo fine videantur Lutherus & Caluinus negasse Purgatorium, eodem quo & inuocationem sanctorum, ne post hanc vitam alia superesse credatur.

Tom. 4 Ecc. 9. Ibidem



SOLEMNE est Luthero cum locus aliquis incidit, suæ fauens opinioni, mox illum annotare. Hic locus fortissimus est pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum aduersus SS. inuocationes & purgatorium. Et rursus alius locus quod mortui nihil sentiant. Sensit ergo Salomon mortuos omninò dormire, & nihil prorsus sentire. Iacent ibi mortui non numerantes dies vel annos, sed excitati vix videbuntur sibi momentum dormiuisse. Enarrat in Genes. quam proximè

ximè ante mortem scripsit, quâ de causa Melanchthon voca Cygneum canticum, (nam tertio post mense obijt hic Cignus nigerrimus infernalis) præfatus de industria nolle se hanc disputationem attingere vt remoueat aliorum curiosas quęstiones & disputationes, deinde, ait animas mortuorum ingredi non in mortem, purgatorium aut infernum, sed in pacem. Somnus animæ in altera vita profundior est, quam in hac, similitudine quam habeo à somno viuentis hominis contentus sum. Tum Papistarum stultitia taxanda est, qui post mortem fecerunt quinque loca; primum infernum damnatorum qui est cruciatus ignis æternus &c. Ibidem CHRISTVS non quiescit sicut sancti dormientes, & magnum discrimen est inter sanctos dormientes & CHRISTVM regnantem, illi dormiunt & nesciunt quid agatur. In fine enarrationis videtur locum dormitionis huius constituere sepulchrum ipsum, quasi anima illic cum corpore sepulta sit, mira sanè res est, quod Deus nos faciat similes bestijs, dormiendo, vigilando, comedendo, anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis, & lectus noster instar sepulchri est, in quo tamen nihil graue aut molestum est. Ita nec mortuorum locus cruciatus vllos habet, sed vt dicitur requiescunt in pace, quemadmodum in excitatis à somno & vigilantibus nullę doloris aut molestiæ significationes sunt, tamen nesciunt quid interea gestum sit. Quo loco propter hanc causam, quod anima sit expers omnis sensus affectionis, cogitationis, negat purgatorium, & limbum, in quo dicunt esse spem & certam exspectationem liberationis. Ita siquidem anima dormit plenissimo somno & quiete sine passione desiderij alicuius, vt nihil speret nihil timeat, nihil persentiscat, somnia sunt ne hæc dormientis, an vigilantis Lutheri post crapulam delirantis, qui non & eisdem rationibus infernum & omnes impiorum cruciatus omnino sustulit? hunc errorem pertinaciter Anabaptistę tuentur mortuos, & corpore & animâ dormire vsque ad diem iudicij. Caluin. instructione aduersus libertinos c. 11. &

De Psichopannichia pag 556

11. & 22. significat ne suæ quidem sectæ plerosque ab hac sententia abhorrere, cum ait se scire nonnullos viros bonos, quibus ista de animarum somno placuit opinio. Quamuis isti homines in duo dispertiantur genera, alterum maximè vulgatum & populare eorum qui animam hominis à morte ad iudicij vsque diem quando à somno suo expergiscet sine memoria, sine intelligentia, sine sensu dormire putant. Alterum eorum qui animam nihil minus quàm substantiam esse volunt, sed vim dumtaxat vitæ quæ ex spiritu arteriæ, aut pulmonum agitatione ducitur, sed ideo cum corpore interire & euanescere fingunt, donec totus homo suscitetur. tamen in hac verborum discrepantia magnum esse quoad summam rei consensum, cuiuis accuratè & presse iudicanti liquet. Qui enim animam viuere fatentur, illamque simul omni sensu spoliant, prorsus animam fingunt quæ nihil animæ habeat, aut animam ipsam à se ipsa auellunt, cum eius natura sine qua consistere vllo modo nequit, sit moueri, sentire, vigere, intelligere atque vt Tertull. ait: Animæ anima sensus sit. Hoc postremum non malè Caluinus aduersus prius genus virorum bonorum, quos collaudat, & somniantem Lutherum de somnijs animæ, quamquam si Deus species ad intelligendum necessarias, aut concursum suum subtraheret vacaret anima instar somniantis ab omni functione & operatione, sed quod hic aduerto est, Caluinum in posteriore se opinantium genere collocare, qui animam negent esse substantiam, putent vnà cum corpore penitus interire, donec cum eodem exsuscitetur. Ac quemadmodum qui natura propensiores sunt ad persequendas voluptates, vbi possunt genio indulgent ac libidini laxant habenas, tamen verecundia retinentur ne palam eas libidines efferant, & quàm possunt maximè eas occultant. Sic qui sunt animo Epicurei, Athei nullamque credunt alteram superesse vitam, aut certè de ea sunt ambigui, mentem suam quam possunt occultissimè tegunt, velut ipsa natura duce refugientes ab hoc pestifero dogmate, subinde tamen se ipsos produn

prodiunt & animarum se immortalitatem negare demonstrat. Ex hoc hominum genere planè fuit Caluinus versipellis & occultus illusor mysteriorum fidei nostræ vti superior omnis eius discursus euicit, nec minus obscure seipsum prodit, dum aduersus inuocationem sanctorum hac crebrius ratione vtitur. Quos à nostro contubernio dum subduxit Dominus, nullum nobiscum illis reliquit commerciũ, ac ne illis quidẽ nobiscum. Quis eo vsque longas illis esse aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces qui necessitatibus nostris inuigilent? Preclara sanè ratio quæ vt sensus audiendi & videndi, ita vitam omnem & intelligendi vim animabus aufert easque mortales vnà cum corporibus interire persuadet. An cum Deo & Angelis qui sunt à sensibus nostris subducti nullum nobis debet esse commercium, neque illis nobiscum. An quia carent oculis atque auribus corporeis, nulla ratione possunt preces & necessitates nostras intelligendo comprehendere, si cum amicis ac propinquis qui in remotissima regione versentur extrema India aut Iaponia non desunt commodæ rationes tuendi commercij, an deerunt Deo & beatis in cœlo versantibus rationes ad commercium exercendi ac tuendi, esto dum corpus informat anima sensuum egeat adminiculo, at à corpore seiuncta cum agere possit cum Deo, eumque clarè intueri cum Angelis Dei internuntijs, destituetur omni ratione, quâ nobiscum agere queat? Et vbi fidei articulus communionis Sanctorum de quo proximè dicemus. Certè Caluin. hac plebæa ratione videtur animas mortales fecisse nihil differentes ab animis brutorum, vt quæ sine sensuum externorum præsidio percipere nihil queant. Habent animæ corporibus exutæ alium modum cognoscendi spiritualem Angelorum ipsiusque Dei intelligentiæ persimilem. Cæterum eadem est Epicuri apud Tullium quæ Caluini ratiocinatio, mortem nihil ad nos pertinere probat Epicurus. Quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu, quod autem sine sensu sit, nihil omnino ad nos pertinere, hoc ipsum elegantius poni meliusque

2. De finibus.

huiusque potuit, nam quod ita positum est quod dissolutum id sine sensu, id eiusmodi est vt non satis planè dicas quid sit dissolutum, sed tamen intelligo quid velit. Quæro autem quid sit quod cum dissolutione, id est morte sensus omnis extinguatur & cum reliqui nihil sit omninò quod pertineat ad nos, tam accuratè tamque diligenter caueat de die natali suo? Redarguens Tull. Epicurum, quod ipsum alibi plenius exequitur. Omnis antiquitas quæ quò propius aberat ab ortu, & diuina progenie, eò melius quæ erant vera, cernebat, censuit animos remanere post mortem. Itaq; vnum illud erat insitum priscis, quos Castos appellat Ennius excessu vitæ non sic deleri hominem, vt penitus interiret, idque cum alijs rebus tum Pontificio iure & cęremonijs sepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingenijs præditi, nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent nisi hæsisset in eorum mētibus mortem interitum non esse omnia tollentem. Idem Tullius permulgatam ait fuisse tùm Romanorum tū Græcorum hanc opinionem, quę Hectorem, Castorem, Pollucem & alios quamplurimos in deorum numeros retulerunt, & totum propè cęlum humano genere compleuerunt, ex eo natam quod illis mors non erat interitus animæ omnia tollens atque delens; sed quędam quasi migratio commutatioque vitæ quæ in claris viris & fœminis dux in cælum solet esse, quæ quidem opinio velut omnibus mortalibus à natura est insita, ipso naturæ lumine perspecta & explorata quam non efficit, ait Tullius hominum collocutio aut consensus, non institutis hæc opinio confirmata est, non hominum legibus sed ipsa lege naturæ. Quantò certior esse debet hæc persuasio Christianorum animis qui diuina fide sunt imbuti, qui non animarum immortalitatem modò, verùm & corporum resurrectionem, vitamq; & mortem ęternam gloriam & gehennam profitentur, sed ex alio quoque principio quę sit Caluini Lutherique fides eliciamus.

CAPVT



CAPVT XLI.

Hæresim negantium inuocationem sanctorum & cultum reliquiarum & imaginum sacrarum; denique referri ad Atheismum.



Ccvsant nos hæretici idololatriæ in cultu, adoratione & inuocatione Sanctorum cum Christo in cælis regnantium: nos verius eos Atheismi condemnamus, dum nullum volunt nos habere cum mortuis commercium, quasi sancti toti & planè sint mortui, & non meliore sui parte superstites. Recte Hieronymus: Sancti non appellantur mortui, sed dormientes qui mortuos appellant, videntur omnem eorum memoriam & futuræ vitæ fidem & spem extinguere voluisse, calumniam illorum nemo est Catholicorum qui non apertissimè confutet. Nam quantum distat excellentia diuina increata infinita solius Dei propria ab omni creata siue naturali & humana in virtutibus & dignitatibus ordinis ac gradus naturæ, siue supernaturali ac diuina in donis gratię & gloriæ SS. impertitæ posita, tantum distat supremus cultus latriæ, qui soli Deo defertur ob eminentiam summi primique principij, & vltimi finis, ab omni cultu siue ciuili qui Magistratibus & Principibus exhibetur, siue sacro & religioso duliæ & superdulię qui sanctis & sanctorum Reginæ Sanctissimæ Dei Matri dfeertur. Minima pars adorationis & cultus sita est in *Aduers. vigilātium.*

externâ significatione quæ fit corporis inclinatione & postratione, aperto demissóue capite, genuflexo alióue gestu illa primaria velut adorationis anima et vita censenda est in æstimatione mentis interna, & submissione voluntatis quæ dispar admodum & diuersa est licet externa corporis significatio sit eadem. Si scripturis consonum est vt excellentibus hâc in vita viris reuerentiæ cuiusdam eximię & adorationis honos deferatur, si qui valent apud terrenum Principem gratia & auctoritate mediatores & intercessores adhibentur, si sancti viri adhuc in terris versantes apud Deum deprecatores interponuntur, eorumque meritis & precibus non frustra confidimus, quid causæ subsit cur eisdem iam in cælo regnantibus cum CHRISTO aucta & confirmata charitate non possit sacer & religiosus honos exhiberi, cur inuocari non queant vt per eos regi cælesti nostri libelli supplices offerantur? Quemadmodum nihil obstat summo super omnia, quem Deo debemus amori, amor ille beneuolentię quo sanctos Dei amicos complectimur illi subordinatus, ita nec honor honori, cultus cultui subalternatus officere poterit. Qui contrà tanto studio nituntur hæretici, quibus adeò stomachum mouemus ac bilem dum Sanctos inuocamus, iure videri possunt Sanctorum memoriam penitùs abolere velle, & alterius quoque vitæ sempiternæ fidem ac cogitationem omnem extinguere. In harmonia idem Caluin. Sanctos Martyres laruas vocare non veretur. Inde colligimus, inquit, nihil eos CHRISTO reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem, nisi accedant Georgius, Hippolytus & similes laruę. Quid quod S. Barbaram. S. Catharinam & similes Sanctos ait ad arbitriũ libidinemque nostram confictos, quod idem de S. Christophoro asseuerat. At verò ô hominis impudentiam & impietatem! monstra execrabilia etiam appellat S. Dominicum & similes carnifices aut potius homicidas, S. Medardum, Lubinum & similęs bestias. In clypeo fidei Caluinianæ S. Hieron. quod aduersus Vigilantium pro cereis ante sanctorum tumulos

los accendi solitis pugnat, idololatra idololatriçque prçceptor nominatur. Vigilantium morem illum irridendo sese magis Christianum magisque fidelem Deo prçstitisse quam Hieronymum, & postea, si Hieronymum scirem in eo errore vitâ functum, nunquam sanctum dicerem imò çquè damnatum ac diabolum. Et iterum de Sanctorum inuocatione ab eodem Hieronym. propugnata: censeo Hieron. cum hçc verba aduersus Vigilantium scriberet fuisse in rabiem actum sensuque ac mente captum. Quæ deterior ab ipso diabolo hoste sanctorum censura potuit expectari? An non hic censor ipse sensu & mente captus Epicureus Atheus perditus omnino censendus? Quod CHRISTI Domini prçtexant honorem, id non nisi peruersæ mentis & Atheismi est velamentum, nam cum illi soli cultum & honorem haberi volunt, eos autem qui sanctissimam eius parentem, Apostolos, Angelos, hominesq; beatos inuocant idololatriç condemnant, an non regem gloriæ solitarium totius aulæ velut honorato consessu destitutum, sine vllo splendore, sine dignitate ac societate cælestium amicorũ quibus nihil deferat, qui ne Matrem quidẽ agnoscat, nec quos in terris familiares habuit Apostolos audiat, esse volunt velut immanem Tyrannum qui solus dominari velit, nec suç potestatis partem vllam cuiquam attribuat! An si in beatos suæ principes aulæ suos deriuet thesauros, ac gratiarum fontes, continuò illi imminuentur & exarescent. An minor erit gloria si cum amicis illam partiatur? Alia eius est munificentia, quæ nequit exhauriri, quç nos sui regni cohæredes ex æquo esse voluit. Si supremam deitati delatam latriam, nihil imminuit eadem sacrosanctæ eius humanitati quod deitati sit adiuncta communicata latria & quæ à Deo per CHRISTVM in nos profluxerunt beneficia magis augent quam obscurent diuinam beneficentiam. Cur quæ à CHRISTO per SS. Matrem, per Beatos eius aulicos deriuantur in nos dona cçlestia CHRISTI gloriam obscurent & non magis illustrent? An non licet per SS. Matrem cæterosque cælites CHRISTO

Domino

Domino ac SS. Trinitati gratias de summis hisce benefactis referre? An non exoptare vti CHRISTVM Deumque omnes beati celebrent de eximia eius in nos beneficientia? Cur ergo & illam per eosdem non liceat implorare & exorare? Sed desunt illis aures desunt oculi quibus nostras preces & ærumnas perspiciant? Homines Athei qui supra sensus corporis aciem mentis nunquam attollant, & toti volutentur in cæno porci Epicurei. Si beatis adimitur omnis ratio cognoscendi, omnis quoque communicatio sanctorum adimitur quam in symbolo profitemur cuius tamen & ipse Caluinus immemor sui & secum ipse pugnans meminit, Apostolus tradit nos aggregatos ad spiritus iustorum, quibus verbis intelligit nos sociari Sanctis Partribus qui etiam mortui eandem pietatem colunt nobiscum, vt non possimus esse CHRISTI membra, nisi cum ipsis coalescamus. *Iam non estis hospites & aduenæ*, ait Apostolus, *sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei. Illa autem quæ sursum est, Ierusalem libera quæ est mater nostra. Dabo operam* aiebat Apostolorū Princeps *& frequenter habere vos post obitum meum vt horum memoriam faciatis*, de quo S. Leo Petrus nunc plenius & potentius ea quę commissa sunt peragit & omnes partes officiorum & curarum in ipso per quem est glorificatus exequitur. Nunc mandatum pius Pastor exequitur confirmans nos orationibus suis & pro nobis orare non cessans vt nullâ tentatione superemur. Pluribus S. Scripturæ veterumque Patrum testimonijs probant nostri beatos in cælo lumine gloriæ CHRISTI meritis, illuminatos non modò diuinam essentiam clarè intueri Deum sicuti est, facie ad faciem videre quę summa est eorum felicitas, sed in illo ipso deitatis clarissimo speculo res alias ad se spectantes cernere quæ ad illorum statum, beatitudinem, dignitatem, charitatem, curam, oblectationem aliquo pacto pertineant, quibus quis neget annumerari preces & necessitates clientum & supplicū. Atque hoc sensu de Sanctis defunctorum animabus Gregor. Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum

L. 3. cap. 25. §. 6 Heb. 12. 22. 23. Eph. 2. 19. Gal. 4. 26. 2 Petri 1. 15. Sermon. 2. de anniuers. quæ assump. 12. Moral 14. Dial. 4. 33.

credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Item quia cum illi omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Quas habuit aures & quos oculos Elizeus, dum præsens adesset Giezi famulo à Naaman Syro vestes & argentum accipienti? quos Anselmus oculos cum ambigeret aliquando qua ratione Prophetæ res futuras & absentes intuerentur, ipse illustratus consimili dono Prophetiç vidit absens in templi choro fratres qui Nolas pulsarent, candelas accenderent & omnia compararent ad proximas preces matutinales. Sed hæretici talpæ sunt corporibus ac terræ defixi, ac se volutantes in stercore scarabęi. Ad eundem scopum Atheismi & SS. memoriam oblitarandam referenda videtur & altera hæresis, quâ SS. Reliquiarum & Imaginum venerationem pietatis plenam, idololatriæ audent condemnare; idololatriam statuentes vbi nulla est latria. Longè abest à cultu diuino honor, quem vocant respectiuum. qui reliquijs & imaginibus defertur propter ipsos sanctos, quorum sunt reliquiæ & imagines, sanctis autem propter Deum, cuius sunt amici & filij. Honoramus Reliquias Martyrum, inquit Hieron. vt eum cuius sunt Martyres adoremus, honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos suscipit me suscipit. Omitto dicere quot illustribus miraculis Deus sanctorum reliquias atque imagines honestarit & aduersus eorum hostes propugnarit ac confirmarit. Quas cum cernimus, eos ipsos in oculis habemus, eorum patientiam, humilitatem, castitatem, charitatem, virtutes omnes sanctâ quadam admiratione suspicimus & cum cælestis gloriæ, quâ nunc in cælis perfruuntur, amplitudine conferimus, huius vitæ breuissimæ curriculum cum beatæ æternitatis gloriâ velut in statera mentis appendimus, quò nos ad eorum consectanda vestigia vehementius incitemus. At qui volunt imagines confusas cum Idolis nullumque inter ea esse discrimen, qui Reliquias Sanctorum, odio plusquam Vatiniano persequuntur easq; volunt planè aboli-

Epist. ad Ripa. 53.

tas, an non omnem sanctorum & futuræ vitæ recordationem extinctam esse cupiunt. Lutheri Caluinique discipuli, vt impietatis palmam Vigilantio Eunomio ceterisque maioribus suis præriperent, gloriæ sibi ducunt sanctorum corpora amburere, & in cineres redacta proijcere in flumina, vt nuper
1592. in Gallia pretiosissima Sanctissimorum Episcoporum Irenęi
Baron. Lugdunensis, Hilarij Pictauiensis, Martini Turonensis non
ad ann. sat habentes in suorum Regum monumenta desæuisse, imitati
277. & barbarum illum Ethnicorum furorem, qui teste Eusebio in
775. descriptione crudelitatis in Lugdunenses & Viennenses Martyres exercitæ eorum corpora in cineres redegerunt, & in Rodanum fluuium disperserunt. Longior foret disputatio si probare velim licitum esse & semper fuisse imagines habere easq; in templis & locis sacris collocare, tum & honore sacro eas venerari. Sat erit aduersus hostes hos Epicureos CHRISTI Domini, qui ad passionis eius abolendam memoriam, nomenque obliterandum nihil non mouent vnicam ex Sancta Cruce & augustissimo nomine IESV petitam confirmationem adferre. Beza qui Lutheri Caluini cæterorum Hæresiarcharum icones celebrauit elogijs ausus est dicere; fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari mirum ni & Crucifixum oderit
Galat. alia longè mens Apostoli: mihi autem absit gloriari, nisi
6. 14. in Cruce Domini nostri IESV-CHRISTI, de quo loco S. August. de morte pessima occidit omnem mortem, pessima
Tra. 36 enim erat non intelligentibus Iudæis, nam à Domino electa
in Ioannem. erat, ipsam enim Crucem suam signum habiturus erat ipsam Crucem de diabolo superato, tanquam trophęum in frontibus fidelium positurus, vt diceret Apostolus. Mihi autem nihil erat tunc in carne intolerabilius nihil est nunc in fronte gloriosius, quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit
Philipp. supplicio suo? De nomine IESV idem Apostolus alio loco
2. 7. 9. semetipsum exinaniuit propter quod Deus exaltauit illum & dedit illi nomen &c. quo loco sese Caluini prodit impudentia; plusquam ridiculi sũt Sorbonici sophistæ qui ex prę senti loco

colligun

colligunt genu flectendum esse, quoties nomen IESV pronuntiatur, quasi vox esset magica quæ tantam in sono vim haberet inclusam. Sit ergo Caluino inter Sophistas Origenes, sit Bernardus, sit Gregorius decimus in Concilio secundo generali Lugdunensi qui id præcipiunt, an non signa conceptionum & notionum animi sunt voces, notiones autem signa rerum? Quæ blasphemia est magiam in sanctissima IESV voce statuere, & dicere anathema IESV, an maior honor habebitur terreni Regis nomini, quoties in edicto ac ciuili audietur proclamatione, quam Regis Regum IESV-CHRISTI? O linguam mentemque blasphemam hominis Athei, non enim ex inscitia sed infernali prodit malitia & Atheismo mero hæc Caluini blasphemia, quemadmodum illa Bezæ, de imagine Crucifixi, quas voces blasphemas fateor me ex animo detestari.

Orig. hom. 1. in Ioan. Ber. declamat. E ce nos reliq. C. Decet de immunitate Eccl. in 6. 1. Cor. 12.3.



CAPVT XLII.

Quid de inferno & descensu CHRISTI ad inferos sentiant.



QVEM profitemur in symbolo descensum CHRISTI Domini ad inferos, pluribus SS. PP. auctoritatibus confirmatum habemus apud Canisium, Bellarminum & alios scriptores orthodoxos. Si CHRISTVS descendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui facere[t],

L. 4. de Christ. c 14. L. de aut. c.32.

ret,

ret, ait Tertull. habes & regionem inferorum subterraneam credere. Sed Caluinus pueriles & aniles fabulas esse censet. Nescio quî factum vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi; sed hæc fabula tametsi magnos Auctores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas puerile est, CHRISTI autem animam illuc descendere vt eas manu mitteret, quid opus fuit? haud absimili interrogatione potuerat vti Caluinus: Quid Dei filium è cœlis in terram delabi & humanam induere naturam opus fuit? An non satis erat mortalibus illuxisse virtute spiritus sui. CHRISTVM descendisse non ad Limbum, ad inferos explicat, non quo Patribus illuxerit virtute sui spiritus, sed quia apprehendit Deum sibi iratum & infensum propter nos, metu salutis propriæ amittendæ, incredibilem animi perpessum anxietatem, qualem pateretur qui sciret se in ęternum periturum, vt mirum non sit si in verba desperationis eruperit. Si nunc rogat quispiam, an tunc descenderit CHRISTVS ad inferos, cum mortem deprecatus est in Oliuarum horto? Respondeo hoc fuisse exordium, vnde colligi potest quàm diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostrâ causâ, hoc fuit extremum, profundissimum, medium velut inferni fuit cum in Cruce non desperauit quidem, tamen vocem desperationis emisit. Horribiles blasphemiæ quas sempiternis in orco flammarum pœnis numquam Caluinus expiabit nec mirum, si dęmonibus inuocatis desperans ipse, blasphemans, execrans exspirauit. Quam ab omni ratione sint alienæ quis non videt CHRISTVM Dominum ob hoc ipsum munus, quod sponte susceperat expiandi nostra peccata in quo se Patri cælesti obedientissimum & acceptissimum præstitit, ad eius tribunal sisti reum, & diuinæ vltionis seueritatem experiri debuisse, an quidquam eius innocentiæ sanctitati Maiestati diuinę detraxerunt aliena nostra peccata. Quamquam

Lib. 11. Inst. c. 16. § 9.

ea

ea susceperat expianda, numquam tamen eorum vlli culpæ affinis fuit. Tam falsa ac fictitia est hæc imputatio peccatorum nostrorum quoad culpam CHRISTO facta, quam falsa iustitię CHRISTI Caluinistis attributæ. Si reipsa non fuit infensus Filio Pater, quî Filius infensum sibi Patrem absque errore grauissimo potuit existimare? si numquam venit in mentem Patri, hominis damnati ac perditi Filio pœnas infligere, quî potius Filius eas tantopere formidare? Sciebat Patrem sibi beneuolentissimum eo ipso redemptionis opere magis etiam conciliatum; & existimaret ab eo sibi gehennæ supplicium imminere? Qui fuit de sua salute dubius, qui Caiphæ & nefarijs Iudicibus asseueranter obijciebat: *à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus cæli:* Matth. 26.64. Et confidentiæ plenus aduersus Patrem orabat: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Lu. 23. 46. Sed & in horto diuinæ se eius voluntati totum consignabat: *Non quod ego, sed quod tu vis, fiat voluntas tua.* Matth. 26.39. Lu. 22. 43. Quam sibi repugnat vt vocem desperationis emiserit in cruce nec tamen desperarit aut peccarit scandalo certè Caluinistis dato, si pœnas damnatorum CHRISTVS pertulit, desperauit; nam non minima pars damnationis est desperatio, vt pars præcipua fælicitatis, certitudo de eius æterna perseuerantia. Qui conuenit vt prima illa verba Deus, Deus meus plena sint spei & charitatis, postrema vt quid dereliquisti me desperationis? postrema indeliberata prima deliberata correctio præiuerit errorem non subsequuta sit? An non omnis dubitatio oritur ex imperfectione fidei? Adscribit Caluinus hinc extremę pœnæ damnatorum totam redemptionem nostram. At scripturæ vti commentitiæ & à Caluino excogitatæ nusquam meminerunt, sed pretium humanæ redemptionis diuinum CHRISTI Sanguinē agnoscunt, mortique eius ac passioni ob diuinę personæ dignitatem attribuunt. Verum non hîc constitit impietas Caluini nisi latissimè portam aperiret Atheismo & animarum immortalitatem negaret. Nam quæ fuit sententia Brentij (fuit hic Cal-

uini Magister) in Catechis. 1551. descendere ad inferos est penitus interire, non improbatur Caluino, qui volens probare animas iustorum post discessum à corpore non dormire, id est, non extingui, vt sentiunt quidam Anabaptistæ, probat ex anima CHRISTI, quæ post separationem à corpore non est extincta, nec absorpta à morte, sed immortalis permansit, & hoc significari verbis illis Apostoli, *non derelinques animam meam in inferno.* Hæc nobis certissimam fidem faciunt CHRISTVM extingui morte non potuisse etiam secundum hominem, verum mors fuit corporis & animæ solutio, cęterum anima vim suam nunquam perdidit quę Patri commendata non poterat non salua esse, id volunt verba ex concione Petri, nam anima eius diuina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret, & corpus in sepulchro seruatũ ad resurrectionem. Ratiocinatio Caluini nulla est nisi statuat idem esse animam derelinqui in inferno & extinctam esse, imo ipsum infernum esse animę extinctionem. Quod si verũ est, & anima CHRISTI ad tempus extincta fuerit, cum in infernum descenderit, & cæteræ omnes quæ diuinitate suffultæ non sunt penitus interierint, atque extinguantur oportet. Dicat quispiam CHRISTVM pro se & pijs mortem vicisse, saltem impiorum animæ omnes morte extinguentur, si idem est extingui & in infernum descendere. Reclamat Caluinus sub finem libri, sed sibimet contradicit & veritatis pallio vult errorem obtegere.

Act. 2. & 7. Psal. 15. 20. In Phil. Bellar. c. 7.

Beza Caluini sententiam monstrum censet, sed non minus eius monstrosa est interpretatio, qui infernum sepulchrum facit & animam cadauer interpretatur. Quàm anima Bezæ cadauerosa, tetra, horrida diabolica, si CHRISTI animam cadauer credidit? Quod apud inferos Caluinus Beza alijque eorum sequaces nec verum ignem inextinguibilem, nec vermes corrodentes, nec tenebras, nec eorum quicquam quæ scripturę memorant, de pœnis damnatorum agnoscant, sed hęc omnia metaphoricè esse accipienda velint nihilque aliud desi-


L. 3. ca. vlti. §. vlt.

designare quàm damnatos apprehendere Deum sibi infensum, quam sit calamitosum alienari à Dei societate, neque id modò sed maiestatem Dei ita sentire sibi aduersam, vt effugere nequeas, quin ab ea vrgearis. Quamuis hæc pluribus verbis amplificent vt dicere aliquid videantur abyssum & voraginem appellent tamen reipsâ nihil dicunt, & sacris scripturis illudunt. Nam cur Deum sibi infensum & iratum apprehendant damnati, si nullum illis infert supplicium, si nullam pœnam sensus ac cruciatum adfert. Explicet Caluinus quæ sint ea mortifera iacula, quibus damnatorum conscientię configantur ac lancinentur à Deo. An est ipse Deus damnatorum proximus tortor ac carnifex? Quod si nullam infert pœnam sensus vana est eius irati apprehensio. Panici sunt terrores nullo nixi fundamento, si Deus nihil adfert incommodi. Itaque reipsâ tollunt inferos, cum eorum pœnas omnes ac cruciatus tollunt. Summum superesset pœna damni, separatio à Dei societate priuatio beatificę visionis, à qua tamen Caluiniani iam ante præuisa demerita omnia; exitumque vitæ, ęterno reprobationis decreto seclusi fuerint. Quare non magis eos hæc pœna quàm infantes absq; baptismo solius culpæ originariæ reos cruciabit, neque modo Athęi diuinam iram & vindictam horrerent si nulla eos vnquam supplicia sequerentur. Caluinus ait Simonem Magum fide temporaneâ dumtaxat credidisse quâ se ipse deceperit, quæ fides sit medium inter fidem & meram simulationem. Epicurei & Lucianici credere se profitentur, cum tamen intus rideant, cum illis fabulosa sit spes vitæ æternæ, cum denique nihilo plus habeant pietatis quàm canes & porci. His seipsum & suos asseclas verbis egregiè depingens mihi obuersatur Caluin. Ferunt in conciliabulo quodam Gebennensi propositum à quopiam superintendente ministro. Purgatorium cum Missa & Romano Pontifice melius abolere non possumus, quàm si dicamus semel & simul animam cum corpore extingui. In eorum symbolo ille quoque est articulus. Quicquid de animarum habetur immor-

Act 8. vers 13.

Prat. de Hæres. verbo Athei.

immortalitate, ab Anti-Christo ad suam culinam statuendam excogitatum est.



CAPVT XLIII.

Quid de ascensu CHRISTI *Domini in cœlum, Empyreo Beatorum domicilio Caluiniani tradant & Lutherani.*



ON minus impiè de CHRISTI in cœlos ascēsu sentiunt Caluinistę quàm de eius ad inferos descensu. Locum aliquem imaginari in quem CHRISTVS ascenderit non conuenit, ait Caluin. Nullo enim spatio dextera Dei ad quam sedet terminatur. CHRISTVS primus qui cœlos penetrauit non fuit, iusti omnes veteris testamenti hac vita soluti in ijs ipsis beatorum sedibus immane quantum ante illum recepti sunt. His deteriora subijcit clypeus fidei Geneuensis: CHRISTVS in cœlum assumptus, super omnes creaturas exaltatus, vel creatura esse desijt vel ita in ijs constrictus sedet, & ita in vnum locum quasi ergastulum conclusus, vt se modo commouere ante diem iudicij nullus queat. Et quid otiosus in terris ageret, cum nec docere hic possit, nec signa facere, nec sibi, nec nobis quidquam prodesse? sic audent homines impuri non modo locum circumscribere CHRISTO Domino, verum & agendi potestatem definire. Iam quid Caluinus per atrium intelligat, an cœlum, an purgatorium, Ædipo interprete

In c.16 Marci 16. Lu 24.

interprete sit opus. Intelligimus CHRISTVM sic appare- L.3.cap.
re coram facie Dei, vt sanctuarium cæli ingressus ad con- 20 §.
summationem vsque sæculorum solus populi eminus in atrio 20.
residentis vota ad Deum deferat. Beatorum gloriam differ-
ri in diem iudicij, imò nullum esse paradisi locum, in quem
animæ à corporibus solutę recipiantur insinuat, & postquã te- L.3 25
meritatis ac stultitiæ eos coarguit, qui de his rebus conquirunt §. 6.
aut disputant, ipse tamen mox pro sua auctoritate ministe-
riali definit, cum scriptura vbique iubeat pendere ab expe-
ctatione aduentus CHRISTI; & gloriæ coronam eousque
differat, contenti simus his finibus diuinitus nobis præscri-
ptis, animas piorum militiæ labore perfunctas fruitionem
promissæ glorię expectare, atque ita omnia teneri suspensa,
donec CHRISTVS appareat Redemptor.

De loco non minus inepta & futilis est quęstio, quando scimus non eam esse animæ dimensionem quam corporis, quasi nullus sit animæ locus definitiuus, sed corporis dumtaxat circumscriptiuus, aut anima corporea & mortalis existat. Sed quid sibi vult Atrium sanctuarij aut quo loco sunt Angeli? Non esse sperandam corporum resurrectionem ex sententia Caluini, sed summum extremo iudicij die, nouis nos corporibus induendos colligitur ex epistola Farelli eius Symmistæ quæ est inter Caluini. 5 78. 1549. Quod res tibi incredibilis videtur huius carnis resurrectio nihil mirum, quod autem hac ratione permotus sufficere statuis, si credas nouis corporibus aliquando nos induendos, hoc à scripturæ doctrinâ alienum est. Ex quibus omnibus, haud est obscurum Caluinum, nec cęlum Empyreum, nec animæ immortalitatem, nec corporum resurrectionem verè credidisse. Iam quæ Lutheri discipulorumque eius existat fides inspiciamus. Lutherani qui CHRISTO Domino vbiquitatem affingunt errore stultissimo, haud facilè hunc articulum symboli, ascendit ad cęlos exponere possint. Ex ijs quidam ait, CHRISTVS in cælum ter ascendit, bis verè, semel imaginariè; verè in con- Marbachius l. de cœna Domin.

ceptione, cum in vtero matris, humanæ naturæ diuina est vnitas, iterum in morte, cum formam serui deposuit in cruce emisso spiritu, imaginariè quadragesimo die à resurrectione. Alius in re tam augusta & sacra ioculatorem agit. Cælum in quod ascendit CHRISTVS, non est corporeum, sed figuratum, si enim in cælo corporeo esset, in solo imprimis aut antartico polo locandus esset, alioquin malè se haberet in illâ perpetua cælorum agitatione. Deinde cum destrueretur cælum non haberet miser quo se reciperet. Huius blasphemi & intempestiui ioci refutationem, quamquam nulla opus erat, habes apud Bellarm. à me relatus est, vt appareat hæreticos esse irrisores & illusores diuinorum mysteriorum instar Saducæorum, qui nihil credunt, nisi quod lubeat, & cælum Empyreum Theologorum omnis motus expers omnino pernegent. Itaque & animam negant immortalem alteramque ab hac superesse vitam. Anima à corpore separata inquit Lutherus amittit sensum & memoriam, & intelligentiam; ita enim dormit, vt nihil prorsus sciat, nihil sentiat, nihil intelligat. Nihil est quod dicitur anima creando infunditur, & infundendo creatur, melius hac in re ratio decreuit, & Poëta dicens, *Patrem sequitur sua proles.* Planè Lutherum Patrem Epicureorum sequitur sua proles porcellorum grunientium in cæno ac luto volutantium, quæ latissima via deducat in tartarum. Sed adijciantur alia insuper Lutheri deliramenta Epicurea. Nec Sanctorum adhuc quisquam in cælo est, nec quisquam impiorum in inferno. Enoch & Elias ipsi necdum sciunt quo loco sint. Electi alicubi velut somno quiescentes detinentur, reprobi verò quasi graui veterno depressi in magnis angustijs & horribilibus diem extremum expectant. Cælum empyreum fictitium est. In domo Dei Patris, & in regno cælesti, in quo CHRISTVS sedet ad dexteram Dei, non tantum continentur sancti, verùm & homines impij. Hercules, Numa Pompilius, Iudæi, Turcæ, Ethnici. Ipse etiam infernus & diaboli (qualia somnia


Brentius l. de duabus naturis.

Cap. 12.

Luther. tom. 4. Ioan. fol. 4.

stulti

ſtulti capitis) Deus poſt hanc vitam nouum cælum creabit, & nouam terram. Quin & noua creabit animalcula, & catellos, quorum cutis erit aurea & pili de lapidibus pretioſis, non deuorabunt ſe mutuò animalia, vt ſunt bufones, ſerpentes & id genus alia, quæ hic venenata ſunt, & nocere ſolent ob originale peccatum. Tum non modò nobis innocua erunt, verùm ita etiam amabilia & grata vt cum ijs animi cauſa ſimus luſuri. Ibi formicæ cyniphes & omnia fœtida, & malè olentia animalia meræ delitiæ erunt, & optimum odorem ſpirabunt. Hę meditationes erant Lutheri de regno & felicitate cæleſti, an non conſultius cum Mahometo beatitudinem pecudum in cælum tranſtuliſſet omnium corporis voluptatum copia redundantem; nam nec infernum recuſaſſet ſi dæmones ibi reperiſſet haud abſimiles puellis honorarijs duciſſę ſibyllæ, quas ſummarum deliciarum vice complecti geſtiebat. Dux Saxoniæ coniugi ſcandalum paſſæ, aiebat Lutherum hominem eſſe, ſed adijcere debuerat hominem impium, Epicureum, Atheum, Atheorum ducem.



CAPVT XLIV.

Diſputatio S. Auguſtini aduerſus Epicureos Atheos ex commentario in Pſalm. 73.



HACTENVS expoſita ſunt Epicureę vitæ fundamenta, Deum non eſſe, non eſſe liberum arbitrium, ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, nihil cuiquam ambigendum de gratiâ, de perſeuerantiâ, electione, & prędeſtinatione. Nullam eſſe neceſſitatem, nec dignitatem bonorum operum, omnia

opera nostra peccata esse lethalia, sed Dei fauore, & benignitate non imputari. Nullam pro ijs præstandam satisfactionem, non esse purgatorium, nec infernum, nec cælum, animas esse mortales, aut somnum dormire lethalem, quoad exsuscitentur supremi iudicij die. Denique non superesse vitam alteram, non exspectandam corporum resurrectionem.

Corin. 15 13. Manducemus igitur, & bibamus, cras enim moriemur. *Sed nolite seduci corrumpunt mores bonos colloquia praua.*

Prou. 1. 10 *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.*

Sap. 2. 1. *Dixerunt cogitantes apud se non recte: exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis quia ex nihilo nati sumus.* Quo toto capite præclarè describuntur Epicurei; sed visum mihi potius hic S. August. disputationem aduersus eosdem attexere, quâ duplici ratione refellit Atheos Epicureos, quâ parte Deum negant, ex operibus naturę, qua resurrectionem futuram, & iudicij diem ex antecedentibus Dei promissionibus, & oraculis iam adimpletis; & ratio naturalis, & ex scripturis auctoritas ac deducta fides eos refellit.

In Psal. 73. Exsurge Domine, iudica causam tuam, defectus enim videor, quia nondum accepi quod promisisti, & factæ sunt mihi lachrymæ meæ, panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus, & quia non possum ostendere Deum meum, quasi inane sequor, insultatur mihi, nec paganus tantum, vel Iudęus, vel hęreticus, sed aliquando frater ipse catholicus torquet os, quando promissa Dei prædicantur, quando futura resurrectio prænunciatur, & adhuc ipse quamuis iam tinctus aquâ salutis ęternæ, portans Sacramentum CHRISTI, forsitan dicit; & quis hic resurrexit? & non audiui patrem meum de sepulchro loquentem, ex quo eum sepeliui, Deus dedit legem ad tempus seruis suis, ad quod se auocarent. Hic sermo est Machiauelistarum religione plebis animos distinendos. Nam quis redit ab inferis? & quid faciam talibus? ostendam quod non vident? non possum. Non enim propter illos

Deus

Deus visibilis fieri debet. Iam id agant, si placet, ita faciant, ita conentur, quia ipsi nolint conuerti in melius, Deum conuertant in peius. Videat qui potest, credat, qui non potest, esse Deum, & si videt, qui potest, nunquid oculis videt? Intellectu videt, corde videt. Non enim solem, & lunam volebat ostendere, qui dicebat, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Immundum autem cor nec ad fidem idoneum & quod non potest videre vel credat Deum esse certâ, & euidenti scientiâ constat, & fide diuinâ & scitur, & creditur. Hæretici ob cordis immunditiam, nec ad fidem idonei; non video, inquit, quid crediturus sum? anima enim tua videtur, &, opinor, stulte, corpus tuum videtur, animam tuam quis videt? cum ergo corpus tuum solum videatur; quare non sepeliris? miratur, quia dixi, si corpus tantum videtur, quare non sepeliris? & respondet, sapis enim? quia adhuc viuo. Vnde scio quia viuis? cuius animam non video. Vnde scio? respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte ex operibus corporis agnosco viuentem, ex operibus creaturæ non potes agnoscere creatorem? & forte quis dicit, cum mortuus fuero, postea nihil ero. Et litteras didicit, & ab Epicuro didicit hoc nescio quo deliro philosopho, vel potius amatore vanitatis, non sapientiæ, quem ipsi etiam philosophi porcum nominauerunt, quia voluptatem corporis summum bonum dixit. Hunc philosophum porcum nominauerunt volutatum in cœno carnali. Ab isto forte didicit litteras iste litteratus dicere, non ero, posteaquam mortuus fuero, siccentur flumina Ethan, pereant doctrinæ istæ gentium, pullulent vireta Ierusalem, videant quod poterunt, credant corde, quod videre non possunt. Certè ista omnia quę per mundum modo videntur, quando operabatur Deus salutem in medio terræ, cum ista dicebantur nondum erant, & ecce tunc prædicta sunt, nunc impleta monstrantur & adhuc dicit stultus, in corde suo; non est Deus. Væ peruersis cordibus, quoniam *Ps. 13.*

Matt. 5. 8.

ita ventura sunt, quæ restant, sicut venerunt ista quę tunç non fuerant, & ventura pręnuntiabātur. An vero exhibuit nobis Deus omnia, quę promisit, & de solo iudicij die nos fefellit? non erat CHRISTVS in terrâ, promisit, exhibuit, non pepererat virgo, promisit, exhibuit: non erat fusus sanguis pretiosus, quo deleretur chirographum mortis nostræ, promisit, exhibuit. Nondum crediderant gentes, promisit, exhibuit: nondum hæretici nomine CHRISTI armati contra CHRISTVM militabant, prædixit, exhibuit: nondum idola gentium de terrâ istâ deleta erant, prædixit, exhibuit. Ita omnia cum prædixisset, & exhibuisset, de solo die iudicij mentitus est? Veniet omnino quomodo ista venerunt, quia & ista antequam venirent, futura erant, & futura prius prænuntiata sunt, & postea venerunt. Veniet, fratres mei, nemo dicat, non veniet, aut veniet, sed longè est quod veniet, sed tibi prope est, vt eas hinc sufficiat prima deceptio, si non potuimus primo permanere in præcepto, saltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum casus

Gen. 2. humani, quando dictum est ad Adam, morte morieris, si

3. tetigeris, & venit de transuerso serpens, & dixit, non morte morieris. Creditus est serpens contemptus est Deus, factum est vetitum, mortuus est homo. Nonne impletum est potius quod minatus est Deus, quam quod promiserat inimicus? sic est certè, agnoscimus hoc ideo omnes in morte, iam vel experti cauti sumus. Non etiam cessat, & modò serpens insusurrare, & dicere, nunquid verè damnaturus Deus tantas turbas, liberaturus est paucos. Quid est aliud, quàm; facite contra præceptum, non morte moriemini; sed quomodo tunc, sic & nunc, si feceris quod suggerit diabolus, & contempseris quod præcipit Deus, veniet iudicij dies, & inuenies verum quod minatus est Deus, & falsum quod pollicitus est diabolus. Videri non debet prolixior hic S. Aug. disputatio, quâ docemur ad impietatem euertendam nihil esse salutarius contemplatione tum operum naturæ, tum mysteriorum

rum

rum redemptionis nostrę, habendamque Deo fidem in scripturis loquenti aduersus omnes hostis nostri malignas suggestiones. Memento opprobriorum tuorum, quę ab imprudente, ab insipiente sunt totâ die, hoc est, vsque in sęculum sęculi. Adhuc enim insultatur CHRISTO, nec deerunt totâ die, hoc est, vsque in finem sæculi vasa iræ. Adhuc dicitur, vana prædicant Christiani, adhuc dicitur, inanis est resurrectio mortuorum. Nunquid prudens hoc dicit? Prudens enim est dictus porrò videns, si prudens porrò videns, fide videtur porrò, nam oculis vix ante pedes videtur. Superbia qui te oderunt, ascendit semper, noli eorum superbiam obliuisci, non obliuiscitur omnino, aut punit, aut corrigit, vtinam corrigat prius quàm puniat, & desinant Athei esse, & Epicurei, fiantque humiles, & fideles orthodoxi.



CAPVT XLV.

Suâmet confessione Lutherani, & Caluiniani sunt Epicurei.



ORDIAMVR à Luthero, qui de suis hoc testimonium dicit, sunt hodie, qui volunt plusquam CHRISTVS ipse, videri Euangelici (qui nihil crepant nisi purum, putum Dei Verbum, & Euangelium) odibile genus hominum qui dicunt, Domine, Domine, sequor, sequor quocumque, quocumque, cum sint auarissimi, cupidissimi, ambitiosissimi, & toto corde mundum, & quæ mundi sunt quærentes. Pudor dicere prohibuit, & malè sibi conscia mens; gulosissimi, im-

purissimi,

purissimi, sceleratissimi, plusquam Epicurei, Athei. In eam opinionem & nobiles venerunt, & rustici. Hi fructus sunt noui Euangelij vt thrasonice iactare audeant sibi nullius prædicationis operâ opus esse (quid enim opus sit, vbi didicerint solam fidem sufficere?) velintque multo lubentius verbo Dei in totum liberari, ne obolo quidem omnes prædicationes ementes; hoc illis vitio vertendum non est, cum futuræ vitæ rationem habeant nullam, sed sicut credunt, ita & viuunt; sunt, & manent sues, credunt sicut sues, sicut sues moriuntur, & sicut sues sempiternis diabolorum flammis amburentur. Idem Lutherus: Videmus quod hoc tempore homines sunt multo peiores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quam antea vnquam in Papatu fuerant. Iterum nostrorum plerosque septiceps ille diabolus inuasit & deteriores effecit quam in Papatu fuerant. Ab eo tempore quo primùm pura Euangelij doctrina in lucem est euocata mundus de die in diem euasit deterior; Christiana libertate quilibet ad libitum abutitur; non secus ac si cuilibet quidlibet concessum sit.

Domin. 1. Aduent. Præfat. in Eccl. postillâ sermone. comm. l. 55.

De eisdem primis quinti Euangelij sectatoribus sibi notissimis Erasmus ad fratres inferioris Germaniæ: Quos anteà noueram puros, candidos, & fuci ignaros, eosdem vidi, vbi se sectæ Euangelicæ dedissent, loqui cæpisse de puellis, lusisse aleam, abiecisse preces, factos ad rem attentissimos, impatientissimos, omnis iniuriæ vindices, vanos, viperinis moribus, ac prorsus hominem exuisse. Expertus loquitur de hominibus, à quorum doctrinâ, & instituto non planè erat alienus. Non minus apertum, ac luculentum est Caluini testimonium. Cum tot hominum millia, cupide, vt videbatur nomen dedissent Euangelio, quam pauci, obsecro, à suis vitijs resipuerunt? nam quid præ se maior pars tulit, nisi vt excusso superstitionum iugo, solutius in omnem lasciuiam diffluerent; homines Lucianici, & Epicurei. Papistarum ineptias lepidè irrident, sed ipsi indigni sunt, qui vnquam ad Papismum reuertantur, neque enim vulgaris exitus eorum esse

Lib. de scandalis. p. 118. 127

esse conuenit, quibus & sacer CHRISTI sanguis, & æterna Dei veritas, & lux vitæ partim risui sunt, partim contemptui (an non horum Princeps Caluinus ipse quanquam atrâ bile laborans stomachatur frequentius, quàm irrideat?) sacrilegè Euangelio ad sceleris prętextum abutuntur, loquor de artificio, iam nō raro, & insolito, sed vulgari quo se perfidi homines ad fallendū, fraudandum modisq; omnibus nocendum insinuant. Vidi etiam, quos lenocinijs suis impurisque pactionibus non puderet Euangelij vmbram prętendere, qui Caluini vitam legerit à Bossero descriptam, alia non requiret exempla; sed Caluini mores his ipsis Caluini verbis expressos agnoscet. An nobilis viri Domini de Fallaix coniugem in suum incæstum thalamum hoc Euangelij Lenocinio pellicere non est conatus? & nihil de fraudibus dicam, quibus complurium vitā innocentium atrociter petijt quos Geneuâ expulit, aut supremo plecti supplicio curauit. Taceo de vsurâ suis hymnistis concessâ, de quibus ipse in Danielem, ait eos pręclarè quidem zelum simulare, si tamen eos intus excutias, reperies plenos perfidiâ, & fraudibus. Idem Caluinus ait suos omnium mortalium esse sceleratissimos & facinorosissimos; & cum verba illorum sceleribus congrua non posset inuenire, tetra monstra & malos genios humanam formam indutos appellat. De eisdem Caluinistis Musculus: Euangelici nostri sibi ipsis adeò facti sunt dissimiles, vt qui in Papatu fuerant in erroribus, & superstitione religiosi, in luce veritatis agnitę sint ipsis huius sæculi filijs prophaniores, leuiores, vaniores, & temerariores, addere debuit, veneri, gulæ, ac luxuriæ longè addictiores. De ministris, sub horum ministerio nemo vereatur, ne nascantur hypocritæ, superstitiosi, iusticiarij (qui fide, & operibus iustificari expectent) hâc sollicitudine abundè liberant se, & alios. Interea tamen in diuersum latus inclinantes causas obijciunt populo, quibus paulatim incidat in adiaphoriam omnium pessimam, & Epicurismum imbibat omnis CHRISTI religionis

Concil. 10. Gal. scripta in Epist. ad Ephes.

ligionis vastationem, & extinctionem, de hoc eodē Atheismo Caluin. Non est quod nos turbet Atheismus, qui nunc cum in toto mundo passim grassetur, tum vero in Regum, & Principum aulis, & tribunalibus, in splendidis alijs vitæ generibus præcipue regnat? Nam si rerum peritos interrogem, quotusquisque illic bonæ conscientiæ hospitium concedat, in promptu erit responsum, eam procul exulare. Quid ergo miramur illud fidei naufragium, quod Paulus necessariò sequi docet, & si nihil firmum habeant, qui inter varias cupiditatum procellas continenter fluctuant. Illa horrenda mala, Atheismus, vacuitas conscientiæ, naufragium fidei, nulla certa fides, apud quos regnant, nisi apud Caluini, Lutherique discipulos? nisi apud eos, qui conuenticulis eorum prę sunt, ipsósmet Pastores? Sed est, inquit Caluinus, aliud Ecclesiæ vlcus magis detestandum, quod Pastores, ipsi, inquam, Pastores qui suggestum conscendunt, turpissima sint vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla; Ita fit vt nihil plus fidei, & grauitatis obtineant eorum conciones, quam si fabulam in scena gerat histrio. Et taliter in contemptu se esse apud plebem, aut etiam ludibrij causâ digito monstrari conqueruntur; ego autem potius vulgi miror patientiam quod non eos luto, & stercoribus mulieres, & pueri operiunt: hæc Caluinus. Si tales Pastores, qualis grex reliquus, qualis de plebe Caluinista? quamquam opinor meliores esse oportet, qui non vsque adeo in intimum pectus hęreseon venena dimiserunt.

In Luc. 2. Addamus duo testimonia Archiministrorum Brentij, & Petri martyris, qui minimè dubiâ, & obscurâ ratiocinatione rem eandem conficiunt, ac concludunt. Brentius, etsi nulla sit inter nos publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, & quod non sit mortuorum resurrectio, tamen impurissima, & prodigiosissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicuè indicat quid in animo suo sentiant, non esse vitam post hanc vitam, aut saltem quod de

2. ho. 35

futurâ

futurâ vitâ dubitent: nonnullis etiam tales voces, quibus significant se non credere mortuorum resurrectionem tam ebrijs, quam sobrijs in familiaribus suis colloquijs excidunt. An non ex eorum numero Brentius, qui infernum in cælo collocat, & diabolum Deo consociat? Petrus martyr Apostata, qui duabus sanctimonialibus injusto connubio copulatus absque eâ voluptate, quàm Epicurus summum ducebat bonum, vitam nequibat ducere, quærit, vtrum recurrat istud argumentum B. Pauli, vt quemadmodum ille dixit: si non est resurrectio mortuorum, comedamus, bibamus, ita è diuerso eosdem futuram vitam, & resurrectioné mortuorum minimè credere? respondet, licet argumentatio non sit apodictica, nihilominus probabile est eos, qui maximè, ac ferè student ijs voluptatibus, eos futuram vitam vel non credere, vel saltem frigide secum de eâ cogitare: subsumere nobis liceat, Petrus Vermelius Pseudomartyr, Bernardinus Ochinus, alijque complures, excucullati Monachi, Presbyteri abnegati, quos è claustris, & sanctioris vitę institutis abstraxerunt meretriculę, qui se per omnem vitam voluptatibus ijs cum infamiâ tradiderunt, sunt eiusmodi; non igitur credunt futuram vitam; sunt Epicurei, Athei, ventris mancipia, inimici crucis CHRISTI, quorum Deus venter, & gloria in confusione ipsorum. Nemo miretur fructus tam fœdos pestiferæ doctrinæ Lutheri, & Calbinij, vel hoc vnum dogma attendat, fidem sufficere ad salutem; id vnum abundè est ad hos omnes nequitiæ fœtus pariendos. Accedūt alia hoc libro explicata Epicureæ vitę principia, quæ eadem brutalis vitę sunt eadem Atheismi fundamenta, Deum ignorantis, in omnem licentiam, impudicitiam, infamiamq; projectæ, incitamenta prorsus ex orci faucibus eruta, per nouatores hereticos Euangelij & reformationis obtecta velo (ô impudentiam?) toto licenter orbe disseminata.

In cōm. 1. Cor. 15. fol. 420.

CAPVT XLVI.

Lutheristas, & Caluinistas arrogantiâ, ac superbiâ Stoicis esse superiores.



ACCEDAT hoc corollarium ad superiora capita. Multa sunt Stoicorum & hæreticorum communia dogmata, quibus excutiendis alius liber attribuendus foret. Scopus doctrinæ, ac disciplinæ Stoicæ, præsidentia sui, superbia, & arrogantia, peruicacia, & pertinacia contumax extitisse videtur, quæ eadem est omnis hæresis certissima nota, sed Lutheranæ potissimum, & Caluinianæ. Non quiuis error hæresim statuit, nisi accedat contumacia, & pertinax obstinatio. Nihil apud recentes hęreticos momenti habet vetustiorum Patrum auctoritas, quam præ suo sensu, & iudicio ne flocci quidem faciunt, soli sapientes à Deo docti, diuino inflati spiritu, sacrarum litterarum optimi interpretes, omnium fidei controuersiarum arbitri, iudices ac definitores, de quorum dictis, & pronuntiatis ambigere sit nefas: qui seipsos magnificè circumspiciant, ac passim dilaudent, cæteros contemnant, ac præ se despicatui habeant. Extat liber Lutheri ad ducem Georgium, in quo sic ait, à tempore Apostolorum nullus Doctor, aut scriptor, nullus Theologus, aut Iurisconsultus tam insigniter, & clarè conscientias secularium statuum confirmauit, instruxit, consolatusque est, sicut ego feci, per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quod neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen in hâc re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt: copiosè prædicatum est à me Euangelium, vt ne Apostolorum quidem tempore tam clarum

In serm. de euers. Ierus.

rum fuerit: mirum quod CHRISTO ipsi non se comparet Antichristus. Idem Lutherus regem Angliæ Henricum VIII. dum adhuc à partibus orthodoxis staret, insigni prosequitur inuectiuâ, vocatque rude caput, asinum, stupidum, crassum, truncum, oscitãtem, hebetem, insulsum, sophistam, quod post tot libros à se editos, non aduerteret quo ille tenderet. Nimirum Patres, Concilia, longam consuetudinem, & reliquas eiusmodi Papistarum obtusas hastas è medio remoueret, solum autem Dei verbum ad omnes controuersias excutiendas adhiberet, vltimo loco, inquit Lutherus, Henricus dicta Patrum inducit pro sacrificio missario, hic dico confirmari hoc nomine nostram sententiam. Nam hoc est quod dixi Thomisticos Asinos nil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum, & antiquum vsum. Ego vero aduersus dicta patrũ, hominum, Angelorum, dæmonũ pono, maiestatis ęternę verbum Euangelicũ, hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic triumpho, hic insulto dictis hominum quantumlibet sanctorum, vt nihil curẽ, si mille Augustini, mille Cypriani contra me starẽt: nempe omnibus intelligẽtior est verbi diuini Lutherus præ omnibus illustratus à Deo, cęlitus edoctus inter pocula & cyathos. Alio libro dũ promiscuè fideles omnes vult esse Sacerdotes, concludit: quare Sacerdotium commune erit, vt nihil valeant aduersus hæc diuina fulmina, innumera concilia, æterna consuetudo, vniuersa mundi multitudo, nec habet Papistę quod his opponant, nisi Patres, Concilia, consuetudines. Præclarè igitur de Luthero confessio Tigurina. Proprij capitis figmenta adeo Luthero arrident, vt quicunq; tandẽ illa pro eximijs, & certis Dei reuelationibus, & oraculis citra omnem controuersiam magnâ cũ animorũ gratitudine non receperint, mox nihil intelligere, stupidi, bardi, asini dicantur. Lutherus ipse se Germanorum Prophetã, & Apostolum esse gloriatur, qui à nemine quidquã, omnes autem ab eo didicerint. Nemo item quicquã nouit, nisi quod ex Luthero nouit, nemo quicquã fecit, Lutherus fecit omnia, & quod ab ipso factũ non est, infe-

Tom. 2. contra Reges Angliæ fol. 342.

n -

De ministris inst. 682.

fo. 1590

ctũ sit oportet, quod ipse dixerit, ratum esto; nec quisquã illi contradixerit. Quid mirũ ipse Zeno Stoicorũ (an Epicureorum?) Princeps primus hęresum parẽs & proseminator. Nil igitur mirum fulgurare, & fulminare Lutherũ, & fratres suos Zuinglianos Iudæis, Turcis, immo ipsis diabolis deteriores, dicere, eâ acerbitate, & maledicentiâ, quâ & ipsi recriminantes insignem hunc Dei Apostolum asserunt ministrũ Sathanę, cuius impulsu libros scripsit, qui cum disputauit, à quo sit in disputando superatus, vt dæmon eius cordi penitus insederat, ita frequens erat in ore, & sermone. Apud Caluinum nulla cuiusquã nec Orthodoxorũ, nec protestantiũ, nec ipsorũ Euangelicorum valuit auctoritas præ suo sensu, ac iudicio, nec veterẽ, nec reformatam audijt Ecclesiam, exempli causâ, vt suũ illum errorem, Deum esse auctorem peccati pertinacissimè tueretur D. Aug. Ambr. cæterique ad vnum Patres Latini, & Græci homines superstitiosi sunt Caluino, ad rem, id est, scripturã minus attenti, ideoq; friuola quæsierunt effugia, vt peccata hominũ ad Dei præscientiam, non autem ad operationem referrent. Monet semper meminerimus omnia scripta Patrũ nostra esse, quæ nobis seruiant, non quæ nobis dominentur; quod ipsum de sacris scripturis si non expressit, at animo sensit. Ex eiusdem sententiâ, & asseueratione Philippus Melanthon alijq; Lutherani confessionis Augustanę proceres, homines bardi, vertiginosi, prodigiosi, cęci, desperati, impudentes, adeo ignari, vt quod pueris in catechismo traditur, id Lutheranorum veterani Theologi nõ intelligant. Castalio intimus Caluino quondam sodalis, & cõtubernalis, cum se eidem opposuisset errori, & perquam modestè monuisset, ab eo habitus est impostor, scurra, impurus nebulo; se nullum vnquam vidisse magis superbum, vel perfidum, vel humanitatis expertem. Qui te inquit, impostorem; & impudentiæ deditum ex professo pietati oblatrantem non agnoscunt, nihil prorsus iudicant; norat Castalionem Caluinus, & è contra Caluinum Castalio ex domesticâ cõsuetudine, fuisse talem discipulum magister

magister efformarat, suis illum moribus imbuerat. Denique toto libro debacchatus dimittit illum cum Geneuiticâ benedictione. Cōpescat te Deus, Satan. Iam verò Patres Orthodoxos Trident. legitimè in Spiritu sancto congregatos non veretur sæpius per iocū amarulentum Neptunicos & Tritonios Patres appellare, quasi Tridentē inter, & Tridentum vrbem magna sit affinitas, aut Tridentum in Alpibus maritimis sit oppidū. Sed quod intolerabilius est, vocat eosdē stupidos, quisquilias, asinos, porcos, pecudes, crassos boues, otiosos ventres, mendicabula putrida, cadauera cilicernia, latrones, Patres cornutos, Tridentinam colluuiem, exitialia monstra, spurios degeneres, meretricis filios, CHRISTI hostes, Antichristi legatos. Quid malus dæmō in eos Patres illustrissimos debacchari potuit atrocius? An non dirum ōs inferni, os Caluini fuit, quādo has diras euomuit? quid si iustius eadem conuitiorum plaustra regerantur in Caluinum, & eius Hymnistas. Sed redeo ad Lutherū à quo vt hęreses omnes, ita & maledicendi licentiam hausisse videtur Caluinus, quamquam hic amarulentior est, ille semper hilarior. Cum largius potasset Lutherus, clamitabat, Dauid, Daniel, Isaias excellentissimi fuerunt Prophetæ, ego sum Isaias, Philippus est Ieremias, quidni & Rex Dauid Dux Saxoniæ. Ego Martinus Luther in monasterio eram mendax, deceptor, seductor, atque criminator, nunc notum sit vobis (Pontificem, Cardinales, & Episcopos alloquitur) quod nolo vobis amplius exhibere honorem, vt me submittam, vel vobis, vel illi Angelo de cælo ad iudicandum de doctrinâ meâ; hæc est hęreseos certissima nota, obdurata mentis obstinatio, quam superbia gignit, ac nutrit. Quid orthodoxis eius doctrinam impugnantibus ex sacrâ scripturâ, aut Patrum auctoritate respondendum sit, sic ait: responde, Doctor Martinus Lutherus hoc vult, dicitque Papistam, & Asinum rem eandem esse; sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Lutherus ita vult, & ait se Doctorem esse supra omnes Doctores Ecclesiæ, & omnes Papistas esse Asinos. O ridiculum caput plusquam asininum, à quo omnis ratio, & mens exulat, quod nullo percuretur helleboro. Idem eius est responsum ad illud, quod fatetur speciosum, & robustum argumentum Papistarum. Ecclesia tot sæculis sensit, & docuit: sic senserunt omnes Ecclesiæ primitiuæ Doctores, viri Sanctissimi quis ausit ab ijs omnibus dissentire, si vel vnius auctoritas magna esse debet, quanta omnium simul consentientium, & conspirantium? At Lutherus quando Sathan hoc vrget, constanter dicas: siue Cyprian. August. siue S. Petrus, Paulus, homines, immo Angelus de cælo aliter doceat, tamen hoc certò scio, quod humana non doceo, sed diuina.

In Antidoto.

Tom. 4. p. 535.

n.1. Petrus Apostolorum summus viuebat, & docebat extra verbum Dei; Lutherus scilicet Heresiarchorum summus viuit intra verbum Dei. O veternosi capitis impudentiam, somnia hominis perpetuo semper ebriosi.

An non pudet pigetque sectarios tam impudentis, tam deliri, tã putide atque arroganter insanientis Magistri? En à quo reformata sit Ecclesia? En quo spiritu ducantur atque agitentur opinionum nouarum assertores. Non certè Spiritu Sancto afflantur qui spiritus æquè est humilitatis, modestiæ, ac veritatis, sed à spiritu tartareo mendacij ac superbiæ. Componat lector æquus vel vnius Bellarmini modestiam in scribendo, lenitatem ac comitatem in reprehendendo, denique prudentiam ac moderationem in disputando cum hæreticorum præsumptuosa iactantia maledicendi licentia & quæ passim se prodit in eorum scriptis arrogantia impudenti, nec dubijs coniecturis assequetur à quorum partibus stet veritas, quis superbiæ sit & hæreseos, quis veritatis & humilitatis orthodoxę spiritus. Quid quod Heretici cum rationibus destituuntur & allatas ab orthodoxis responsiones ac distinctiones eludere non possunt, mox mulierculatũ more vociferationibus, exclamationibus, auxesibus euincere nituntur, cuiusmodi vnam de Missa tot vetustis liturgijs atque auctoritatibus communita Caluino lubet auxesim offerre coronidis loco: Quid superest nisi vt cæci videant, surdi audiant, pueri ipsi intelligant hanc Missę abominationem, quę in calice aureo propinato omnes Reges terræ, ac populos à summo vsque ad nouissimum sic inebriauit, sic percussit sopore ac vertigine vt brutis ipsis stupidiores proram ac puppim suę salutis in hac exitiali voragine statuerint. Hęc est Helena pro qua veritatis hostes tanta hodie rabie, tanto furore tanta atrocitate digladiando &c. Denique Missam cum suis appẽdicibus à radice ad fastigium omni genere impietatis blasphemiæ idololatriæ sacrilegij scatere. An non os inferni hæc euomuit. Os sanè inferni, Os Caluini teterrimum atque spurcissimum. Sed aliquando primo huic libro finis imponatur & ad Continentiæ duas partes seorsim explicandas aditus aperiatur.

FINIS.

Liber secundus De Continentia cibi et potus, Jejunio, et reliqua corporis macerandi ratione



LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Qui fuerint Patriarchæ & maiores Epicureorum huius temporis.



BSTINENTIA & continentia virtutes ſunt connexę arctiore quodam inter ſe vinculo tum naturali tum morali religatæ, adeoq; implexæ vt eodem plerumque vocabulo cenſeantur.

Nemo certè hæreticorum virtutem vnam impugnauit, quin & alteri bellum indixerit, nemo ieiunia cæteramque carnis edomandæ diſciplinam atque auſteritatem damnauit, quin & luxuriæ & impudicitiæ laxarit habenas.

Id perſpicere eſt in vetuſtiſſimis hęreticis, Simonianis, Nicolaitis, Gnoſticis, Maſſilianis, Arianis, Iouinianis, tum & in Becuardis, Beguinis, Wualdenſibus, Wuiclefiſtis,

quorum nepotes ac posteri Caluiniani, & Lutherani virtutem vtramque consimili velut odio capitali persequuntur.

Qui fuit omnium primus hæresiarcha Simon Magus, horum omnium Patriarcha iure potest existimari, idem primus parens & auctor Gnosticorum impurissimorum. Abhorrebat ab omni opere bono meritum omne repudiabat, ac per solam gratiam hominibus salutem promittebat, liberum item arbitrium tollebat, quibus præcipuè duabus columnis Caluiniana & Epicurea libertas innititur, Sacerdotum cælibatum contemnebat, & risui habebat, quin & sublata omni lege matrimonij, communitatem vxorum permittebat. Helenem tamen seu Helenam circumducebat; quam à Tyro ciuitate Phœnicis quęstuariam redemerat, de qua & portentosas edebat fabulas, ipse in Iouis, Helena in Mineruæ figura à suis colebatur.

Ab eo exorti Menandriani, Cerinthiani, Ebionitæ & Gnostici, turpissimi varias in sectas & appellationes diuisi. De quibus singulis dicere sit infinitum.

Quod attinet ad ieiuniorum abstinentiam, de qua deinceps dicturi sumus Epicureis nostris præiuerunt & viam pręcipuè munierunt Ariani & Eustachiani.

Nam ieiunia ab Ecclesia præcepta nominatim diebus Mercurij, Veneris, & quadragesimæ despiciebant, & in quoduis aliud tempus, quod cuique visum esset, transferebant, ob eandem ipsam causam quam nostri allegant ne viderentur esse sub lege. Quare Dominicum potius diem ieiunijs obeundis, quam alium quemuis eligebant, quod ipsum hodieque *Epiph. hær. 75* factitant hæretici. In diebus Paschatis, quadragesimalibus, antegredientibus Pascha, ait Epiphanius, quando apud nos fiunt humicubationes, castitatis afflictationes, siccorum esus, preces, vigiliæ & ieiunia &c. ipsi à summo mane obsonantur, carneque, & vino venas suas explentes cachinnantur, ridentes & subsannantes, qui sanctum hunc cultum hebdomadis Paschalis perficiunt.

An

An non ſimillimum factum eſt illud Lutheri, quod de ſe ipſe narrat. Iacobus Concionator Bremenſis, in die pœnarum inter alia fercula gallinam parauit, dicens: Si docemus, quare non facimus? tandem depoſui habitum, ego enim niſi cucullum exuiſſem Papiſtæ meam doctrinam quaſi non veram calumniati fuiſſent. Quid doctrinæ cum cucullo? niſi quod Catholicam omnem doctrinam cum religioſa veſte videri voluit exuiſſe. Ex eo tempore nullus fuit illi ſcrupulus carnibus in quadrageſima veſci, vt quodam ſermone gloriatur. De eodem in colloquijs narrat Remberſtol, cum interrogaretur, cur die veneris ſancto, quo nemo non (ſi modo retinet ſcintillam aliquam pietatis) abſtinentię & pœnitentiæ, ſtudet, ipſe indulgeret genio & carnibus ſe impleret, reſpondere ſolitum in odium Papæ & Cardinalium id ſe facere, vt malè eſſet Papæ & Papiſtis. O rectam & puram intentionem! Wualdenſes (ijdem pauperes de Lugduno) non ab Alpium anfractibus, in quos ſe receperant, ſed à Wualdeno quodam Hæreſiarcha ſic dictos non iniuriâ fratres appellat, Beza, Eccleſiæ purioris ſemen, & inter cętera pręconia teſtatiſſimam illis innocentiam vitæ tribuit, aitq; & nunc religionis puritate & omnium Chriſtianarum virtutum exemplis inſignes Eccleſias habere, ſed vbi terrarum iſtæ Eccleſiæ, niſi Geneuę, in Angliâ & Hollandia, quibus in terris Caluiniana dominatur hæreſis? cum Wualdenſibus copulat Albigienſes paris farinæ ſectarios, copulare debuerat etiam Beguardos, & Beguinos eiſdem erroribus inuolutos, Lothareos & Turlupinos ſeu Cynicos, quorum ſe poſteros per me licet, glorientur Lutherani, & Caluiniani, agnoſcant item Principem ſuum Ioannem Wuiclef ex cuius fontibus ſeu mage putidis lacunis ſuas hauſerunt hæreſes; quem Beza non modo numerauit inter viros doctrina ſimul & pietate illuſtres, quorum pręcipuè miniſterio vera religio fuit inſtaurata, verùm inſuper primum conſtituit inter martyres, quibus vt ipſe ait, à ducentis annis vſus eſt Deus, vtpote ab eo electus & ſuſcitatus

Tom. 1. opuſc. cap. de Conſol.

De 800 articu.

In iconibus.

 tatus

Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, nisi cum eo religionis diuortium facere velit. Religio enim maximè nititur administratione sacramentorum. Postremò non sileat Beza Lutheri laudes, pręcipuum Christianismi nostrâ memoriâ inter Germanos instaurati organum ore toto diuinitus afflatum, animi magnitudinem, ipsamque adeo pietatem cum singulari zelo testante Euangelicæ luce flammæ è densissimis tenebris sensim proferendæ, præconem à Deo Opt. Max. humani generis miserto excitatum & ad repurgandum Dei templum euocatum. Lutheri laboribus tantum debere Ecclesiám instauratam quantum à multis sæculis vix cuiquam debeat. Quid mirum? res ipsa clamat, teste Caluino, non Lutherum initio locutum, sed Deum per os eius fulminasse, & aliàs, non dissimulanter: testamur Lutherum nos habere pro insigni Apostolo, cuius maximè opera & ministerio, restituta hoc tempore Euangelij puritas: quem tamen Caluinus Idololatram vocare non veretur, quod Eucharistiã dicat sacramentum adorabile. Habeant igitur è Caluini sententia Apostolos CHRISTI insignes idololatras, & è suis Biblijs expungant librum Iob, Ecclesiastem; sex Apostolorum Epistolas, Apocalypsim, tum poligamiam, cæterosque omnes Lutheri errores, quibus videntur aduersari, complectantur. Hos præcipuè duces Caluinistæ sequuntur, à quibus tamen in pręcipuis quibusque fidei dogmatis dissentiunt. Sed in indicendo pœnitentiæ ac continentiæ bello, præclarè consentiunt, vt Samsonis vulpes à tergo fœtente & caudis religatæ. Ex hæreticorum hâc discordi concordiâ nata est hæresis pernitiosissima, quam & Machiauelistę lubentes arripiunt, vt religio statui subseruiat. Parum sanè differens ab Epicurismo, Atheismo, de fidei ἀδιαφορία; vnumquemque in suâ fide, & religione saluari posse. Quid enim aliud voluit Beza diuersissimos sectarios, qui se mutuo vocant hęreticos in vnam Ecclesiam compingens. Dicitur idem à quibusdam Catholicis de religione consultus respondisse, eos rectè facturos,

Lib. 1. aduersus Pighium.

Florim. l. 1. c 9 ros, si in Ecclesiâ Romanâ perseuerarent: quod idem Melancthon morti proximus matri, & sororibus respondisse fertur. Henricus IV. Rex Galliarum ratiocinabatur nuspiam certius salutem obtingere, quam in Ecclesiâ Romanâ, ex Catholicorum in eâ solâ, ex hæreticorum etiam opinione in quauis fide, & religione. Narrat Socrates Themistium nobilem Peripateticum Valenti Imperatori hanc sectarum varietatem persuadere voluisse, vt Deo gratam, dum pluribus modis colitur, & pluris fit dum difficilius cognoscitur, & inuenitur. Quasi verò par sit ratio fidei orthodoxę & prophanæ externæ Philosophię olim Appelles Marcionis discipulus apud Eusebium, & Manichæi teste Epiphanio religionum indifferentiam permiserunt, hodieque Turcæ Mahometani ne quidem fidem ac spem in CHRISTVN exigunt, sed dumtaxat Dei vnius adorationem, & honestam vitam. Verum sine fide, ac spe Christianâ nec honesta vita, nec vnius Dei quidem adoratio legitima constare potest. Admittere omnes religiones nullam est admittere, plures fides recipere, fidem est euertere, ac tollere, cum vera fides, ac religio vnica dumtaxat esse possit, quę reliquas falsitatis coarguat, falsa religio, & nulla religio pari iure censentur, cum Deus sui falsum cultum detestetur, nullum malit, quam falsum, & mendacem sibi cultum deferri. Vt peior est error ignorantiâ, ita deterior est falsa religio, quam nulla; si falsa fides, & religio ad beatam vitam via esse potest, cur non & nulla? Hæc negatiuè, aut priuatiuè, illa positiuè est vitiosa, sed nimirum quam quisque fidem profiteatur non admodum sunt solliciti, dummodo hac in re conueniat, vt noua quinti Euangelij libertas, id est, carnis & naturæ corruptæ licentia, non ad ieiunia cæterasque macerandi corporis causa susceptas pœnitentias astringatur; dummodo sint Epicureę voluptatis præcipui patroni ac defensores; quos non incommodè primo huius susceptæ disputationis limine productus è media gentilitate Philosophus & orator paucis à me interpositis coarguat ac condemnet.

Lib 4 hist. 27.



CAPVT II.

Aduersus veteres & recentes Epicureos: voluptatem corporis summum bonum esse non posse.



ETERES Epicurei persæpe querebantur non satis intelligi quam voluptatem summum bonum diceret Epicurus: non illam modo fluxam quę suaui motu ac titillatione sensus perfunderet, sed stabilem præcipuè quæ perciperetur omni dolore detracto. Ipse sibi non constabat Epicurus qui summum bonum diceret voluptatem eique mox adiungeret doloris vacuitatem & indolentiam, cùm magnum sit inter non dolere & voluptate affici discrimen, aliàs non raro testificabatur non intelligere se vbi sit, aut quid sit vllum bonum præter illud quod cibo & potione, aurium delectatione, & obscœna voluptate capiatur. Rectè quidem Epicurei voluptates ac dolores animi maiores esse quàm corporis sentiebant, quia trium temporum particeps sit animus, corpore autem solum pręsentia sentiuntur. Verum omnes animi voluptates & dolores ex corpore oriri & ad corpus referri, perperam sentiebant: peruersus sit hic ordo si corpori famuletur animus, & non magis animo corpus inseruiat. qui voluptates omnes ad corpus referunt, necesse est animos nostros mortales opinentur: nihil absque sensibus percipere posse, atque vnà cum corporibus interire. In vacuitate doloris & indolentia summum bonum consistere non posse perspicuum est, cùm

cùm in saxis & rebus omnis sensus expertibus ea reperiri queat non in brutis modo pecudibus, sed fruitione opus est & actione partis intelligentis, qua summum bonum possideatur. Neque beatitudo perfecta esse potest nisi perpetua sit illa mentis actio, & in nostra potestate, eaque tam vehemens vt dolórem omnem excludat ac superet. Nostri recentes Epicei qui continentiæ bellum indixerunt, nihil magnopere laborant de ratione finis vltimi, & summi boni. An ea statuatur indolentia vacuitasque doloris cum Hieronymo, an voluptas cum Epicuro, quanquam opinor præferant hanc corporis voluptatem quę cibo & potione, & re venerea capiatur. Nam cur tanto studio intemperantiæ patrocinium suscipiant? cur gulæ & luxurię tantâ contentione deseruiunt? De sinceris certè & liquidis animi voluptatibus cælitus infusis, nihil illis curę est, toti sunt ventri atque abdomini deditì.

Abutitur Erasmus vocabulis in Epicureo Christiano non veritus CHRISTVM quod adiutor sit Epicurum ex Græcorum etymologia dicere homo prophanus. Neque vero Epicurus vnquam de sincera animi lætitia pace ac tranquillitate, quam legis diuinę affert obseruatio, somniauit, nec ea voluptas finis est Christiani, qui Deum vnum habet pro scopo sibi propositum. Nihil agit Christianus voluptatis causa, licet illa tum naturæ, tum virtutis præclaras functiones, velut vmbra consequatur. Viuant suauiter Christiani interioribus gaudijs perfusi, magna & certa spe fælicitatis æternæ, sed non Epicurea suauitate quæ ad corpus refertur, sed Christiana spirituali cælesti ac diuina. De voluptate corporis omnis nobis est cum Epicureis veteribus atque recentibus disceptatio aduersus quos prędarè Tullius. Pertinet ad omnem officij quæstionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestijs antecedat, illæ enim nihil sentiunt nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique & audiendi de-

1. Officiorum.

di delectatione ducitur. Quod si Christiana fide, & veri Dei notitia fuisset imbutus Tullius, quanto potiorem animi voluptatem omni corporis titillatione duxisset, summi Dei contemplationem & ardentem amorem cæteris omnibus studijs antetulisset? Quin etiam si quis est paulò ad voluptates propensior, modò ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat & dissimulat, appetitum voluptatis propter verecundiam, ex quo intelligitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis prestantiâ, eamque contemni, & reijci oportere. Sin sit quispiam qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendæ modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referatur, & ad vires non ad voluptatem. Coniugij quoque voluptas ad generis propagationem, liberorumque procreationem planè est referenda, culpa alioquin ac vitio minimè caritura, si per seipsa licet indulta coniugij voluptas expetatur. Atque si considerare volumus, quæ sit in naturâ excellentia & dignitas, multoque magis quæ gratiæ ac Christianæ vitæ præstantia, Intelligemus quam sit turpe diffluere luxuriâ, & delicatè ac molliter viuere, quamq; honestum parcè, continenter, seuerè, sobriè. Etenim voluptas corporis vilissima est, vilissimorum sensuum, qui maximè terrestres sunt & abiecti, operâ ac ministerio excepta, non oculis atque auribus, qui sunt disciplinæ capaces, quorum sensuum iucunditates liberatores & homine digniores censentur, sed omnium infimis sensibus gustatu & tactu. Persusoria est externa dumtaxat superficie sensus commouens, non ad ipsum intus animum peruadens, cui si mœrore sit oppressus, aut corporis morbo grauatus, maiore etiam tædio futura est ea sensuum externa titillatio. Rectè dictum est à sapiente, *non est census supra censum salutis corporis* (quæ patrimonium est pauperum) *& non est oblectamentum supra cordis gaudium*, quod proprium est bonæ ac paratæ conscien- Ecc. 30. v. 16.

 tiæ.

tiæ. Esto duplicem faciat Epicurus voluptatem, stantem & mouentem, & hanc adiungat dulcem in motu alteri non dolentis in stabilitate, neutra tamen diuturna esse potest, neque hæc quæ percipitur omni dolore detracto, nam depulsa fames & sitis modico post interuallo recurrit ardentior, quare omnis voluptas fluxa est in transitu ac motu continuo posita, semetipsam destruens suique tędium ac fastidium ingenerans. Inexplebilis & insatiabilis est earum voluptatum cupiditas: si pręfigatur edendi bibendique terminus naturæ sustentatio, licebit eam voluptatem moderari ac metiri, at si sola quæritur voluptas, nullus erit neque modus, neque finis. Immensa erit voluptas & infinita. Denique voluptas adimit, aut certè vehementer imminuit rationis vsum atque iudicij, neque fieri potest, vt dum maximâ quis voluptate corporis incitatur, præclari aliquid mente agitet, seu aliquid ratione ac cogitatione consequatur. Breuiter veluti Circæo poculo hominem transfert in pecudem. Sed ad Tullium denuo cum Epicureis disceptantem redeamus. Hi non viderunt vt ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem Deum. Iustius id dixeris, si hominem Christianum baptismo & gratiâ CHRISTI renatum in Dei amicorum ac filiorum hæredumque adscriptum numerum cogitaris, cui Deus pro scopo cognoscendus & amandus, bonisque operibus demerendus præstituatur vt ad claram eius aliquando visionem fruitionemque pertingere liceat. Contraque vt tardam aliquam & languidam pecudem ad pastum procreandi voluptatem, sic hoc diuinum animal ortum esse voluerunt; quo nihil mihi videtur absurdius. Adde redemptum CHRISTI pretioso sanguine, Christianis legibus ac moribus institutum. Huccine recidit omne creationis ac Redemptionis humanæ beneficium, vt corporis voluptas pro summo bono duceretur? voluptatem bestijs concedamus, quibus Epicurei de summo bono testibus vti solent. Quam-

quam magis illæ sui conseruationem generisque propagationem propositam habent ac quærunt quàm voluptatem: hanc enim sæpè negligunt, vt sese fœtusque suos tueantur. Quod si etiam bestiæ multa faciunt duce sua quæque natura, partim indulgenter vel cum labore, vt in gignendo, in educando, perfacile appareat aliud quiddam his propositum non voluptatem. Turtures & cursu & peregrinatione lætantur, congregatione aliæ cætum quodammodo ciuitatis imitantur. Videmus in quodam volucrum genere nonnulla iudicia pietatis, cognitionem, memoriam in multis etiam desideria videmus; ergo in bestijs erunt secreta voluptate humanarum quædam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus nisi voluptatis causa nulla erit? & homini qui cæteris animantibus plurimùm præstat præcipuè à natura nihil datum esse dicemus? nihilne à gratiâ Euangelicâ, nihil ab infusa fidei luce, nihil ab ardore spei & charitatis, nihil à certa spe & exspectatione cælestis præmij? Nos verò siquidem in voluptate sunt omnia, longè multumque superamur à bestijs, quibus ipsa terra fundit ex se pastus varios, varieque abundantes nihil laborantibus; nobis quidem aut vix aut ne vix quidem suppetunt, multo labore quærentibus, nec tamen vllo modo summum bonum pecudum & hominis idem homini sane videri potest. Si non superesset altera vita, totumque hominis bonum voluptas corporis existeret, non tantum rectè dictum esset ab Apostolo, si *in hac vita tantum in* CHRISTO *sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, addendum esset & ipsis pecoribus, vt obseruatum est à S. Augustino, & à me commemoratum alio libro. Iterum Tullius, quid tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto cursu honestissimorum studiorum tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem; nisi ad voluptatem conquiruntur &c. Vti si Xerxes tantis classibus, tantisque equestribus & pedestribus copijs nihil nisi mel ex Hymeto monte auferre voluisset. Mel sanè voluptatis multo

1. Cor. 15 19.

felle permixtum amaritudinis mel plerumque noxium atque pestiferum.

Ad altiora quædam & magnificentiora nati sumus, non modo nati, sed & per baptismum renati, CHRISTI passione ac morte redempti, nec id ex animi solùm partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, intelligendi vis inest infinita, inest coniectura consequentium, non multum à diuinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiæ fida custodia, inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma & stabilis doloris mortisque contemptio, inest & Christiana fides, spes, charitas, religio, cęteræque virtutes diuinitus infusæ. Hos animos legis Euangelicæ sacramentorumque præsidijs communitos si attendas, nunquam ad famulandum corpori eiusque persequendas voluptates abijciendos tibi persuaseris. Quid si in ipso corpore multa voluptati præponenda sunt, vt vires, valetudo, velocitas, pulchritudo, quid tandem in animis censes, in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam cæleste & diuinum putauerunt? Tantum abest vt summum bonum sit voluptas, vt propè summum malum censeri debeat, id enim bonum hominis est, quo melior & perfectior euadit, id malum quò deterior: at vbi quis indulget voluptati, non fit ea melior sed planè deterior perditis ac profligatis moribus in omnia flagitia proruens. Quâ de re Cato maior refert veterem orationem Archytæ Tarentini: nullam capitaliorem pestem quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à naturâ datam, cuius voluptatis auidæ libidines temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur; hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euersiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat, nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret, stupra verò & adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris excitari nisi voluptate, cumque homini siue natura, siue quis Deus nihil

nihil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil tam esse inimicum quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere animo aliquem iubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maximâ, nemini censebat fore dubium quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil tam detestabile tamque pestiferum quàm voluptatem siquidem eà cùm maior esset atque longior, omne animi lumen extingueret. Sanè non potest esse summum bonum quod in nostra minimè sit potestate, quod non sit quodammodo perpetuum & ęternum, cuius amittendi metu cruciemur. At longissimè abest voluptas, ab ea conditione, vt breuissima sit ac propè momentanea, citissimè præteruolans, sesemet interimens, suique tædium ac fastidium aduehens, eo grauiùs & acerbius, quo suauior ac maior fuerit pręterita commotio, verissimè de ea dictum est à Domino, *omnis qui biberit ex aqua hac*, ex qua nimirum & pecora Iacob biberunt, *sitiet iterum*, quo loco S. August. Voluptas sæculi huius, cibus est. Potus est, lauacrum est, spectaculum est, concubitus est, nunquid non iterum sitiet, sed & quis diem vnum in eo genere voluptatis perseuerare possit aut velit, nisi turpissimus & hominis nomine indignus. Verùm hęc abundè, nunc ab alio rursum ordiamur principio.

Ioan 4. 103. *Tracta-tu* 15. *in Ioa.*



CAPVT III.

De ieiunio cum oratione & eleemosyna copulato.



XTERNA omnia pietatis opera ad tria hæc reuocari notissimum est, de quibus Raphael Archangelus ad vtrumque Tobiam: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.* Oratione placamus ac promeremur Deum: ieiunio sanamus nosmetipsos ac conseruamus. Eleemosyna conciliamus proximum, eiusque miseriam subleuamus. Oratione pugnamus aduersus vitæ superbiam: ieiunio contra carnis concupiscentiam. Eleemosyna contra auaritiam & oculorum cupiditatem Oratione flagellamus diabolum: ieiunio comprimimus lasciuientem carnis sensum: eleemosyna conculcamus mundi fastum. De tribus hisce bonis operibus inter se connexis, alio libro prolata sunt, S. August. D. Leon. & Bernar. præclara testimonia. Adijciam modo & illustre Pet. Chrysologi Rauennatis encomium. Tria sunt fratres, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus, oratio, ieiunium, misericordia. Quod oratio pulsat, imperrat ieiunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, ieiunium sunt tria hæc vnum, dant sibi inuicem vitam; est namque orationis anima, ieiunium, ieiunij vita, misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Sanè ieiunij suscipiendi caussa præire debet oratio, in Deique cultum

Tob. 12. v 8.

L. 1. de humi. Christ. c. 28.

tum illud referre, pro religionis affectu: consequitur autem vt effectus in proximos largè impensa misericordia. Quare & ieiunij & eleemosynæ vita atque anima est oratio. Sed prosequatur Chrysologus: si volumus Moysis gloriæ, Eliç vitæ, Ioannis virtutibus, omniumque Sanctorum meritis nos applicare, insistamus, orationi, vacemus ieiunio, seruiamus misericordię, qui in his vixerit, qui per illa fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis Christianus armiger non timebit. Hęc sunt, fratres, quæ tenent cęli arcem, quæ secretum Dei Iudicis pulsant, quę ante CHRISTI tribunal caussas humani generis exequuntur. Quæ iniustorum petunt indulgentiam, eorum veniam promerentur. Hæc cui in cælestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris. Hæc cùm in cælestibus principatum obtineant, in terris summam rerum moderantur: hæc regunt prospera, hęc aduersa propellunt, vitia extingunt ista, virtutes ista succendunt, sed reddunt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem: humanos ista sensus scholam faciunt disciplinę, per hæc in templum Dei humana corpora consurgunt, hæc hominem, præstant Angelum: homini deitatis deferunt hęc honorem. Quæ laudes ieiunio potissimum attribuendę sunt cum ex oratione ac religione aduersus Deum nascitur, cum zeli affectu suscipitur, cumque misericordiam ex se gignit, in eleemosynasque profusas proximis impensas effunditur, quando pauperibus impenditur quod corporis delicijs ac voluptati quandoque propse iustæ necessitati subtrahitur. Hęc tria igitur opera pietatis pręcipuè commendant ac stabiliunt Catholici, dum rationem meriti, satisfactionis & impetrationis eximiam illis tribuunt, dum ad Dei cultum pertinere sentiunt, eiusque in primis accepta maiestati, cęlesti præmio digna nunquam non homini Christiano cum ope diuinæ gratię frequentanda deprædicant. At verò eadem conuellunt radicitus aduersarij,

dum

dum illis omnem meriti & satisfactionis dignitatem detrahunt, nihil in illis Religiosi cultus inesse volunt, nec esse Deo grata & accepta, nec vllam ab eo mercedem mereri, imò nec esse bona & honesta, sed media & indifferentia contendunt, adeo vt non modò ad ordinem & gradum Euan-
a
gelicæ gratię ex superadiecto fine supernaturali, promoueri posse negent, sed vix intra ordinem naturæ, & infimæ virtutum honestatis consistere patiantur, nihil igitur different eadem opera ab homine Christiano & gentili Philosopho exercita, imò vero ex eorum penitiore dogmate omnia sunt peccata, veneno concupiscentiæ nobis insitę, contaminata. Sed aliàs generatim de bonis operibus nunc de ieiunio speciatim agendum. De ieiunio naturali, quod vocant Theologi, seu abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, quod ad Eucharistiæ sumptionem requiritur, D. August. sic ait: Placuit spiritui sancto, vt propter honorem tanti sacramenti prius in os Christiani Dominicum corpus intratet quàm cæteri cibi. De ieiunio morali Philosophico seu medico ad tuẽdam sanitatem, non est quoque hîc dicendi locus, sed Christianum nobis ieiunium propositum est, siue Ecclesiasticum, tum generatim, vt omne studium atque officium continentiæ complectitur, quo caro maceratur, tum speciatim vt est abstinentia ciborum iuxta regulas ab Ecclesia præscriptas. Licet ieiunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, propriè tamen ad edendi diminutionem refertur, vt prosit nunc voluntati non sumere quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse, vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hîc abstinentia sit saluti, præsertim cum ieiunium comitatur oratio & eleemosyna, cum hisce velut duabus alis, eleuatur ac subuolat in cælum. De oratione cui mirificè adminiculatur ieiunium, quotidiano experimento probatur potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat

Epist. 118.

Inquit D. Leo. Serm. 8. de ieiun 7. mensis.

obsistat illecebræ & quod futurũ est oneri, subtrahat voluptati. Quamuis enim sine anima nihil caro desideret & inde accipiat sensus vnde sumit & motus, eiusdẽ tamen est animæ quædã sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab exterioribus interiora frænare, vt à corporeis cupiditatibus sæpius libera in aula mentis possit diuinæ vacare sapientię, vbi omni strepitu terrenarũ silente curarũ in meditationibus sanctis & in delicijs lętetur æternis. De eleemosyna idẽ D. Leo: Impendatur virtuti, quod subtrahitur voluptati, fiat refectio pauperis, abstinentia ieiunantis; proficiat eleemosynis, quod nõ impenditur mẽsis, tunc enim demũ ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cum abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Est hoc ieiuniũ præcipuus actus abstinentię, abstinentia vero refertur ad cibum moderandum, sobrietas ad potum, illum pręcipuè qui potest inebriare, & mentem à statu suo dimouere; habent rationem cibi, quę pertinent ad corpus nutriendum, vt panis, caro, mel, lac, iusculum, licet sumatur quandoque per modum potus, hic propriè non refertur ad alendum corpus, sed ad cibi digestionem, & sitim restinguendam, pharmaca & medicinæ, esto carnem nutriant, sedent sitim, tamen ad humores euacuandos morbosque pellendos adhibentur; quare ieiunium non postulat ab eis abstinentiam, sed dumtaxat à cibis, idque iuxta regulas ab Ecclesia præscriptas.

Serm 2. de ieiunio 10. mensis.

Serm 3. de ieiunio Pétec.

Dictum est ieiunio quoad fieri potest iungendam orationem, sed quoniam eius quæ mente perficitur, non omnes capaces existunt, commodè legibus Ecclesię moribusque inducta est horarum Canonicarum recitatio, quam si more suo calumniantur hæretici mirum non est, cum laboriosa sit, carni permolesta: Caluinus non sine stomacho queritur, longi etiam prolixique cantûs quasi Dei aures demulceant, assidue resonant in eorum templis. At quanto nostra est iustior querela de Maroti & Bezæ cantilenis lasciuiæ plenissimis, in quas psalmos transformarunt ab omni plebe confusis vociferationi-

In harmonia. Math. 6. v. 7.

Lib. 3. instit. c. 20. rationibus ad ranim vsque decantatis. Iterum Caluinus. Nihil hoc iuuat ad tuendam superstitiosam prorogationem, iterationemq; precum, quam interdictam nobis CHRISTVS voluit, sed quo loco, an quo assiduè orandum præcipit, *oportet semper orare & nunquam deficere*, à ieiunando potest quis excusari per inualetudinem; at non æquè ab orando. Non est prolixius orandum Gentilium more compositis ex industria selectorum verborum formulis, sed attenta meditatione, & cum piorum affectuum vehementiâ Christiano feruore precandum est. Denique Caluinus carpit Rosarij & Breuiarij recitationem; diuinum officium, quod Canonici ac Religiosi noctu diuque celebrant, garrulitatis Deo pueriliter illudentis nomine appellans, qua in re Caluinus non pueriliter, sed viriliter illudit Deo, tot eius blasphemiarum patientissimo, si, non tam corporis quam animi voluptatem quæsiuisset, ex S. Augustino didicisset, quàm pura illa & liquida ex Ecclesię psalmis, & canticis hauriatur. Quantum, inquit, fleui, in hymnis & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymę & bene mihi erat cum eis. Item cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuę in primordijs recuperatæ fidei meæ magnam instituti huius vtilitatem agnosco. Alibi ait nos habere ipsius Domini & Apostolorum documenta & exempla cum nempe hymnum à nouissima cæna decantarunt, hymnus laus est Dei cum cantu. Si voluptas est audire cantus & carmina, inquit, Lactantius, Dei laudes & canere & audire iucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est; hæc est non caduca & breuis, vt illæ quas appetunt qui corpori, vt pecudes seruiunt, sed perpetua & sine vlla intermissione delectans, nempè diuini numinis recordatio, & laudum eius decantatio, non potest non esse iucundissima.

Lib. 9. Confess. c. 6. Lib. 10. c. 16. Lib. 6. c. 21.

CAPVT



CAPVT IV.

De abstinentia & sobrietate quæ partes sunt subiectiuæ temperantię.



T proximè dicta compendio repetamus. Cibi famulantur alendo corpori. Potus sunt vehicula ciborum, aut ad digestionem conferunt. Abstinentia moderatur voluptates ciborum, ne præter rationem efferantur ab eaque pręscriptos limites transgrediantur. Sobrietas potuum, præsertim eorum qui possunt inebriare, mentem suis fumis ac vaporibus obscurare, & à recto statu deducere. Medicamenta omnia non tam ad alendum corpus, quàm eius humores purgandos, idoneamque temperiem procurandam referuntur: Et si quidem dięta seruetur, quantitas, qualitasque cibi, potusque certa præscribatur, ad recuperandam aut confirmandam valetudinem, pertinebit & ipsa ad artem medicinæ: sin verò vt honestas rectæ rationis obseruetur, eique congruant interiores animi motus, tum temperantiæ & abstinentiæ virtutis erit officium. Non interest omnino, ait S. August. quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia hominum cum quibus viuit, & pro personæ & valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate & serenitate animi ijs valeat, cum oportet, aut necesse est, carere. Hoc illud est opinor, quod monet Ecclesi. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, in multis enim escis*

S. Tho. 2. 2. q. 146. artic. 1. & 2.

Lib. 2. qq. Euang. ca. 11.

Eccles. 37. v. 33 & 34.

Lib. 3. instit. c. 20. rationibus ad ranim vſque decantatis. Iterum Caluinus. Nihil hoc iuuat ad tuendam ſuperſtitioſam prorogationem, iterationemq; precum, quam interdictam nobis CHRISTVS voluit, ſed quo loco, an quo aſſiduè orandum præcipit, *oportet ſemper orare & nunquam deficere*, à ieiunando poteſt quis excuſari per inualetudinem; at non æquè ab orando. Non eſt prolixius orandum Gentilium more compoſitis ex induſtria ſelectorum verborum formulis, ſed attenta meditatione, & cum piorum affectuum vehementiâ Chriſtiano feruore precandum eſt. Denique Caluinus carpit Roſarij & Breuiarij recitationem; diuinum officium, quod Canonici ac Religioſi noctu diuque celebrant, garrulitatis Deo pueriliter illudentis nomine appellans, qua in re Caluinus non pueriliter, ſed viriliter illudit Deo, tot eius blaſphemiarum patientiſſimo, ſi, non tam corporis quam animi voluptatem quæſiuiſſet, ex S. Auguſtino didiciſſet, quàm pura illa & liquida ex Eccleſię pſalmis, & canticis hauriatur. Quantum, inquit, fleui, in hymnis & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymę & bene mihi erat cum eis. Item cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuę in primordijs recuperatæ fidei meæ magnam inſtituti huius vtilitatem agnoſco. Alibi ait nos habere ipſius Domini & Apoſtolorum documenta & exempla cum nempe hymnum à nouiſſima cæna decantarunt, hymnus laus eſt Dei cum cantu. Si voluptas eſt audire cantus & carmina, inquit, Lactantius, Dei laudes & canere & audire iucundum ſit. Hæc eſt voluptas vera, quæ comes & ſocia virtutis eſt; hæc eſt non caduca & breuis, vt illæ quas appetunt qui corpori, vt pecudes ſeruiunt, ſed perpetua & ſine vlla intermiſſione delectans, nempè diuini numinis recordatio, & laudum eius decantatio, non poteſt non eſſe iucundiſſima.

Lib. 9. Confeſ. c. 6.

Lib. 10. c. 16.

Lib. 6. c. 21.

CAPVT



CAPVT IV.

De abstinentia & sobrietate quæ partes sunt subiectiuæ temperantię.



T proximè dicta compendio repetamus. Cibi famulantur alendo corpori. Potus sunt vehicula ciborum, aut ad digestionem conferunt. Abstinentia moderatur voluptates ciborum, ne præter rationem efferantur ab eaque prę scriptos limites transgrediantur. Sobrietas potuum, præsertim eorum qui possunt inebriare, mentem suis fumis ac vaporibus obscurare, & à recto statu deducere. Medicamenta omnia non tam ad alendum corpus, quàm eius humores purgandos, idoneamque temperiem procurandam referuntur: Et si quidem dięta seruetur, quantitas, qualitasque cibi, potusque certa præscribatur, ad recuperandam aut confirmandam valetudinem, pertinebit & ipsa ad artem medicinæ: sin verò vt honestas rectæ rationis obseruetur, eique congruant interiores animi motus, tum temperantiæ & abstinentiæ virtutis erit officium. Non interest omnino, ait S. August. quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia hominum cum quibus viuit, & pro personæ & valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate & serenitate animi ijs valeat, cum oportet, aut necesse est, carere. Hoc illud est opinor, quod monet Eccles. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, in multis enim escis*

S. Tho. 2. 2. q. 146. artic. 1. & 2.

Lib. 2. qq. Euang. ca. 11.

Eccles. 37. v. 33 & 34.

escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram, ob exuberantiam humoris colerici, atrę & flauæ bilis, quam gignere solet cruditas varij indigesti cibi. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet vitam.* Etenim natura paucis admodum contenta est, foueri non opprimi debet, vt si lampadi instilles oleum ad flammam nutriendam, sensim & modicè id agendum est, si nimia quadam vi & copia infundas, extingues. Sunt quidem vehementes ciborum delectationes. vt nunc maximè varijs coquorum artificijs ac condimentis apparantur, multosque fallit valetudinis tuendæ ac confirmandæ cura, sed magis eò inuigilandum est & abstinentię maiore studio vacandum vt moderationem eam semper seruemus, quam honestas & recta ratio præscribit.

Ecclef. *Vtere quasi homo frugi*, monet idem Ecclef. *his quæ tibi appo-*
31.v.19 *nuntur, ne cùm manducas multum, odio habearis*: nimium edax & importunus habearis conuiua, cuiusmodi ventripotens extitit Lutherus, cuius summa voluptas, erat comedere bonum panem cum delicato obsonio & bibere bonum vinum. Quod si ciborum delectationes valde sunt vehementes & periculosæ, certè potuum, qui mox arcem mentis impetunt, neque cum aliqua mora & difficultate masticantur, sed citissimè & facillimè hauriuntur; longè & acriores & damnosiores existunt. Quare ad eas moderandas aut penitus repudiandas pręcipua quadam opus est sobrietate, ad quam nos

Ecclef. frequentissimè adhortantur scripturæ, *Sanitas est animæ &*
31.v.37 *corpori sobrius potus, vinum multum potatum irritationem &*
& 34. *iram & ruinas multas facit, amaritudo animæ vinum multum*
Isaiæ 5. *potatum*: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes*
v. 22.
Ephes 5 *ad miscendam ebrietatem! Attendite vobis*, monet CHRISTVS
v. 18. Dominus, *ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrieta-*
1 Cor. *te.* Et Apostolus Paulus, *nolite inebriari vino, in quo est luxu-*
6 v. 10. *ria*, quod rectè quispiam, Lac veneris nuncupauit. *Ebriosi*
Prouerb *regnum Dei non possidebunt; luxuriosa res vinum & tumultuosa*
20. v 1.
21. v. 17 *ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens. Qui diligit*
epulas

epulas in egestate erit, qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Prolixissimè Prouerb. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Et paulò post. *Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui fouea? cui sine caussa vulnera? cui suffussio oculorum? nonne his qui commorantur in vino & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso claui, & dices verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me & ego non sensi, quando euigilabo, & rursus vina reperiam?* Adeo vehemens, importuna est & propè peccandi necessitatem adferens, hæc largius bibendi malè inclita consuetudo, ad eam descriptionem hominis ebriosi pertinet quod Hieronymus habet fusè. Pulchrè quidam non ignobilis orator, cum ebrium de somno describeret excitatum, ait, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, qua sententia, expressit nec mortuum eum fuisse, nec viuum, qualem perspicere erat Lutherum somno vinoque sepultum sua deliria somniantem. Sed ad rem. Si quibus maximè necessaria est sobrietas, ijs est necessaria, qui imbecilli sunt ingenio ac iudicio, & facilè tamen tum ea suauitate potus abripiuntur, tum nimietate dementis arce deijciuntur, vt sunt mulieres, iuuenes, ac senes, rursus quibus ob dignitatis superiorem gradum, in quo sunt collocati, munerisque & functionum præstantiam, & vtilitatem ad aliorum instructionem opus est maximè claro, expedito, & sano iudicio. Quibus periculum est ne potus excessu, mens obscuretur & perturbetur. Vt sunt rursus senes, Episcopi, Principes, Reges, Magistratus, administri rerum publicarum, aut sacramentorum, quibus singularis quædam sobrietas indicitur. Prouerb. 31. ver. 4. *Noli Regibus,*

23. v. 20

Et v. 29 sequentibus.

In ca. 5. ad Gal.

bus, ô Lamuel noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant & obliuiscantur iudicio-
1. Tim. *rum & mutent causam filiorum pauperis: Oportet Episcopum irre-*
3. 23. *prehensibilem esse, sobrium non vinolentum*, eundem Timotheum monet Apostolus hortetur, *mulieres similiter pudicas,*
1. 7. *sobrias esse*, & Titum, *anus non multo vino seruientes, iuuenes similiter hortare vt sobrij sint, senes vt sobrij sint*, omni sanè ętati, omni sexui, ordini ac conditioni hominum, salutaris & necessaria est sobrietas, abstinentiæ copulata. Quis verò ebriosos verbi Dei ministros, sacrarum litterarum interpretes, & ad plebem, vt se iactant præcones eximios, gulę & ebrietati deditos, arcana fidei mysteria vel intelligendo comprehendere, vel edisserendo explicare idoneos existimet mente parum purgata, ciborum ac potuum nubibus obtenebrata? dicebātur orationes Demosthenis elichnum redolere, at Lutheri cæterorumq́ue ministrorum indigestos cibós vini ac cereuisiæ cruditatem eructant, qualis Ennius, talis Luthèrus, non nisi potus ad arma, ad scribendum dicendumue se conferebat, tales plerique ministelli, qui non nisi cibo potuq́ue farti, ac semipoti suggestum conscendunt ad contumelias maiore vi & contentione in Pontificem Pontificiosq́ue euomendas.

CAPVT



CAPVT V.

De gula & ebrietate vitijs contrarijs abstinentiæ & sobrietati, seu continentię quæ moderatur cibum & potum.



GVLA propriè diuiditur in duas species, comessationem & ebrietatem vt apertè patet ex Apostolo. Quoties inordinatè appetitur & sumitur cibus & potus præter præscriptam à recta ratione moderationem, quę tuendę valetudini seruiat, speciatim tamen inhonestas ac turpitudo ratioque peccati grauioris in ebrietate reperitur, quod iudicij ac consilij tollat vsum, ac velut ex homine pecus efficiat irrationale. *Ad Rom. 13 v. 13.*

Vulgo notum est ea peccata carnalia esse quidem fœdissima, non tamen grauissima, cùm ex parte obiecti non attingant bonum diuinum, & ex parte subiecti seu suscipientium magna sit imbecillitas ac pronitas naturæ corruptæ, ac velut indicta necessitas conseruandæ vitæ, vel propagandæ speciei. Accedit quod maxima passim objiciuntur irritamenta earum voluptatum quibus obsistere perquam difficile est.

Gula tum demum censetur peccatum lethale quando auertit hominem ab vltimo fine, quando quis ita captus est delectatione cibi & potus, vt præ ea Deum contemnere, & eius præcepta negligere sit paratus, quando quis in ea voluptate rationem vltimi finis, & summi boni constituit, alioquin dumtaxat est veniale, cùm eius inordinatio in medijs hæret,

&

& non attingit finem. At verò ebrietas ex eo capite est lethalis, quod priuet vsu rationis, & hominem in brutę pecudis statum perducat. Quod si quis ignoret vim vini, nec opinetur ea mediocritate sumptum posse inebriare, à grauiori culpa poterit excusari, secus si aduertat in id periculum se conijcere, neque tamen absistere ac temperare velit. Quo sensu S. Thomas explicat dictum quoddam S. Augustini, ebrietatem esse peccatum lethale si sit assidua, nam tum ignorari non potest vis vini largius potati. At ille sermo non est S. Augustini. Et certum est, si quis vel semel dumtaxat aduertenter immoderato potu se obruat, adimatque sibi rationis vsum, peccare lethaliter. Rectè idem S. Augustinus, ebrietas longè est à me, misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo, excessus in cibis vltra limites temperantiæ, qui tametsi quandoque tantus sit vt vomitu sit releuandus non continet culpam lęthalem dummodo constet sana ratio, & finis vltimus in ea voluptate non statuatur. Effectus, ex ebrietate consecutus si nulla ratione est præuisus nulli culpæ tribuitur, secus si est præuisus, & in causa [illegible] uit euitari, tunc enim in causa censetur voluntarius, [illegible] e D. Augustinus excusat Loth, quidem ab incestu, non tamen ab ebrietate. Culpandus est, inquit, non quantum ille incestus, sed quantum meruit ebrietas.

Serm. de purgatorio. — *10. Cō fess 31.* — *Lib. 22 contra Faustū 44.*

Gulę species enumerantur à S. Gregorio in hunc modum; quinque modis nos gulæ vitium tentat. Primo namque aliquandò indigentiæ tempora præuenit. Secundò, aliquando lautiores cibos quærit. 3. Aliquando, quæ sumenda sunt accuratius præparari appetit. 4. aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. 5. aliquando ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat: quę species continentur hoc versu: *Præproperè lautè, nimis, ardenter, studiose.* Ad substantiam cibi & potûs pertinet lautè, ad qualitatem studiosè, ad quantitatem nimis, ad tempus præproperè, ad modum ardenter. Lautè, cum appetuntur cibi singulares, insoliti,

30. Moral. 27 — *S. Tho. 2 2. qu. 148. ar. 4.*

insoliti, pretiosiores quàm statui conueniat: studiosè, cum in condimentis & modo præparandi exceditur: præproperè, dum præuenitur tempus: ardenter dum non seruatur debitus modus: nimis, dum mensura exceditur; plus comeditur quam natura requirat, qui modus est frequentissimus. His addit similia Mussonius apud Stobæum. Quoties ad sumendum cibum & potionem accedimus non vnius noxę periculum sed plurimarum obijcitur: quæ sint illæ noxæ & peccata mox commemorat: qui nimium edit peccat, qui festinantius, qui non tempore, qui obsonio vltra decorum se contaminat, qui suauiora salubrioribus anteponit; Quinque omnibus ad epulas adeuntibus summâ curâ monet adhibenda; ordinem, mensuram, decorum, honestatis puritatem, moderationem festinationis expertem. Aduersus has omnes species inter alia complura, præstans illud occurrit S. Hieron. documentum. Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas delicijs. Qui CHRISTVM desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere de quam pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit, quod panis & legumina. Habes aduersus Iouinianum libros de contemptu ventris & gutturis pleniùs disserentes. Et illud addo Basilij: ex copioso & opimo alimento fuliginosæ quędam exhalationes densę nubis instar eguntur, quę intercipiunt illustrationem cœlestis doctrinæ natam inseri mentibus nostris infusione Spiritus Sancti. Illud item Cypriani de victu parco & sobrio diuinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore cœlesti sublime iam pectus illecebra sæcularis eneruet, & ne largioribus epulis mens grauata minus ad preces orationis euigilet. Denique & illud Tertulliani: totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum binis intentum, decoquendis iam stercoribus ęstuans præmeditatoriũ efficitur latrinarum, in quo nihil plane tam in proximo supersit, quam ad lasciuiã sapere. Sed ab eodem quoque vitio cumulatè nos dehortantur

Ser. 18.

Ad Paulin de Instit. Monac.

In cap. 1. Isa.

Epist. 8.

Aduersus physicos.

tur execrandæ eius filiæ ab eodem S. Gregorio recensitæ, digne tali parente soboles. Inepta lętitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis, quæ totum hominem penitus eneruent ac labefactent. Ex parte animæ, quoad intellectum hebetudo mentis obscurata ratione per densam velut nebulam ac copiam vaporum ex cibo potuque immoderato. Quoad appetitum & voluntatem inepta lætitia excusso rationis gubernaculo, quoad sermonem & verba multiloquium, quoad gesticulationem, scurrilitas, aut quoad verba superflua, multiloquium, quoad inhonesta scurrilitas; ex parte verò corporis immunditia, de qua Apost. fornicatio omnis est immunditia, quæ omnium est deterrima, vbicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia pro qualitate vitiorum ordo membrorum, Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Hieron. in cap. I. Epist. ad Titum. Breui compendio gulæ damna complectitur Canisius, quid fædius quàm hominem à belluis naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris crapulæ & vinolentię quasi mancipium agit, dum bona dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam denique ipsam abrumpit, eripitque sibi, quod caput est, vitam gratiæ diuinæ sibi eripit, & dignitatem filij & amici Dei vilissima ac breuissima cibi potusq; delectatione commutat, omnium bonorum animi & corporis externorumque fortunæ iacturam facit, vt momentaneę propè voluptatis compendium faciat, dęmoni se & ęternæ morti ac gehennę mancipat. O quàm malè empta voluptas! homo cùm in honore esset Angelis propè par ad Dei conditus imaginem per adoptionis gratiam, amicus & filius non intellexit dignitatē animæ suæ sed ea neglecta ad corporis immoderatam curam se abiecit, & diuino illo ratiocinandi dono abusus est ad voluptates persequendas, quare comparatus est iumentis insipientibus, & similis, imò deterior illis effectus, compu-


Ad Ephes. 6.

computruit in stercore suo, fædarum cupiditatum. Quid quod Epicurei, Lutherani, & Caluiniani non humanæ modo ratiocinationis dono & lumine, verùm & ipsis sacris & diuinis scripturis abutuntur ad hunc gulæ dominatum stabiliendum, abrogato omni ciborum delectu, proculcatisque legibus Ecclesiasticis, quibus indicuntur ieiunia, quos nec minæ futurorum inferni cruciatuum deterrent ab intemperantia, nec promissa cælestis regni præmia prouocant ad continentiæ studium, imò verò non tantùm ipsi voluptates insequuntur, sed omnibus quoque persequendas, omni doctrinæ suæ fallacis arte, ac contentione persuadere nituntur: sed antequam cum ijs certamen ineamus, aperienda nobis via est ac præmunienda, selectis aliquot SS. Patrum sententijs.



CAPVT VI.

Sententiæ aliquod SS. Patrum aduersus gulę & ebrietatis vitium.



PROXIME dictum est, gulosos & ebriosos, brutis pecoribus deteriores esse. Quod præclarè confirmant Sancti Patres: qui & ipsis à malo dæmone obsessis miseriores esse contendunt. Basilius insignem scripsit homiliam in ebrietatem & luxum, ex qua pauca hæc decerpta sunt: Vinum Dei donum ad infirmitatis robur, & sustentationem sapientibus concessum, nunc verò instrumentum incontinentiæ, intemperantibus est factum. Ebrietas dæmon est voluntarius, ex

voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitię mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit, sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit. Non solum peiores sunt brutis, quod mente insaniant ebrij, sed etiam quod sensibus longè infra illa deficere videantur, quod quæso animal, ita visu, auditu ve atque ebrius homo debilitatur? nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò vt domesticis sæpè congrediuntur? nonne vmbras sæpenumero tanquam sulcos aut loca prę-rupta transiliunt? &c. Lymphatus & malo dæmone captus, misericordia quidem dignus, ebrius verò ferè & ipse eadē patiens minimè misericordia dignus, qui spontaneo seruit dæmoni. Quis est qui maledictionem Cain in seipsum transfert? an non qui vino tremit & vacillat per omnem vitam? quid quæso sunt ebrij, quàm gentium idola, oculos habent & non vident, aures habent, & non audiunt, manus paralysi affectas, pedes infirmos ac facilè offendentes? tota homilia foret exscribenda sane ebrij cadauer semiuiuum circumferunt. Addam & hoc salutare monitū ex Basilio. Multos ego aduerti sępe, qui cum alterius cuiusuis generis vitijs laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea, qui autem gulæ morbo tenerentur, aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci se finerent, neminem vidi vnquam qui conualuerit. Non minus copiosè atque eleganter Chrysostomus, nihil gula perniciosius est, nihil ignominiosius, hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, excæcat intellectum, nec sinit vt quidquam perspiciat. Item dęmoni nemo magis amicus est quàm qui delicijs & ebrietate maculatur, hic enim fons, hæc mater, hæc origo vitiorum omnium est. Hac via olim Hebręos in cultum idolorum diabolus iniecit. Hac iniquos amores Sodomitarum inflammauit, hæc enim iniquitas est Sodomę, in copia & multitudine panis luxuriabantur. Hac denique via mille alij

Serm. de abdicat.

Hom. 44. in Ioannē.

gehennæ

gehennæ traditi periere, quid enim deliciarum hæc fæditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, imò etiam suibus multò deteriores. Quantò enim melior asinus ebrioso est, quantò canis præstantior, omnes certè animantes quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt aut comedunt, vltra quàm satis est, etiamsi mille homines cogerent nunquam elabuntur. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini non apud mentis compotes solum, verùm etiam apud vos Iudices, quia nullum brutorum supra mensuram comedere aut bibere cogitis. Natura hæc nostra inferior quæ carne, vitâ, appetitu, sensu, continetur, eadem nobis est cum pecoribus, sed illud interest quod in pecoribus, non est deprauata peccato, & instinctum à Deo inditum semper sequitur, in nobis deprauata peccato, totaque ad seipsam sese referens non ad Deum conditorem abutitur adiuncto lumine rationis & iudicij ad eius instinctus natiui limites transgrediendos, neque modum vllum ac finem statuat voluptatum persequendarum in quibus sępe rationem finis extremi ac summi boni, hoc est, infiniti constituit. Redeq ad Patres: idem Chrysostomus. Sicut nauis oneraria, quę supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata submergitur, ita corporis nostri natura, si plures accepit cibos, quam ferre possit, indigestorum grauitatem non ferens, in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & ipsum onus cum hominibus perdit. Adijciamus vnam è patribus Græcis Isidorum Pelusiotam.

Epist. 39.

Hom. contra Luxur.

An non carnium, & ollarum cupiditas Israëlem in deserto commorantem innumeris tormentis, & tentationibus confecit? An non rabidus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insanus mulierum amor effecit vt Ophni & Phinees sacerdotio, & arcâ, & tribuum imperio, & gloriâ, & honore priuati hostili gladio trucidarentur? An non carnium voracitas ignominiosos sacerdotes Elię tempestate, gladio ac nece dignos reddidit? Ad gulæ reprehensionem pertinent

Ep. ad Mart.

quas deinde Ieiunij laudes attexit. An non ieiunium Niniuitis cum breuem, & celerem mortis ſententiam accepiſſent, vitam attulit? An non ieiunium Danielem eximię virtutis, & adoleſcentes, qui eâ mente præditi erant, de hoſte, tyranno & igne tonante ſuperiores reddidit? An non ieiunium, & vitæ ſanctitas hoc Ioanni prętitit, vt incarnatum Deum baptizaret, vt qui dignam tanto ſacramento puritatem adeptus eſſet? An non ieiunium, & nuditas, & corporis maceratio hoc Paulo attulit vt paradiſi arcanorum auditor eſſet? quid igitur harum rerum imitatione relictâ, malo conſilio deteriora ſequeris? Lutheranum alloquitur, aut Caluiniſtam hoſtem ieiunij, gulę deditum Epicureum, ſed accedant, duo treſue patres Latini.

Ambroſius, paſcitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur, grauiora ſunt his fomenta verborum, vbi caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat, adde corpus omne velut paralyſi diſſolutum, diffluit.

Lib. de vid. & ieiun. c. 9. Omitti non debet Iudith viduæ continentis ac ieiunantis exemplum longè præclariſſimum à S. Ambroſ. propoſitum: his armis munita proceſſit, ieiuna ſe in caſtris alienis prætendit, diuturnis mœroribus & quottidianis roborata ieiunijs, ſæculi oblectamenta non quærens, abſtinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reſeruauit, nec cibo maculata nec adultero, non minus ſeruatę caſtitatis ex hoſtibus reuexit tropheum, quam patriæ liberatę. Non vino ſepultis ſobria vidua gladium abſtulit, manum exſeruit, bellatoris abſcidit caput, per medias hoſtium acies intemerata proceſſit. O quantum nocere poteſt mulieribus ebrietas, quando vina viros ſic ſoluunt, vt caſta ſis ab adultero; hic te nequaquam tentabit, ſi illa non tentent. Si bibiſſet Iudith dormiſſet cum adultero, ſed quia non bibit, haud difficile vicit, eluſit, & omnem Aſſyriorum circumuenit exercitum: vnius mulieris ſobrietas & ieiunium innumeras ebriorum ſtrauit phalanges.

Hierony-

Hieronymus. Esus carnium & potus vini, ventrisque satu- *1. Aduers. Iouinian.*
ritas, seminarium libidinis est, vnde comicus sine Cerere &
Libero, friget venus. Quod si quis existimat & abundantia
ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ,
hoc est, & versari in delicijs & deliciarum vitijs non teneri;
seipsum decipit. Cùm enim ab his remoti sæpe capiamur na-
turæ illecebris, & cogimur ea cupere, quorum copiam non
habemus, quantò magis si circundati retibus voluptatum esse
nos liberos arbitramur. Vinolentia scurrarum est, & comes- *Ep. 83. ad Ocean.*
satorum, venterque mero æstuans, sępe despumat in libidi-
nes, in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate im-
pudicitia est, qui luxuriatur, viuens mortuus est; ergo qui
inebriatur, & mortuus & sepultus est. Noë ad vnius horæ
ebrietatem, nudat femora sua, quæ per sexcentos annos so-
brietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidini
miscet incestum, & quem Sodoma non vicerat, vina vice-
runt. Si quid in me potest esse consilij, si experto creditur, *Ep. 22. ad Eustoch.*
hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa CHRISTI
vinum fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam prima
arma sunt dæmonum. Vinũ & adolescentia duplex est incen-
dium voluptatis, quid oleum flammæ adijcimus? quid arden-
ti corpusculo fomenta igniũ ministramus? non æthnei ignes,
non Vulcania tellus, nõ & olympus tantis ardoribus æstuant,
vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus saginatæ. Infini-
tum sit persequi quæ vnus Hieronymus huius argumenti ha-
bet pręclarè dicta in caput 44. Ezechielis in 5. ad Galatas, 1. *Li. 2. de summo bono. c. 43.*
ad Titum &c. Quæ item D Augustinus integro sermone
231. 232. eleganter ac piè disserit. Vnicum addam Isidori te-
stimonium, ebrietas perturbationem gignit mentis, furo-
rem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat,
vt vbi sit nesciat, vnde etiam & malum non sentitur, quod
per ebrietatem committitur. Ad hęc quid Epicurei? Luthe-
rus quidem nihil Hieronymi, nihil aliorum Patrum auctori-
tate mouetur. Quando nec in cæteris fidei mysterijs mille

Hiero-

Hieronymos, mille Augustinos, vel flocci ęstimet. Ebrietatem autem hymno sacro celebrarit, eamque magnorum virorum & heroum, quorum ipse non infimus, eximiam virtutem esse deprædicet. Caluinus pro more suo semper impudens, pręclaras Sanctorum Patrum de ieiunio sententias, hallucinationis & superstitionis accusare non veretur, quâ in parte, inquit, non in totum excusare audeo veteres, quin & superstitionis quædam semina iecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta tyrannis est grauissima,
L. 4. c. 12. § 19 Epicureis abstinentię ac ieiunij legum impositio. Occurrunt quidem interdum sanę, & prudentes de ieiunio sententiæ, sed postea occurrunt subinde immodicæ ieiunij laudes, quæ ipsum inter pręcipuas virtutes extollunt, & Caluinum apertè redarguunt negantem ieiunium esse actum virtutis abstinentiæ, aut religionis, sed rem mediam indifferentem quocunque fine suscipiatur, in consimili argumento Hieronymum quod virginitatem matrimonio prętulerit, nimis luculentum, inquit, maligni peruersique ingenij specimen edi-
Luc. 21. 34. disse. Quod porro vniuersim monet Dominus. *Attendite vobis ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate*: ad Ecclesiasticos pręcipuè pertinet, quorum nempe conuersatio cœlestis esse debet, qui quotidie populo denuntiant; sursum
Petr. Chrysol in serm. 26. corda. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium; quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis extinguit, dicente Apostolo: *Spiritum nolite extinguere.* Breuiter Salianus: Fœdius inebriatur sobrietatem fronte prętendens. Ad eosdem pertinet quod habet Basilius in illud Isaiæ: *Væ qui potentes estis ad bibendum*: Tibi credita cum sit dispensatio Sacramentorum, sermo sapientiæ, scientiæ vis; errabundus per ora oculosq; mortalium circumfers animam vino immersam, an non iusta ratione te lamentatur Propheta? turpe sane est & indignum hominem initiatum sacris or-
In cap. 2. Michea. dinibus frequentem esse in popinis aut largiori indulgere potationi; atque, vt loquitur Hieronymus, ignominiosam ieiunio-

iuniorũ doctrinã rubentes buccas tumentiaq; ora proferre. Haud dubie irrideat hanc nostram operam Caluinus in sanctorũ Patrum sententijs colligendis. Nihilominus audiat patienter, & eius quoque magister Lutherus illud Tertulliani, Deus tibi venter est, & pulmo templum, & Sacerdos coquus, & Spiritus Sanctus Nidor, & condimenta charismata & ructus propheta vetus est, apud te agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet. Ac ne diutius animis suspensi ac nauseabundi hæreant hi bacchi, Cererisque mystæ paucis de ieiunij laudibus exequamur. *Aduers. Physic.*

CAPVT VII.

De laudibus ieiunij, abstinentiæ & sobrietatis ex auctoritate & dictis Sanctorum Patrum.



AVDATVR ieiunium in primis ab antiquitate, neque enim recens inuentum est, ait Basilius, sed pretiosus thesaurus, à maioribus repositus ac traditus, quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est, reuerere igitur ieiunij canitiem, tam vetus est vt simul cum homine condito ceperit, in paradiso præscriptum est, non edetis ieiunij & abstinentiæ lex est. Idem quoniam non ieiunauimus exulamus à paradiso, ieiunemus igitur vt ad illum post liminio reuertamur, an non vides quomodo Lazarus per ieiunium ingressus est paradisum? &c. Hieronymus, Beatitudo paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari, quamdiu ieiunauit in paradiso fuit, come- *Hom. 1. de ieiunio.*

dit & eiectus est. Nec secunda conscriptio tabularum absque ieiunio potuit impetrari, quod ebrietas perdidit, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti. Breuiter Tertullianus salutem æmulo modo reaccendat inedia.

Laudatur secundo ab exemplis. Origenes profert exemplū CHRISTI Saluatoris, tum Moysis & Eliæ, nec non Danielis & trium puerorum, denique Apostolorum, quos ait ieiunando Euangelij doctrinam mundo commendasse. Eadem habet exempla Hieronymus, Moysis. Heliæ & Domini, & concludit ob ieiuniorum consortia, Dominus noster, Moysem & Heliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria. Non omittendus Baptista, de quo idem Hieronymus, sed ante complura, tum è veteri, tum è nouo testamento colligit exempla & testimonia. E veteri, congregatum Samuel populum in Masphat indicto ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortiorem. Assyriorum impetum & potentiam Sennacherib Ezechiæ Regis lacrymæ, saccus & humiliatio victus fregit, prostrauit, & vicit. E contrario Niniue, imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detorsit, quam & Sodoma placasset & Gomorrha si voluissent agere pœnitentiam, & lacrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio. Achab Rex impijssimus vt sententiam Dei subterfugeret, & euersio domus eius differretur in posteros, ieiunio impetrauit & sacco. Anna vxor Elcanæ inanem cibo ventrem filio meruit implere. Addit Danielem & tres pueros &c. Ex nouo in foribus Euangelij Anna filia Phanuelis vniuira inducitur semperque ieiunans & Dominum Virginem longa castitas, longaque ieiunia suscepere. Præcursor eius & preco Ioannes locustis alitur, & syluestri melle non carnibus, habitatioque deserti & incunabula monachorum talibus inchoantur alimentis, sed & ipse Dominus baptisma suum 40. dierum ieiunio dedicauit, & acriora dæmonia docuit non nisi oratione & ieiunijs posse superari. Cornelius centurio, vt Spiritum

Sanctum

Sanctum acciperet, antequam baptisma, eleemosynis meruit crebrisque ieiunijs. Paulus Apostolus post famem & sitim, & cæteros labores suos pericula latronum, naufragia, solitudines, crebra ieiunia enumerat. Addi possint exempla posteriorum omnibus sęculis sanctorum abstinentiæ ac ieiunijs addictissimorum nisi hæc sat essent ad hæreticorum frontem quanquam perfricta est rubore suffundendam. Tertio laudatur ieiunium quod cibus sit Angelorum, quòd qui eo vtitur, ordinis Angelici censeatur, inquit magnus Athanasius, cui consonant Basilius, homo Angelorum ritu viuens, dum paucissimis contentus est, similitudinem cum illis assequitur, quod si Angelorum cibus vllus est, panis est, quemadmodum ait Propheta, panem Angelorum manducauit homo, non carnes, non vinum, non alia quæ ingenti studio apparantur. Item aliàs, Angeli sunt qui in singulis Ecclesijs describunt & recensent ieiunantium capita. Chrysostomus, ieiunium Angelorum imitatio est, pro nostra virili contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ. Sanè cùm ad Angelicam similitudinem ac dignitatem plurimum conferat integritas ac puritas continentiæ, haud obscurum est quantopere ad eam iuuet adeoque necessaria existat ieiunij abstinentia. Cùm duplici parte constemus sibi aduersa ac repugnante naturâ, quarum altera terrestris de terra sumpta deorsum in terram vergat, altera cælestis ex Dei insufflatione, Angelis cognata cælum petat, quantum vni parti virium ac roboris additur, tantum alteri detrahitur, vt in staterâ, quantum lanx vna deprimitur, tantum erigitur altera. Quare si per abstinentiam & ieiunium, pars illa terrestris, quę cum brutis nobis est communis, imminuitur & infirmatur, tantum altera spiritualis cęlestis, qua ad Angelos Deumque proximè accedimus, augeatur ac roboretur oportet, qua similitudine vtitur Basilius allegans illud Apostoli, quantò homo exterior corrumpitur, tantò interior renouatur. Sicut qui in acie hinc atque illinc instructa ad conflictum, alteri 2. *Cor.* 4.

 parti

parti fert ſuppetias, facit vt altera vincatur, ita qui carni ſeſe adiungit expugnat ſpiritum, & qui ſtat à ſpiritu, carnem in
Galat. 5 ſeruitutem redigit. *Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur.* Proinde ſi cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio;
2. Cor. 12. hoc eſt enim quod ait Apoſtolus, *cùm infirmor, tunc potens ſum.* Quarto igitur laudatur ieiunium à multiplici vtilitate, quod per illud caro coerceatur, ne præter rectæ rationis ordinem limitemque ſe efferat, mens verò ad ſuo munere defungendum libera & expedita reddatur. Qua de re pleni ſunt Sanctorum Patrum libri. Scripſit Sanctus Auguſtinus tractatum de vtilitate ieiunij; Si caro in terram vergens, onus eſt animę & ſarcina pergrauans præuolantē, quantum quiſq; delectatur ſuperiore vita ſua, tantū deponit de terrena ſarcina ſua, ecce quid agimus ieiunantes. Idem alia ſimilitudine vtitur: Si iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nonne vt ſecurus iter ageres, ferocienti cibaria ſubtraheres, & fame domares, quem freno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt, iter ago in Ieruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excutere, via mea CHRISTVS eſt, ita exultantem non cohibebo ie-
Serm. 2. de ieiunio 10. menſis. iunio? Pulcherrimè S. Leo, quid enim efficacius eſſe poteſt ieiunio, cuius obſeruantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus, ſemper enim virtutis cibus, ieiunium fuit. De abſtinentia denique prodeunt caſtę cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia, & per voluntarias afflictiones, caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.

Cap. 3. Ambroſij liber de Elia & ieiunio totus eſt in commendationem ieiunij. Quid eſt ieiunium niſi ſubſtantia & imago cęleſtis? ieiunium refectio animæ, cibus mentis eſt, Ieiunium vita eſt Angelorum, ieiunium culpę mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt ca-
Cap. 7 Dani. 1. 3. 6. ſtitatis. Hoc ad Deum gradu citius peruenitur. Ieiunium virtutem ignis extinxit, ieiunium ora obſtruxit leonū, ieiunium

maris

maris fluenta solidauit, ieiunium petram soluit in fontes aquarum, virtute ieiunij contra suam naturam & fluctus obriguit & petra inundauit, ieiunium continentiæ Magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis restitutio, caritatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis ieiunium est infirmitatis alleuamentum, alimentum salutis, reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores, augmento gratiæ, similes laudes ieiunij habet Chrysologus, sermone 8. 11. 13. &c.

Exod. 14. 17. Cap. 8. *Iudith. 8.* *Esther. 4.*

Quinto laudatur ieiunium, quod hostibus nostris superiores nos reddat, & de peccato, carne, mundo, dęmone, palmam victoriamque referat, sis hilari animo, inquit Basilius, quod tibi à medico datum est pharmacum efficax, abolendo peccato. Quemadmodum vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus habitans, extinguit enecatque simulatque in animam superuenerit ieiunium. Item quemadmodum oleum oblinit athletam, ita ieiunium robur addat ei, qui ad pietatem exercet sese quantum subtraxeris carni, tanto reddes animam habitudine spirituali nitidiorem, ac plane fortiorem, ad eius insultus omnes comprimendos. Sara vt est in libro Tobię per ieiunium à dæmonio liberatur. CHRISTVS contra dęmonem pugnaturus, longo se ieiunio armauit, vt loquitur Ambrosius; Et, ait, genus quoddam esse dæmoniorum quod non nisi ieiunio & oratione superetur. Vide quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunio valeant, quod Apostoli nequiuerunt. Vides quid faciat ieiunium, morbos sanat, distillationes exsiccat, dęmones fugat, prauas cogitationes expellit, cor mundum efficit. Sed quod caput est, quisquis ab immundo spiritu vexatur, certum debet habere, hoc pharmaco, ieiunio inquam, statim spiritus malos affli-

Tob. 3. *Ep. 82.* *Matth. 17. 12.* *Serm. 65. de tempore.* *Athanas. de virgin.*

ctos abscedere, vim ieiunij metuentes. Valde enim dæmones oblectantur crapula & ebrietate & otio corporis. Magna vis in ieiunijs, magna & pręclara fiunt per illud. Denique Cyprianus vel auctor de ieiunio & tentatione CHRISTI, ieiunijs vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentię languent, fugitiuę abeunt voluptates, ieiunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, appetitus distringit & ligat. Quotquot viros virtutum legimus sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia pręcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt; ieiunijs incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijsque carni hærentibus supplices beneficia postularunt. Quibus verbis planè iugulantur, hæretici nostrates Epicuræi, qui & Iouiniani sunt discipuli, quos redarguebat Ambrosius. Audio homines qui dicunt, nullum *Epist. 82.* esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes ęstimari pretio, delirare eos, qui ieiunijs castigent carnem suam, vt menti subditam faciant. Quæ laudes omnes ieiunij conueniunt abstinentiæ, cuius præcipuus actus est ieiunium & quæ moderata nunquam planè explens esuriem, quoddam ieiunium continuum censeri debet. Illud autem exploratum habetur non posse cæteras virtutes acquiri neglecta temperantia & abstinentia, & hanc omnium esse primam pugnam atque victoriam, quæ de *30. Moral cap. 26.* gula reportetur. Quod astruit D. Gregorius, nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiua deuicerit, incassum contra exteriores inimicos in campo bellum *4. Reg. 25.* geritur, si intra ipsa vrbis mænia ciuis insidians habetur. *Isid. lib. 2. de sū mo bono.* Accommodat & illud de Nabuzardam: Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem. Quia virtutes animę dum non restringitur venter perdit. Breuiter Isidorus: nemo potest virtutum

virtutum perfectionem attingere, nisi prius edomuerit ingluuiem.

His sanctorum Patrum præmuniti sententijs, descendamus in aciem & cum hæreticis pugnam ineamus, ab eorum calumnia ducamus initium, quam eorundem Patrum armis ac monumentis perfacile deijciemus. Cassianus lib. 5. c. 16.



CAPVT VIII.

Calumnia Hæreticorum, quæ Catholicis imponunt quosdam cibos esse naturâ immundos.



CERTISSIMVM est in Ecclesia Catholicâ nullos esse cibos immundos, neque natura ac conditione sua, quemadmodum apud Manichæos aliosúe Hæreticos, neque significatione & opinione, quemadmodum apud Iudæos abrogata lege cæremoniali, nec vllus reperietur interpres, siue vetustior siue recentior Orthodoxus, qui locum Apostoli 1. ad Timoth. 4. *Prohibentium nubere & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum &c.* explicet, & non disertè condemnet vetustas hæreses primis Apostolorum temporibus exortas, Simonis Magi, Ebionis Saturnini & gregalium, ab ijsque longissimè distare sensum Ecclesiæ quosdamquandoque cibos inhibentis, apertissimè demonstret, quæ tamen hæreticorum impudentia est, audent eam hæresim Ecclesiæ per calumniam imponere, alios ipsi secuti, vetustos hæreticos, qui cibos idolis immolatos promiscuè vsurpabant, nec inhiberi

inhiberi posse ab Ecclesia censebant, ipsum imprimis ducem Iouinianum pridem à Sanctis Patribus, Ambrosio, Hieronymo & Augustino, confossum, nihil prodesse ieiunia vel à cibis aliquibus abstinentiā, sed proximus Lutheri & Caluini Dux & Antesignanus extitit Erasmus, & ipse quoq; alijs nominibus, inter Epicureos recēsendus, paulatim, inquit, irrepsit cōsuetudo, quæ diē Veneris pisculentū nobis reddidit, deinde vbi hoc successit, adiuncta est, & Sabbati dies, nunc etiā Mercurij periclitatur, ob idque genus obseruatiunculas videmus homines affligi & deniq; mori. Sibiq; Christianos videri cum sint Iudæi, quot Erasmi dicta tot errata, totque mendacia, cum ab exordio nascentis Ecclesiæ, ieiunium 4. & 6. feriæ viguerit, & feriæ 4. non diu post in sabbati commutatum, nec sit periculum vllum inualetudinis ab abstinentia, verùm ab intemperantia & crapula. Neque propterea Iudæi censemur, si ieiunia quædam aliasque cæremonias à synagoga in Ecclesiam traductas obseruemus. Quemadmodum neque gentiles sumus, si quædam à gentilibus obseruata instinctu quodam naturæ communis vsurpemus. Caluinus Lutherum secutus acriter inuehitur in leges Ecclesiasticas, quibus inhibetur vsus carnium quasi hominem contaminaret, Melancthon & alij locum Apostoli producunt, & doctrinam Ecclesię, doctrinam dæmoniorum appellare non verentur. Argumentantur vt Philosophicè loquar à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quia prohibet Ecclesia quibusdam voto alligatis nuptias, volunt eas absolutè damnare: quia prohibet quibusdam diebus quorundam animalium carnes, volunt illas simpliciter & absolute damnare, velut immundas; cum tamen multæ subesse possint causę, ob quas res alioqui licitas, medias & indifferentes prohibere queat, vt cibos quamuis mundos, vtiles & salutares, continentiæ & pœnitentiæ studio; si medicis corporis licet præscribere abstinentiam à carnibus & vino febricitantibus, cur non & Ecclesiæ Matri & spiritalibus medicis id liceat, si tanti est corporis quanti esse debet

Lutherus de libertate Christiana. Caluinus 4. instit. c. 12. §. 11. in confessione Augustana.

debet animi valetudo? Si Ecclesia carnes animalium censeret immundas non earum vsum extra certos dies 40. & ieiuniorum promiscuè permitteret, & in 40. ijs qui medicorum iudicio illis indigent ad tuendam aut recuperandam valetudinem. Veteres illi hæretici Ebionitæ, Tacianitæ, Manichęi, Priscillianistæ non solùm carnes volucrum & pecorum, sed etiam piscium detestabantur, at Ecclesia quocunque ieiunij tempore, piscium carnes vsurpat, aut certè non vetat vsurpari, ab ijs quibus arriserint. Manichæi non modò carnes, sed & vinum censebant immundum, quos secutus est Mahumetus in Alcorano, suis inhibens vinum, suffocatum, & à lupo tactum, non ego, inquit Augustinus, immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis, quod multis exemplis confirmat, & alibi, non propter porcum, sed propter pomum primus homo vitam perdidit, & primatum suum Esau non propter gallinam, sed propter lenticulam. Itaque sanctis Patribus habenda fides qui non ex ea causa, quod sint immundi, sed longè alia cibos quosdam, vetari & euitari testificantur. Idem Augustinus contra Faustum. Christiani non hęretici, sed Catholici edomandi corporis caussa, propter animam in orationibus humiliandam, non quod illa immunda esse credant, non solùm à carnibus verum etiam à quibusdam terrę fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus sicut per 40. ferè omnes, quanto magis quisque vel minus seu potuerit, seu voluerit. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes diabolus operetur fæculentiore materia mali, & per hoc eas tanquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes abijcitis. Item si de porco & agno requiratur, vtrumque natura mundum est, quadam verò significatione agnus mundus, porcus immundus est. Quo ait significari hominem stultum, quia sicut porcus non ruminat, ita ille de verbis sapientiæ quæ accedunt postea non cogitat. Adde & hominem Epi-

Cap. 5. & 12.

10 Cōfess 15.

Tractatu 57.

Lib. 3. c. 5.

Lib. 6. c. 7.

cureum, qui in luto & cæno voluptatum perpetuò volutetur. Hieronymus 2. aduersus Iouinianum; reprobat quidem Apostolus eos qui prohibebant nuptias & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione, sed Martionem designat & Tacianum qui abstinentiam indicunt perpetuam ad destruenda, contemnenda, & abominanda opera Creatoris, nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem saginæ & abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Ibidem Catholicos ait abstinere cõtinentiæ gratia, quia carnis esus, seminarium est libidinis, atque vt Epicureos magis confundat, ex Cheremone Stoico refert, veteres Ægypti sacerdotes non carnibus tantum, sed & ouis lacteque solitos abstinere. Et vocare quidem ouum carnes liquidas, lac verò sanguinem colore mutato. Ex quo colligere est, caseum, butyrum, cætera lacticinia, ad carnes accedere, nec sine causa in ieiunijs austerioribus interdici. Basilius, vbi multa in constitutionibus monasticis de certorum ciborum abstinentia tradidit, mox, subiungit, neque enim ab his propterea abstinemus, quod Iudæorum ritibus faueamus, sed vt deliciarum saturitatem fugiamus, & ad Amphilochium, dignitate quidem olera nobis carnes sunt. Cyrillus Hierosolymitanus: Ieiunamus à vino & carnibus abstinentes, non quod oderimus hæc tanquam abominationes aliquas, sed quod mercedem expectamus, vt cùm ea quæ sub sensum cadunt neglexerimus, fruamur spiritali mensa, quæ sola potest mente comprehendi, & vt nunc seminantes in lacrymis in futuro sæculo cum exultatione metamus. Bernardus aduersus sui temporis hæreticos Apostolicos. Hinc quoque se hæreticos probantes, non sanè quia abstinent, sed quia hæreticè abstinent, nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea, satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum quod castigat corpus suum & in seruitutem redigit, abstineo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtor, iuxta cõsilium,

filium, Pauli, abstineo à carnibus nedum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia, panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre, stare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi propheta quia panem meum comederim in saturitate, sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio sanè ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis. Hæreticus aliter, nempe horret lac & quidquid ex eo conficitur, postremò omne quod ex coitu procreatur. Rectè & Christianè si non idcirco quia ex coitu, sed ne ad coitum prouocent. Triplicem omnino scholam distinguit Bernardus, medicorum corporis vnam, quam non condemnat ieiunantium ad moderatam corporis & valetudinis curam, alteram abstinentium seu spiritualium medicorum ad virtutem animi comparandam, carnem edomandam, frenandam libidinem, quàm maximè approbat; tertiam denique Manichæorum præscribentium beneficentiæ Dei, quam vt insanam, ingratam, blasphemamque execratur, quartam adijcere potuit, prioribus aduersam, non ieiunantium Epicureorum leges omnes de delectu & abstinentia ciborum planè repudiantium, ad carni libidinique licentius indulgendum, semper in extremis versantur hæreses, mediâ viâ incedit veritas orthodoxa. Egregius, si superis placet, examinator Tridentini Kemnitius, contendit orthodoxos in eodem luto cum veteribus hæreticis hęrere, quod Ecclesia consueuit carnes benedicere, & petere vt ab ijs diaboli vis ac potestas arceatur. Quasi benedictiones Ecclesiæ non & cæteris omnino cibis & piscibus & fructibus & pani & vino consuerint impendi. Laudat idem Ecclesiæ veteris morem in precationibus illis vsurpandis, oculi omnium in te sperant Domine. Edent pauperes &c. Confiteantur &c. quasi & illę modò non sint in vsu quotidiano in mensæ benedictione & gratiarum actione. Atque vt illi firmius inhæreant memoriæ, commendet versiculos cuiusdam eius eloquentia non indigni versificatoris.

Confiteantur, amo, qui canam vespere, clamo.
Odi memoriam, quia tollit vespere canam.
Bis oculi comedent, tantum semel edent.



CAPVT IX.

Delectum ciborum & abstinentiam à carnibus rem esse vetustissimam à primo mundi exordio.

Gen. 2. vers. 14.



MNIVM legum prima lex, lata est in paradiso de abstinentia cum primis parentibus inhibuit Deus, ne de ligno scientię boni & mali comederent. Non quod arbor interdicta foret mala, sed ad illorum obedientiam experiendam atque exercendam, cuius legis transgressio seuerissimè à Deo vindicata est, nosque iam omnes miserandi primorum parentum posteri, quotidie pœnas exoluimus, istius intemperantiæ; tot incommodis, famis, sitis, frigoris, æstus, morborum, expositi ac denique morti certissimæ in prædam traditi. Beatitudo paradisi, absque abstinentia cibi non potuit dedicari, vt aliàs dictum est ex D. Hieronymo, qui & illud adijcit; & tamen erectus non protinus accepit licentiam carnium vescẽdarum sed tantum poma arborum, & fruges segetum, & herbarum olera ei traduntur in cibum, vt exul quoque paradisi, non carnibus quæ in paradiso non erant, sed similitudine frugum paradisi vesceretur. Cùm natiua vigeret tum corporum complexio, & temperies humorum optimè esset ordinata, sat erat ad valetudinem vitamque tuendam copia frugum: carnium verò alimentum minus congruum

gruum extitisset, quarum demum à diluuio vescendarum videtur communiter facta esse facultas. Ambigitur tamen an nullus fuerit earum vsus ante diluuium, non enim erat inhibitus, & laudatur Abel, quod de gregis sui primogenitis eorumque adipibus, liberaliter obtulerit Deo fortè non tantum in holocaustum, verùm & in aliud genus sacrificij pacifici, aut pro peccato, vt tum carnes in epulum sacrum cessisse potuerint. Quo etiam pertinet quod Noe ex animantibus immundis bina tantum, ex mundis autem sextena in arcam induxerit, non tantùm sacrificij, verùm & alimenti causa. Denique luxus insignis, quem Dominus notat ante diluuiũ, esum carnium iam tum vsurpatum fuisse significat, si non passim ab omnibus, certè ab impijs & deprauatis, Epicureo more vitam agentibus; cùm communiter tamen & publicè non videtur fuisse vsurpatus ante diluuium, certè non à probis ac pijs paulo religiosioribus, quales erant posteri Seth, quia vulgo nondum erat concessus earum vsus, vti post diluuium, cum accisæ essent corporis vires, & ipsa natura facta imbecillior, excepto tamen ait Dominus, *quod carnem cum sanguine non comedetis*, id est, prefocatam vel crudam, ac sanie stillantem, abhorrente natura. Quæ lex de sanguine & suffocato ab hac secunda mundi ætate in legem Mosaïcam ac deinde Euangelicam perducta diutissimè perseuerauit, hodieque perseuerare dicitur apud Græcos, Armenos, eorumque vicinos; Iam verò lege Mosaïcâ, prohibentur quamplurima, tanquam immunda non reipsa & natura suâ, sed significatione ad morum instructionem, & tacitam quandam virtutis institutionem. De quibus consuli potest S. Thomas, multoque maluissent Iudei vel acerbissimam subire mortem, quàm suillam attingere carnem, aut ab eiusmodi patrijs legibus minimum desciscere. Quod illustria senis Eleazari & Machabæorum septem fratrum Martyria demonstrant. Laudantur quoque ab Ieremia Rechabitæ, qui patris sui præceptum de abstinentia vini constantissimè semper obseruarunt,

Gen. 9. vers. 4.

1. 2. q. 102. ar. 6.

2. *Machab* 7.

Ieremiæ 35. v. 6 non aliâ de causa, quàm *quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum*, quorum obedientiam Deus, propagata diutissimè stirpe sibi non ingratam esse demonstrauit. Nazaræis & tabernaculo deseruientibus, inhibitus quoque erat vsus vini, de Sampsonis Nazaræi prædicto conceptu & dedicatione diuinitus ab Angelo præscripta nota est historia. Iudicũ 13. *Vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo.* In præcipua Danielis & sociorum eius laude ponitur, quod regio cibo ac potu neglecto solis leguminibus & aqua victitare præelegerint. Non solùm vitandæ omnis superstitionis causa, sed etiam pœnitentiæ & arctioris abstinentiæ Deo non ingratę studio, quare non tantùm specie ac forma corporis supra coætaneos elegantiore, verùm & animo cælitus infusa scientia ac sapientia decuplo supra cunctos ariolos & magos cohonestati sunt. Tantum certè diuinitus, abstinendo sapientiam assecuti sunt quantam nullo vnquam studio sibi parare potuissent humanitus. De hac eadem abstinentia sua, Daniel confitetur, in Dan. 10. ver. 3. diebus illis: *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non intrauerunt in os meum.* Tobiæ 1. Consimilis fuit abstinentia S. Tobiæ à cibis gentilium, etenim *cùm per captiuitatem deuenisset cum vxore sua & filio in ciuitatem Niniuem cum omni tribu sua (cùm omnes ederent ex cibis gentilium) iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum, & quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Dominus Deus gratiam in conspectu Salmanazar Regis*, en quam grata quoque Deo acciderit hæc Tobiæ abstinentia, cui & Triduanum Saræ eius nurus ieiunium perplacuit. De Essenis refert Hieronymus, ex Iosepho qui miris illos effert laudibus, quod & ab vxoribus & vino & carnibus semper abstinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. 2. in Iouinian. Sed pergamus ex eodem Hieronymo ex profana quoque historiâ vetustatem abstinentię carnium comprobare. Dicęarchus in libris antiquitatum, & descriptione

ne

ne Gręciæ refert sub Saturno, idest, in aureo sæculo cùm omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus & pomis quę sponte terra gignebat. Persarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat polenta & cardamo & sale, ac pane cibario eos asserens victitare. Lacedæmoniorum mensæ frugalitatisque & supra scriptus Xenophon & Theophrastus & omnes pene scriptores Græcię testes sunt. Theręmon Stoicus vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotijs curisque postpositis semper in templo fuerunt, & rerum naturas, causasque ac rationes siderum contemplati sint nunquam mulieribus se miscuerunt, nunquam cognatos & propinquos ne liberos quidem viderint, ex eo tempore quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem & vertiginem capitis, quam ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis qui ex his cibis & ex hac potione nascuntur, pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tusum pariter Hyssopum sumebant in cibo vt escam grauiorem illius calore decoquerent, oleum tantum in oleribus nouerant & vinum & ipsum panem parum propter nauseam & asperitatem gustus leniendam &c. Euanthes Cyzicenus & Asclepiades Cyprius ætate qua Pygmaleon in Oriente regnabat, scribunt esum carnium non fuisse. Eubulus quoque qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera Magorum, quorum primos qui sint doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere nihil amplius in cibo sumere; apud Eleusinam etiam volucribus & piscibus & quibusdam pomis abstinere solemne est, Bardesanes vir Babylonius in duo dogmata apud Indos gymnosophistas diuidit, quorum alterum appellat Brachmannas, alterum Samanæos qui tantæ continentiæ sint, vt vel pomis arborum, iuxta Gangem fluuium, vel publico orizæ, vel farinæ alantur cibo, plura alia adijcit

2. Aduersus Iouinianũ.

adijcit Hieronymus exempla Prophetarum Iouis in creta Orphei qui carmine suo esum carnium detestatur. Pythagoræ, Socratis, Antisthenis, & omnium famosissimi Diogenis, ad confusionem, inquit, nostram vt formosuli nostri & torosuli & vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt & syllogismi in calcibus, qui paupertatem Apostolorum & crucis duritiam, aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem gentium parcitatem. Nihil accommodatius dici potuit ad Epicureos nisi perfrictæ frontis essent coarguendos. Cæterum CHRISTVS Dominus cuius exemplo cum Iouiniano se tutantur, tametsi conuiua publicanorum & peccatorum esse non abnueret, appositisq; cibis passim vesceretur, ac vini potator haberetur, tamen vnicum fuit abstinentiæ singulare exemplar, ac Mosaicam legem de ciborum delectu semper obseruauit, neque mox abrogandam censuit, quoad Euangelium foret toto orbe disseminandum. Apostolus Petrus se quoque ab immundorum

Act.10. 14. esu abhorruisse, & abhorrere testatur cùm ait, *absit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Apostolus Paulus videtur quoque abstinuisse à vino & cibis Mosaicâ lege prohibitis, quod postera die qua Hierosolymam ex Asia venit, & Iacobi consilio purificationem expleuit in templo, donec offerretur pro eo; Atqui lege cautum erat ante eam oblationem abstinerent à vino & caput raderent, idque tempus abstinendi minimè expressum lege, Iosephus ait fuisse 30. dierum. Verum Euangelica lege promulgata, postmodum cessauit omnino lex Mosaica cæremonialis, & hæc à certis cibis lege immundis abstinentia repudiata est, legitima tamen ac iustissima causa à carnibus abstinendi semper habita fratris infirmi scandalum, quo in euentu, ait A-

Rom.14 v.21. 1. Ad Corint 8 v.13. postolus: *Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur. Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Videant

igitur

igitur Caluinistæ quod efficiantur scandalorum rei ipso monente Caluino, qui diebus veneris, alijsque ieiuniorum & quadragesimę inhibitis, gloriæ sibi ducunt vesci carnibus in oculis Christianorũ in odium & despectũ Religionis orthodoxæ, non modò nihil ęstimantes eorum scandala, sed irridentes & prouocantes ad eandem inobedientiam. Videant quàm longè ab Apostoli mente ac sententia dissidentes aberrant. Sanè primis Ecclesiæ temporibus, tam frequens & vsitata videtur abstinentia fuisse carnium, vt non pauci vel inscitia, vel simplicitate, si quem vesci carnibus viderent, scandalum paterentur; quibus infirmioribus consulendum censuit Apostolus.



CAPVT X.

A primo Ecclesiæ exortu abstinentiam à carnibus delectumque ciborum viguisse.



VT caput hoc cum prioribus connectamus ab Isidori testimonio & verbis initium ducemus. Postquam CHRISTVS, qui est principium & finis apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apostolum suum, *bonum est non manducare carnem & non bibere vinum*, & iterum, *qui infirmus est, olus manducet*. Non igitur carnes, quia malę sunt ideo prohibentur, sed quia illarum

L.1.Officio. c. 44.

Rom 14 v.21.

Rom.14 v.2.

epulæ carnis luxuriam gignunt, fomes enim & nutrimentum omnium vitiorum sunt. D. Ioannes Baptista prodromus Euangelij, locustis & melle syluestri dumtaxat alitus in deserto, non à carnibus tantùm & vino, sed ab omni propè cibo & potu narratur abstinuisse, vt de eo dixerit Dominus: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens*, hinc singularis continentię præcipuo ~~cuidam~~ exemplari proprium debetur caput aduersus Hæreticos qui summam eius abstinentiam in Epicuręum luxum commutare nituntur. D. Petrus Apostolorum Princeps nihil aliud sumebat in cibum nisi lupinos minuto asse veneuntes, si fidem habemus Nazianzeno. D. Iacobus à carnibus & vino per omnem vitam se temperabat teste Eusebio. D. Matthęus oleribus, baccis & similibus famen leuabat non carnibus, vt auctor est Clemens Alexandrinus. Timotheus non consuerat vinum bibere quandoquidem præcipit illi Apostolus conualescenti: *Noli adhuc aquam bibere, sed vtere modico vino propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates*, ostendit eum aquam ante potasse, & modicum vinum non concedere, nisi crebræ infirmitates & continens stomachi dolor exegissent, vt obseruat Hieronymus. Primi illi Christiani, à Sancto Marco apud Alexandriam instituti, non solùm à carnibus & vino, verùm etiam à cęteris omnibus quæ à carne trahunt originem, vel cum carne cognationem habent, abstinuisse referuntur à Philone, Eusebio, Epiphanio & Hieronymo. Potus illis erat aqua sola, obsonium panis cum sale & hyssopo, & ad vesperam dumtaxat se reficiebant. Galliæ martyres apud Eusebium obiectam à gentilibus calumniam de esu carnium humanarum, refellunt. Quomodo, inquiunt, carnibus humanis vescantur, qui nequidem carnes animalium degustare consueuerunt. De S. Antonio, Magnus Athanasius narrat nonnunquam biduo, triduoue ieiunum permansisse, sumebat verò panem & sal, potumque aquę perparum. De carnibus verò & vino tacere melius puto, quàm quidquam dicere, quando nec apud plurimos

Matth. 11 v. 18. *Oratione de pauperũ amore.* *Euseb. 2. histo. c. 23.* *Et 2. aduers. Iouin.* *1. Tim. 5. v. 23.* *Lib. de beata vita.* *Lib. 2. cap. 17.* *Hæres. 20.* *de viris illustribus.*

hiuc

plurimos Monachorum istiusmodi aliquid reperitur. Tertul- *Lib. de*
lianus, arguunt nos quod ieiunia custodiamus, quod statio- *ieiun.*
nes plerique in vesperam producamus, quod etiam xeropha-
gias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni *De re-*
virulentia & viridioribus quibusque pomis nequid vinosita- *resurre-*
tis, vel edamus vel potemus. Item, nam & sacrificia Deo *ctione*
grata, conflictationes dico animæ, ieiunia & feras & aridas *carnis.*
escas & appendices huius officij sordes caro de suo proprio
incommodo instaurat. Epiphanius in compendiaria doctri-
na, sunt præterea aliæ præeminentes vitæ conuersationes,
quæ in eadem sancta Ecclesia Catholica seruantur, eorum,
inquam, qui ab omnibus carnibus abstinent, quadrupedi-
busque & volatilibus ac piscibus, ouis item ac caseo, & alia
diuersa vitæ instituta. Nam vnusquisque secundum pro-
prium laborem, accipiet mercedem, & quidam sanè ab-
stinent ab his omnibus, alij verò à quadrupedibus solùm, alij
à volucribus, vtuntur autem ouis & piscibus &c. Imò verò
quidam à pane abstinent, alij ab arborum fructibus duris ac
nucibus, & à coctis. De coctis cibis cùm pœnitentiæ suæ
meminit Hieronymus. De cibis, inquit, & potu taceo,
cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum ali-
quid accepisse, luxuria sit, sed planè commemoranda est
cænobitarum quos mirificè deprædicat consuetudo; in hac
communi carnium abstinentia manent separati, sed iuncti
cellis vsque ad horam nonam, post horam nonam in com-
mune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex
more, post hæc concilium soluitur, & vnaquæque decuria
cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas
hebdomadas vicissim ministrant, nullus in cibo strepitus est,
nemo comedens loquitur, viuitur pane, leguminibus & ole-
ribus, quæ sale solo condiuntur. Vinum tantùm senes acci-
5 piunt, quibus & paruuli sæpe fit prandium, vt aliorum fessa
sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Ieiunium
totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola

conceditur districtius viuere à Pascha in Pentecosten cænæ mutantur in prandia quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. De eisdem cænobitis S. Augustinus libro de moribus Ecclesiæ, conueniunt autem diei tempore extremo, de suis quisque habitaculis dum adhuc ieiuni sunt ad audiendum illum patrem, & conueniũt ad singulos patres terna vt minimum hominum millia, nam multo etiam numerosiores sub eodem degunt, audiunt autem incredibili studio, &c. Corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est, coercente vnoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa quæ præsto sunt, parca & vilissima, ita non solùm à carnibus & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab ijs etiam quæ tanto concitatiùs ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur, allegat hæc eadem fusè Caluinus, sed ne calumnietur Papisticos Monachos toto cęlo à veteribus differre, aduertat hodieque hanc omni laude dignam à carnibus abstinentiam plurimos sacros ordines Religiosos obseruare, in quibus eminent Carthusiani & Minimorum S. Francisci de Paula, imò olim generatim omnes S. Benedicti, S. Bernardi, S. Dominici, Religiosi illam exactè seruabant, vt tanquam præcipuum quoddam instituti Religiosi monumentum à primo sui exortu arripuerint, & hactenus summa cura, quidam etiam interposita voti solemnis Religione conseruarunt. Nemini religioso non maximè probatur illud Hieronymi: Si autẽ Milonis Crottoniatæ vires olera non ministrant, quæ nascuntur & aluntur carnibus; quid necesse est viro sapiẽti & philosopho CHRISTI tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus necessaria est? quam cum habuerit, ad vitia prouocetur. Illi arbitrentur carnes sanitati congruas qui volunt abuti libidine, & in cœnum demersi voluptatum ad coitum semper exæstuant. Christiano sanitas absque viribus nimijs est necessaria. Tum vero & illud placet vehementer quod ex Hieronymo Caluinus


nus ipse obseruat, sed non absque mendacio & calumnia in nostros intorquet Religiosos, quos tamen alibi ait, non secus ac porcos in haris saginari. Sic autem monet Hieronymus Nepotianum, euitet nimis exquisita ac propè superstitiosa quorundam qui in altero velut extremo versantur ieiunia, tantum tibi modum ieiuniorum impone, quantum ferre potes, sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia, quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quęrere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia, tota hortorum cultura vehatur, vt cibario non vescamur pane, & dum delicias sectamur, à regno cęlorum retrahimur, audio præterea quosdam contra rerum hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera, betarumque succum non calice sorbere, sed concha. Proh pudor! non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis, insuper & famam abstinentię in delicijs quærimus, fortissimum ieiunium est aqua & panis, sed quia gloriam non habet & omnes pane & aquâ viuimus quasi publicum & commune ieiunium non putatur. Sed commodè iam explicandum sequitur, quæ ad rationem ieiunij Ecclesiastici requirantur.





CAPVT XI.

Explicantur tres conditiones Ecclesiastici ieiunij.



IEIVNIVM Ecclesiasticum, præcipuus ac potissimus actus abstinentiæ Christianæ, tribus constat partibus aut rebus. Vnicâ refectione, hora tardiore, & abstinentia à certis cibis, vt animalium carnibus &c. Primum requiritur, vt qui ieiunat semel dumtaxat ea die cibum sumat, deinde vt tardius ea refectio vnica sit cæna non prandium, denique delectus habeatur ciborum & non promiscuè quibusuis vtatur, quas tres conditiones videtur Tertullianus auctor antiquissimus indicasse, dum ieiunium Ecclesiasticum sublato, diminuto, demorato, cibo breuiter describit: abstinentiam à carnibus, ouis & lacticinijs in quadragesima indicat illud, sublato, refectionis vnitatem diminuto, denique prandij cum cæna commutationem, demorato. Videtur consentire Caluinus, qui ieiunium tribus rebus ait perfici, tempore, qualitate, & parsimonia, seu quantitate; sed maximè tamen dissentit, nam per tempus non intelligit certam aliquam horam antequam ieiunium non soluatur, sed vt ieiuni defungamur ijs actionibus, quarum causa instituitur ieiunium, exempli causa, si ob solemnem precationem quis ieiunet vt eo impransus accedat. Per quantitatem non intelligit vnicam refectionem, sed vt solito

lito

lito parcius ac leuius vescamur, tantum ad necessitatem non ad voluptatem. Per qualitatem non abstinentiam alicuius cibi, sed dumtaxat à lautitijs, vt plebæis vilioribusque contenti, delicatis palatum non irritemus, quasi verò extra tempus ieiunij id vnquam liceat, & cibus aliquando ad voluptatem, non dumtaxat ad necessitatem sumendus sit, quî distinguit Caluinus ieiunium speciale à generali quod toto vitæ decursu homines pij sua frugalitate ac sobrietate repręsentant, tum verò Caluinus nunquam sibi priuatim, ieiunandum esse censebat vt cui nulla vnquam tentatio, ieiunio subigenda succurreret, sat habebat si ieiunus accederet ad publicam precationem, nec aliquid cupiebat detrahere de necessario victu, sat habebat solito minus comedere, & abstinere à lautitijs, quas illi suppeditabant in orbem amicorum lauta conuiuia. Quæ quidem lautitiæ, cùm sint infinitæ quas ingeniosa quotidie voluptas excogitat, cùm deliciarum exquirendarum nullus sit modus neque finis, sed innumeræ rationes ac viæ quotidie reperiantur an non sunt hęretici risu digni qui volunt Ecclesiam debuisse potius ab his lautitijs inhibere ieiunantes, quàm à carnibus quę sunt in vsu communi, & passim exponuntur venum in macello, omnium tamen alimentorum potentissimæ ad corpus saginandum materiamque veneri suppeditandam. Ieiunant hæretici more Iudæorū ad vesperam fere, tum se omni carnium, piscium, ciborumque genere refarciunt. Eorum vt ordinę retrogrado de singulis dicam, quod attinet ad qualitatem ciborum, aperta est ratio cùm ieiunium sit institutum ad edomandum carnem, eiusque prauæ concupiscentię motus restinguendos aut mitigandos, meritò Ecclesia carnium indixit abstinentiam, quod carnes prę omnibus alimentis maximè carnem corroborent, eiusque concupiscentiam alant, suppeditatâ spermatis materiâ, qua aucta simul & natiuo calore, præcipuè veneri inseruiunt: lautitias inhibere, fuisset infinitum & vanum, cùm sint multitudine ac varietate innumerabiles, ac maxima pars

Christia-

Christianorum ob rei familiaris angustias ab eis arceantur. Vinum quidem non parum inseruit veneri & concupiscentiæ, sed non æque ac carnium copia, exsuscitat vinum calorem ac flammam medullarum, at minimè stabilem ac diuturnam, si desit apta materies generationi, quam carnes suppeditant: Certam verò mensuram ac quantitatem carnium Ecclesia præscribere non potuit nec debuit, nam quod vni parum est, alteri est nimium, & vice versa; nihil igitur potuit ad rationem ieiunij potius præscribere quàm generatim à carnibus abstinentiam in Ecclesia Orientali præscripta quoque fuit abstinentia à vino, sed vniuersim in regionibus præcipuè frigidioribus prescribenda non fuit, deinde multis locis præualet ac præfertur pinguis cereuisia, de pane cibario carne fumo durata, arido caseo, & raucido butyro, quibus hæretici delectantur cùm magna pars fidelium abhorreat, nihil præscribere potuit aut debuit Ecclesia.

2. 2 q. 127 ar. 6. & 7. Secundo quoad quantitatem & vnicam refectionem perquam commoda ratio affertur à S. Thoma, ieiunium institutum est vt natura dometur non destruatur. Id autem fit dum cibum quis bis sumere assuetus, semel dumtaxat sumit, destrueretur, si nihil omnino sumeret, non domaretur si amplius quàm semel sumeret. Huic refectioni hora 9. erat præscripta, qua CHRISTVS expirauit in cruce, vt per ieiunium eius passione ac morte quadam ex parte confirmaremur, quod modo hora 9. sit anticipata, & in sextam meridianam commutata, quodque vespere adijciatur cænula seu collatiuncula, ne potus noceat, ex indulgentia ac permissione fit Ecclesię, quæ imbecillitati & refrigeratæ multorum charitati consulens hanc sensim passa est consuetudinem induci. Cumque modo apud plurimos prandium non vt olim sub meridiem hora sexta, sed maturius tribus ante horis hora tertia sumatur, consequenter diebus ieiunij ad tres horas refectio dilata comperietur.

Tertio quod attinet ad tempus & horam tardiorem, exempla

pla habemus quamplurima in veteri testamento ieiunantium vsque ad vesperam, & hæc fuit Iudæorum Saracenorum cõsuetudo, non ante soluendi ieiunium, quàm in cęlo stellam conspexissent, vt tradunt Hieronymus & Tertullianus. Scribit ibidem Tertullianus iam effectus Montanista physicos, id est, Orthodoxos protrahere ieiunium vsque ad horam 9. suos autem Montanistas Religiosiores vsque ad vesperam, Athanasius Virginem hortatur post communionem hora 9. comedat panem gratias agens Deo, Epiphanius quarta & pro sabbato, ieiunium statutum est vsque ad horam 9. Basilius item: expectas vesperam vt cibum capias; sed totam diem absumis ad tribunalia. Prudentius in hymno post ieiunium:

2. Contra Iouinianum. Libro contra physicos.

Serm. 1. de ieiun.

Nona submissum rotat hora solem
Partibus vix dum tribus euolutis
Quarta deuexo superest in arce.
Portio lucis.
Nos breuis vitæ dape vindicata
Soluimus festum fruimurque mensis.


Idem in hymno beatissimorum Martyrum fructuosi Episcopi &c. Peristephanon.

Quosdam de populo videt Sacerdos,
Libandum sibi poculum offerentes:
Ieiunamus, ait, recuso potum;
Nondum nona diem resignat hora:
Numquam conuiolabo ius dicatum
Nec mors ipsa meum sacrum resoluet.
Sic CHRISTVS *sitiens crucis sub hora*
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens sitim peregit.

Non officit horæ nonæ soluendi ieiunij quod Petrus hora sexta pransurus, ascenderit in cænaculum, nam vt respondet Hieronymus, fortuita esuries, non facit præiudicium ieiuniorum. Fieri potuit, vt vel sabbatum esset, vel Dominicus dies, & post bidui triduiue ieiunium Petrus esuriret

16. hora sexta. S. Augustinus, epistola ad Casulanum, dispu-
tans de ieiunio sabbati, passim accipit, non prandere pro
118. ieiunare, & non ieiunare idem illi est ac prandere. Episto-
la ad Ianuarium, ait horam soluendi ieiunium esse horam
Serm. 3. nonam denique Bernardus de quadragesima, hactenus
vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vespe-
ram, ieiunabunt nobiscum vniuersi Reges & Princi-
pes, Clerus & Populus, Nobiles & ignobiles, simul in
vnum diues & pauper, ex quo non rectè Tertullianus Phy-
sicos ait ad nonam dumtaxat ieiunium produxisse. Quam-
quam, cùm hæc pendeant ab institutione Ecclesiæ, non
semper eadem in omni regione nec omni tempore in qua-
dragesima præsertim hora soluendi ieiunij est obseruata.
Nusquam tamen reperitur habita ratio publicæ orationis,
cætus, aut negotij ante cuius exitum non solueretur ie-
iunium. Si tamdiu ieiunarent Caluiniste, quamdiu dimi-
cant aduersus Orthodoxos, & incertus pugnę pendet exitus,
tota certè vita ieiunarent.

CAPVT





CAPVT XII.

Leges ieiuniorum Ecclesiasticas obligare in conscientia.



APVD orthodoxos in comperto est, ieiunium generatim diuina lege præceptum esse, sed speciatim Ecclesiasticâ lege tempus, modumque eius præscribi, imò quandoque ieiunium esse iuris naturalis, si nequit aliter superari tentatio. Si pro peccatis admissis alia se non offert satisfaciendi ratio, si ad hunc vtrumque finem commodè nec eleemosyna, nec oratio potest adhiberi. Ac reliquum vnum est ieiunium. Scripturas veteris testamenti, quibus ieiunium præcipitur, ad Euangelicam quoque legem pertinere frequenter monet D. Leo, tametsi non ijdem omnino dies ieiunio præscribantur, sed neque desunt noui testamenti complures scripturę, quibus ieiunium commendetur. Ego, inquit Sanctus Augustinus ad Casulanum in Euangelicis & Apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellant testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium, quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat præcepto Domini & Apostolorum non inuenio definitum. Cùm Dominus Matth. 6. præscribit ieiunandi modum plane indicat aliquando esse ieiunandum idque ex Dei mandato, non secus ac cùm præscribit modum orandi & eleemosynam faciendi, Ep. 86.

tæ, obligant in conſcientia, vt diſertè tradit Apoſtolus, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, quanto magis obligant leges Eccleſiaſticę? nam ſæcularis poteſtas eſt quidem à Deo, ſed mediatè per homines ipſos, qui inſtinctu legis naturæ ſibi præficiunt magiſtratus, & Principes creant à quibus in commune regantur: at poteſtas Eccleſiaſtica immediatè eſt à Deo, nam CHRISTVS ipſe ſuos Apoſtolos & in primis Petrum, eiuſque ſucceſſores Eccleſiæ ſuæ Rectores conſtituit. Ex quo diſcrimine colligit S. Baſilius ipſaque ratio confirmat multò magis legibus Eccleſiaſticis obſequendum. Poteſtas ſæcularis abrogari poteſt communi populorum conſenſu, non ſacra & Eccleſiaſtica, hæc ad conſcientiam obſtringendam proximè pertinet, non illa politica, quæ ad pacem & tranquillitatem externam refertur, non niſi remotè ſalutem vitamque æternam ſpectat. Iterum ſi potuit ſynagoga Iudæis indicere certa ieiunia, quidni poſſit etiam Eccleſia fidelibus ſuis, cùm id eorum ſolus & ſpiritalis vtilitas exigit. Non enim minor eſt in Eccleſia quàm in ſynagoga poteſtas atque auctoritas, minorue cura ſalutis ac profectus ſubditorum. Multa autem in lege veteri reperimus indicta ieiunia, ieiunium quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis apud Zachariam, quibus ieiunijs figuratam quatuor temporum ſolemnitatem indicat Calixtus Pontifex ad Benedictum Epiſcopum, Mardochæus nouum ieiunium, & feſtum diem deinceps in memoriam liberationis à perſecutione Aman Agatitę celebrandum inſtituit. Hieremias ab exemplo filiorum Ionadab redarguit inobedientiam Iudæorum, ſi potuit abſtinentiam vini pater filijs imperare, cur non Eccleſia mater abſtinentiam à carnibus, & certas ieiuniorum leges imponere? In primo Apoſtolorum concilio, Eccleſia prohibuit vſum ſanguinis & ſuffocati, non alia ex cauſa, quàm vt facilius ex gentibus & Iudæis coaleſceret, dum iubentur gentiles ab ijs

Rom 13 v. 1. & 5.

Zachariæ c 8. Diſt in. 76. can. ieiunio. Eſther 9. 31. Hierem 35. v. 14. 25.


cibis abstinere, à quibus Iudęi vehemẽter abhorrebãt, quidni igitur & pœnitentiæ & continentiæ & spiritualis profectus causa certa ieiunia possit indicere? Bene, inquit, Tertullianus, quod & Episcopi vniuersæ plebi, mandare ieiunia assolent. De ieiunio quadragesimę & cæteris mox dicetur. Neque verò peccatum soluti ieiunij existimari dumtaxat debet ratione scandali aut contemptus Ecclesiæ, id enim vtrumquę pertinet ad legem naturalem & diuinam, sed quod lex Ecclesiastica ieiunium veluti præstantem actum virtutis temperantiæ præscribat, eiusque necessitatem & obligationem imponat, quare qui violat Ecclesię præceptum, admittit peccatum intemperantiæ, nam ad eam virtutem pertinet Ecclesię præceptum, ad quam pertinet actus & materia virtutis quæ præcipitur. Ea de causa Toletanum octauum violatores ieiunij velut addictos gulæ & intemperantiæ reprehendit.

Lib. de ieiunio. *Cap. 9.*

Aduersus hæc nouatores non habent quod obijciant nisi multis scripturis, doctrinam & mandata hominum improbari, nempe quando vel diuinis repugnant, vel certè non sunt illis consentaneæ ac conformes hominum constitutiones repudiandæ sunt. Alioquin leges hominum qui Dei vires ac personam gerunt in terris, qui eius spiritu ducuntur, qui iuxta scripturarum exempla ac præscripta præcipiunt, non tam hominum quam Dei mandata censeri debent. *Qui vos audit me audit*, inquit Dominus, & Apostoli in 1. synodo congregati, *visum est spiritui sancto & nobis*, & Paulus, *si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* De quibus eisdem præceptis ad Thessalonicenses: *itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum sanctum suum in nobis.* Ecclesiæ autem præcepta de ieiunijs & delectu ciborum, haud dubiè consentanea sunt & conformia doctrinæ, regulę, atque exemplis scripturarum, quę passim hortantur ad ieiunia, proponuntque exempla Dauidis, Danielis, Mardochæi, Baptistæ, Esther, Iudith, Annę matris Samuelis, & alterius Annæ filiæ

Luc. 10. 16. *Act. 15. 28.* *1. Cor. 14. 37* *1 Thess. 4. 8*

filiæ Phanuelis nec dubitari poteſt quin Apoſtoli, ſummi Pontifices, & Patres in concilijs diuino ſpiritu ducerentur in ieiuniorum legibus ſanciendis. Quod obedire detrectent hæretici Epicurei, ſuperbiæ & intemperantiæ ſpiritu pleni, mirandum non eſt, cùm eos à ieiunio, gula & luxuries, ab obedientia præſtanda, ſuperbiæ tumor abſterreat. Verùm quæ præterea ex ſcripturis obijciant, breuiter exequamur.



CAPVT XIII.

Quibus ſcripturis hæretici nos à ieiunio dehortentur.



PRIMVM ex Geneſeos capite primo & nono & Pſalmo 8. Deum omnia propter hominem condidiſſe, & eſſe omnia bona valde, multorum autem animàntium alium non eſſe vſum quàm vt eorum carnes nobis in alimentum cedant, quod erat argumentũ Iouinian, quis vſus porcorum abſque eſu carnium; quid capreæ, ceruuli, damulę, apri, lepores & huiuſmodi venatio? quid anſeres ſylueſtres & domeſtici, quid anates, quid ficedulæ, quid atagen, quid filuca? quid turdus? cur in domibus gallina diſcurrit, ſi non comeduntur hęc omnia, fruſtra à Deo creata ſunt. Sed pridem reſpondit Hieronymus, ſi omne quod mouetur & viuit ad veſcendum factum eſt, & pręparatum gulæ, reſpondeant mihi cur elephanti, cur leones, vrſi, leopardi, lupi, viperæ, ſcor-

ræ, ſcorpij, cinices, culices, puliceſque, cur vultur, aquila, coruus, accipiter &c. non omnia animantia condita eſſe vt nobis in cibos cederent, ſed plurima in alios vſus, verbi cauſa medicinæ, & inſtitutionis morum, oblectationis item & ad mundi ornatum, vt ex tanta rerum varietate collaudetur Deus. Per multa ſecula vſque ad diluuium nullus fuit vſus carnium, & ſi res omnes in cibum eſſent ſumendæ quæ nullum alium vſum habere videntur, comedendæ eſſent noctuæ, bufones, viperæ, ſerpentes, araneæ, ſed eſto plurimorum animantium ſint in hominum alimenta condita, non ſequitur eis veſcendum omni tempore, omni loco, & modo, etiam aduerſus matris Eccleſiæ iuſtiſſimam inhibitionem.

Secundò allegant dictum CHRISTI Domini apud Matthæum, *non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Et illud apud Lucam: *In quamcunque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*, quibus ſimilia ſunt Apoſtoli dicta, *omnis creatura Dei bona eſt, & omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Omne quod in macellum venit, manducate nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate.* Ad hæc breuis & expedita reſponſio eſt, apud Matthæum Dominus ſtultam Iudæorum ſuperſtitionem reprehendit, qua ſibi perſuaſerant cibos non lotis ſæpe ſæpius manibus ſumptos, animam coinquinare, quod quî fieri poteſt, cùm cibi ſint corporales anima ſpiritualis, coinquinant tamen animam cibi, non ratione ſui, aut alicuius immunditiæ corporalis, ſed ratione prauæ cupiditatis, adiunctæ intemperantiæ & inobedientiæ. Ad eum modum arbor primis parentibus interdicta, illos cum vniuerſa ſtirpe perdidit & inquinauit. Et quis neget crapulam & ebrietatem quæ intrat in os hominem coinquinare, non ea ratione ſed quâ ex animo oritur intemperantiæ dedito. Apud diuum Lucam

Matth. 15. ver. 11. Luc 10. ver. 8. 1. Tim. 4. Ad Titum 1. 15. 1. Cor. 19. 25. & 26.

Lucam Dominus commendat modestiam & temperantiam vt hospitio recepti discipuli, lautiores & sumptuosos cibos non requirant, contenti sint ijs quæ apponuntur, tametsi vulgaribus & vilioribus. Apostolus verò agit aduersus Iudaizantes hæreticos Simonianos qui quosdam cibos natura sua immundos censebant, aut agit de carnibus idolothytis, immolatitijs non esse curiosius inquirendum cum anxietate conscientię, vnde illę depromptæ sint, vbi nullum est scandali discrimen. Quod si scandali periculum esset, disertè pronuntiat, bonum est non comedere carnes, & non bibere vinũ, cùm frequenter commendet Apostolorum præceptum de sanguine & suffocato, haud dubiè multo magis vrsisset obseruationem præceptorum Ecclesię de seruandis ieiunijs, quorum erat in Ecclesia primitiua frequentissimus vsus, vt indicat illud: *Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus vt vacetis orationi & ieiunio.* Et iterum: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs.* Et præibat ipse exemplo, *Exercitus in labore & ærumna*, insuper tamen *in vigilijs multis in fame, & siti,* & nihilominus *in ieiunijs multis.*

1. Cor. 7. 5. 2. Cor. 6. 45. 2. Cor. 11.27. Matth. 15. Marci 2. 19. Luc. 5. 35.

Tertio allegant ex Euangelio: Interrogatus Dominus à discipulis Pharisæorum & Baptistæ cur non indiceret suis stata ieiunia, quemadmodum Baptista & Pharisęi suis indixerant discipulis, respondet filios nuptiarum non esse huiusmodi legibus astringẽdos, quod vetustas disciplinę legalis ex qua retinebat aliquid Baptista, vel humanarũ traditionũ ratio, quas sequebãtur Pharisæi nõ esset assuenda nouitati legis Euãgelicæ: quo loco profert se maligna indoles hæreticorũ, & scripturas deprauãdi cõsuetudo, nõ enim interrogatus est Dominus cur præcepta suis ieiunãdi nõ imponeret, sed quare sui discipuli non ieiunarẽt, respõdit nõdũ adesse tempus quamdiu cũ eis versaretur sponsus, & agerentur dies nuptiales, lęti & hilares, venturum tempus quo essent ieiunaturi, cùm sponsus ab eis ablatus foret, obita passione ac morte, aut peracta

in cęlos ascensione, discipulos suos nondum esse capaces & idoneos ad Euangelica ieiunia, quæ nouo quodam spiritu ex Religionis & charitatis impulsu suscipienda forent, nō esse pannum nouum Euangelicæ gratiæ, assuendum panno veteri, ne peior scissura fiat, nec vinum nouum in vtres veteres fundendum, ne disrumpantur, Apostolos nondum innouatos misso de cælis spiritu sancto, quare Euangelicorum ieiuniorum nondum esse capaces. Vtres noui, inquit Basilius, in Euangelio nominantur qui de die in diem vitæ genus renouant, & vinum nouum de vera vite capiunt, vinum infusæ gratiæ ac charitatis, qua promptè atque hilariter ieiunia erant obeunda. Qui verò veterem hominem nondum deposuerunt, vtres sunt veteres, quibus neutiquam credi possit, infusio vini &c. Tales vtres hęretici veterem Adamum & carnem penitus redolentes.

In Ps. 32.

Coloss. 2. v. 16

Quarto denique producunt locum Apostoli ad Colossenses, *nemo ergo vos iudicet aut in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitum ipso vsu secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Et sequentia. Obscurus locus, sed qui nihil propriè ad ieiunia pertineat, nisi ex peruersa hęreticorum interpretatione, agit enim aduersus Iudaizantes, de legalibus abrogatis per CHRISTVM, quod metaphora chyrographi deleti & lacerati declarat, propriè nullus reperitur potus inhibitus lege Mosaica, fortè tamen Pharisæi aliquem censebant immundum, verbi causa, cùm biberetur ex vase carente operculo, nam eiusmodi vas habetur immundum. Num. 19. Dies festi & Neomœniæ, & Sabbata vmbra sunt futurorum, quę apparente CHRISTO euanuerunt, ad quas easdem legis Iudaicæ cæremonias pertinet illud neque tetigeritis morticinum aut vestimentum mulieris menstruatæ, aut scabellum, in quo illa sederit, neque gustaue-

gustaueritis carnem suillam aut leporinam, aut piscem qui squamis aut pinnulis careat, quę sunt omnia in interitum ipso vsu, quod omne genus obseruationum & præceptorum, quæ Pharisęi vel hęretici Simoniani legem cum Euangelio permiscentes tradebant, ducunt in interitum eos qui tum illis vtebantur, id temporis quo erãt abrogata legalia, quæ sunt secundum rationem, vt explicat S. Augustinus, sapientiæ non veræ, sed fallacis, quę sita sit in superstitione & humilitate affectata, ἐθελοθρησκία, Religione quam sibi quis fingit è suo cerebro, quæ nullo nititur fundamento, ὲ ἀφειδία σώματος, imparcentia corporis, in pręposterą quadam abstinentia & afflictatione corporis immoderata, qua se cruciabant Pharisæi & hęretici Simoniani. Ex quibus abstinentijs ait Hieronymus interdum debilitates & morbi contrahebantur: non in honore aliquo, intelligit per honorẽ sustentationẽ corpori debitã, sicut Dei templum, sustentatio debita parentibus presbyteris & viduis vocatur honor, saturitas carnis est expletio, sufficientia quæ corpori sit necessaria, vt spiritui in obeundis suis functionibus inseruiat. Igitur quæ ab Apostolo dicuntur aduersus hanc Pharisæorum immodicam & superstitiosam abstinentiam quam per se Deo placere, atque alio fine credebant, perperam ad Ecclesiastica ieiunia traducuntur, quorum longè diuersa est conditio cùm ad reprimendam carnis lasciuiam, eleuandam mentem in Deum, ad satisfactionem expiationemque peccatorum, ad promerendam Dei gratiam absque externa ostentatione referantur. neque verò probauit vnquam Ecclesia ieiunia immoderata, quo fit vt tam multos ratione ętatis, sexus, valetudinis, officij, laboris, à ieiunio velit excusatos. Qua de re dictum est aliàs, & accommodatè idem Hieronymus ad Demetriadem: Neque verò immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & antè ęgrotare incipiunt, quam sanctę conuersationis iacere fundamenta, Philosophorum quoque sententia est:

sibi ducat, videri potest nonnam ad remotiora, quàm proxima tempora respexisse. Præter Manichæos & longè ante eos Encratitas, Marcionistas, quibus addit Commentarius Ambrosianus Patritianos, fuerunt Apostolorum temporibus, qui nuptias vt toto genere illicitas abominarentur, & cibos quosdam velut naturâ immundos reijcerent, de quibus S. Ignatius, vir Apostolici temporis Epistola ad Philadelphenses post damnatam Ebionis hæresim. Si quis vniuersè confitetur, sed legitimam commixtionem & liberorum procreationem, quod corruptelam & pollutionem appellant, aut cibos aliquos detestandos putat, talis Apostatam illum draconem in se habitantem fouet. Et eadem Epistola, vxores maritis subditæ sint, in timore Dei, virgines CHRISTO in incorruptione, non abominantes, non in calumnia matrimonij, sed vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent. Hæc Ignatius. Ex quo colligere est, Ebionem ipsum fuisse horum dogmatum assertorem, tametsi non solus Ebion in eo fuerit errore, nam Irenæus eundem Saturnino Simonis Magi discipulo eiusque gregalibus tribuit, nubere & generare à Satana dicunt esse, multi autem ex his quæ sunt à Deo & ab animantibus abstinent perfecta eiusmodi continentia, seducentes multos, refert eadem de Saturnino Theodoretus. De Ebione Epiphanius. Manifestum est obijciebat Iouinianus, vos Manichæorum dogma sectari prohibentium nubere & vesci cibis quos Deus creauit ad vtendum, cui calumniæ prolixè respondit Hieronymus Empedoclis & Pythagoræ nos dogma minimè sectari, qui propter μετεμψύχωσιν omne quod mouetur & viuit edendum non putant &c. Sed venerari conditorem nostrum qui in vsus hominum cuncta generauit. De vsu coniugij quàm sit aperta calumnia proximo libro demonstrabitur. De cibis nullos esse naturâ immundos, nec significatione iam demonstratum est, neque verò cuiquam ratione ac iudicio vtenti dubium esse potest quum cibi vtiles ac salubres tamen inhiberi possint, vel

Lib. 1. cap. 22.

Libro hæreticarũ fabularũ.

Hæres. 28. c. 2.

in Ioui.

ad tempus, vel in perpetuum, vel vniuersim, vel certis personis, si iustæ causæ intercedant, imò inde vis obedientię percipitur si res non mala prohibeatur, vt dè arbore scientiæ boni & mali primis parentibus interdicta probat S. Augustinus, de ipso manna cælitus misso varia fuerunt à Deo per Moysen data præcepta, & de reliquis cibis significatione immundis vt dictum est. Ratio quam reddit Apostolus ob quam nihil reijciendum sit: *Quia omnis creatura Dei bona est & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*, sic intelligitur ab interpretibus Gręcis, vt putent esse Rhetoricam concessionem, si quid immundum duxeris, ait Chrysostomus, medicamentum in promptu est, signum crucis imprime gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscedet, gratiarum actio cuncta purgat. Verum proximè dixerat Apostolus, *quia omnis creatura Dei bona est*, vt concessioni non sit locus, & res per se mala sanctificari nequit, nec vlla creatura per se est mala & immunda, sed tamen hoc primi parentis effectum est peccato, quo se dæmoni subdidit, quoad vsum maximè rerum huius sæculi, cuius ille Princeps dicitur, vt per eas quandoque res nocere possit corpori, aut spiritui, quamobrem opus est antidoto verbi Dei & orationis, quo si vtantur fideles, nihil suberit periculi. Nota est historia Monialis, quæ cum lactuca non benedicta dæmonem insidentem deglutisse narratur. Nec sine causa dicitur creatura vanitati subiecta, & in dæmonis esse potestate, cui dũ subtrahitur, sanctificari dicitur, ne per eã noceat, ad comessationes & ebrietates incitet, sanctificatur, id est, sancto fidelium vsui paratur: verbum Dei, interpretantur preces è psalmis aut aliunde petitas ex scriptura, alij fidem, qua in CHRISTVM creditur, in cuius honorem mensa refertur, phrasi in scripturis vsitata, Prudentius in hymno ante cibum.

In Psal. 80.

Gregor. 1. dialog c. 4.

Te

Te sine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore, quid appetere,
Pocula non prius atque cibos,
CHRISTE *tuus fauor imbuerit,*
Omnia sanctificante fide.

Et post nonnulla:

Fercula nostra Deum sapiant,
CHRISTVS *& influat in pateras,*
Seria, ludicra, verba, iocos
Trina superna regat pietas.

Orationem seu precationem iungit Apostolus cum gratiarum actione, quemadmodum in Euangelijs ferè alternis exprimuntur, benedictio & gratiarum actio, non quod non differant, sed quod partes sint orationis, qua cum Deo colloquimur. Huc pertinet Ecclesiæ vetustissima consuetudo, qua, aquę, pani, sali, fructibus alijsue rebus exorcismi & benedictiones adhibentur, vt repressa dæmonum vi, salutares euadant, quos exorcismos frustra calumniantur hæretici, cùm toti diuina laude constent. Hinc etiam manauit consuetudo benedicendi mensam, ante cibi potusque sumptionem, & tam antè quàm postea gratias agendi, siquidem cibi omnes Dei sunt munera & dona, quorum beneficio largitori gratiæ sunt referendę. Tertullianus de agape Christianorum, non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, æque oratio conuiuium dirimit. *Apolloget. 39.*

Non omittunt hæretici & illud obijcere quod habet Apostolus versu 8. *Exerce autem teipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Commentarius Ambrosianus per corporalem exercitationem intelligit ieiunium, quod sine operibus pietatis ait parum prodesse, idque ipsum asserit S. Thomas, si ieiunium seiungatur ab operibus pietatis, parum prodesse, quia ieiunans sibi prodest non proximo, vel quia ieiunio corporalis morbus curatur, non spiritalis. Deceptus

Hom. 1. & de ieiun. ptus est S. Thomas auctoritate Ambrosij, nam verus Ambrosius de Elia & ieiunio, Basilius, Chrysostomus & alij Patres negant ieiunium esse corporalem exercitationem aut seiungi posse ab operibus pietatis, cùm ieiunium ipsum sit opus pietatis, siquidem à Religione & charitate imperatur. Si corporalis foret exercitatio corpus profecto nutriret, atqui illud macerat & extenuat ac denique conficit. Vera Chrysostomi interpretatio est, exerce te ad pietatem, fidem puram, vitamque rectam, & omnem Christianam disciplinam, alludens ad gymnasticos palestrę labores, qua similitudine plerumque delectatur Apostolus. Pietas, inquit, Chrysostomus rectissima vitæ norma est, & conuersationis optimæ disciplina fatiget te pietas, hîc tibi sit puluis, hic sudor, si externæ deerunt occasiones, intus luctam habes. Agit igitur Apostolus de exercitatione Athletica, quæ fit cursu, saltu, lucta, pugnis, aut alio modo. De gymnica membrorum agitatione quæ ad modicum vtilis est quod vires corporis dumtaxat

Prouerb 9. iuxta 70. confirmet, vegetas ac robustas reddat. Exercitatio verò pietatis, maximas affert vtilitates tum præsentis, tum futuræ vitæ, nam pietas in Deum, initium intellectus, ait Salomon,

1. Offic 27. in Ps. 118. serm. 18 & fundamentum est omnium virtutum. Ambrosius: Pietas Dei cultus propriè intelligi solet, quam Gręci θεοσέβειαν vocant: hæc tamen erga parentes officiosa haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ fre-

L. 10. de ciuitate c. 1. quentatur, quod arbitror ideo euenisse dicit Augustinus, quia hæc fieri pręcipuè Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine, factum est, vt Deus ipse dicatur pius. Cum igitur ieiunium & ad Dei cultum & honorem, & ad spiritalem propriam & proximorum vtilitatem referatur, inter opera pietatis & misericordiæ, iure debet accenseri, & spiritalis exercitatio haberi.

CAPVT



CAPVT XV.

De solemni ieiúnio quadragesimali.


RADITIONE maiorum habetur quadragesimale ieiunium ab Apostolis ad exemplum CHRISTI Domini institutum, & vniuersæ traditum Ecclesię, de quo extat eorum Canon 68. & S. Ignatius, quo nec certior, nec antiquior, nec dignior testis proferri potest, Epistola ad Philippenses ait: quadragesimale ieiunium ne spernatis, continet enim exemplum conuersationis Dominicæ; quam eandem sententiam habet Clemens Romanus, ieiunium continet memoriam conuersationis & legislationis Domini. Tertulianus cum Orthodoxi quadragesimam vnam, illi tres ex Montani disciplina ieiunarent, præscribitis constituta esse ieiunia hinc fidei, scripturis, vel traditione Maiorum, nihilq; obseruationis amplius adijciendum, ob illicitum innouationis. State in gradu isto si potestis, ecce enim conuenio vos, & præter Pascha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus, & stationum semiieiunia interponentes, & vos interdum pane victitantes, vt cuique visum est, denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda non imperio, quod quædam essent arbitraria ieiunia, quædam ex præcepto Ecclesiæ necessaria, inter quæ primum locum tenet quadragesimale ieiunium, neque eius præceptum commodè in alios auctores referri potest quàm Apostolos, quorum tempori-

Lib. 5. Constit. Apostol. c. 13

Aduers. Physic.

P p bus

Epist. 54.

Origen in Lou 26

bus proximus fuit Tertullianus. Nos, inquit, Hieronymus ad Marcellam, secundum traditionem Apostolorum vnam quadragesimam toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores; non quo & per totum annum exceptâ Pentecoste ieiunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. D. Leo quod ergo dilectissimi in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc sollicitiùs & deuotiùs exequendum, vt Apostolica institutio 40. dierum ieiunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, sed priuatione maximè vitiorũ. Et iterum merito à S. Apostolis, per doctrinam Spiritus Sancti maiora sunt ordinata ieiunia, vt per commune consortium crucis CHRISTI, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus. Theophylus Alexandrinus non tantùm ex Apostolica traditione, sed ex Euangelica, quadragesimale ieiunium auctoritatem asserit sibi vindicare: nec desunt Patres qui ab ipso Domino quadragesimam institutam esse tradant, sed intelligunt exemplo magis quàm verbo. aut quod ex speciali Sancti Spiritus inspiratione ad CHRISTI Domini exemplum illam instituerunt Apostoli, ab omnibus certè Patribus antiquissimis mirificè celebratur quadragesimale ieiunium. Basilius oratione 2. de ieiunio, ieiunium per omne tempus vtile est, ijs qui illud suscipiunt, sed multo magis hoc tempore, quo per vniuersum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium, nec est vlla insula nec terra continens, nec ciuitas, nec gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum, quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Angeli sunt qui per singulas Ecclesias ieiunantes describunt, hæc & alia plura de quadragesimali ieiunio Basilius, Gregorius Nazianzenus ad Eulogium Præfectum, legibus iniuriam facis ô Iudex, qui non ieiunas, & quomodo leges humanas ser-

uabis,

nabis, qui non seruas diuinas, & pro nihilo contemnis. Purga tribunal tuum, vocat prçceptum ieiunij legem diuinam, quod in Ecclesia sacrosan..um haberetur ac penitus inuiolabile. Ambrosius, quisquis Christianus ieiunando non impleuerit quadragesimam, prçuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus pro salute sua datam prandendo rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum ieiunij Dominici non custodis. Qualis autem Christianus es cùm Domino ieiunante tu prandes. Qualis Christianus es, cum CHRISTO esuriente, tu reficeris &c. Quamuis quis abstineat certis diebus, quamuis dulciora ciborum alimenta non sumat, nō tamen illi acceptum fertur quadragesimale ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat. Pudet dicere senes & anxiculæ quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt. Sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare, peccatum est. In eandem sententiam S. Augustinus, rogo vos charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi fortè ille quem ieiunare infirmitas non permittit; quia alijs diebus ieiunare remedium est aut præmium, in quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam, in quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam. At Hieronymus rigidior existimari potest, qui ab huius præcepti censura, nec infimam excipit ætatem, nam ad Lætam scribens de institutione filiæ prohibet in ætate tenella onera abstinentiæ, in quadragesima tamen inquit, continentię vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. Quanquam alia sit conditio secularium, alia virginum, & Monachorum, sęcularis homo in quadragesima ventris ingluuiem decoquit & in concharum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum parat. Virgo & Monachus, sic in quadragesima suos dimittunt equos, vt meminerint sibi semper esse currendum. Ad Eustochium: Ie-

Serm. 34.

Serm. 62.

iunium totius anni æquale est excepta quadragesima, in qua conceditur districtius viuere. Plures tum Græci, tum Latini Patres & conciliorum auctoritates producuntur à recentioribus, controuersiarum scriptoribus, quos inter Illustrissimus Cardinalis Stanislaus Hozius hoc loco memorandus est, quod præclaro exemplo, quadragesimæ obseruationem sanciuerit, nam cùm in omni vita dies ieiuniorum ab Ecclesia statutos religiosissimè seruaret, nec in decursa ætate quidquam remittendum censuit de consueta quadragesimæ austeritate, nec medicorum nec propinquorum, familiarumue precibus & adhortationibus adduci potuit, vt alijs quàm prçscriptis in quadragesima cibis vteretur ad tuendam valetudinem, sed ijs respondere consuerat, propterea se dies ieiuniorum ab Ecclesia institutos obseruare velle, vt longæuus existeret super terram, nam scriptum est honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Pater meus, aiebat, est Deus in cælis, Ecclesia, mea mater in terris. Ille prçcipit vt ieiunem, ista præcipit vt his vel illis diebus, isto vel illo tempore ieiunem. Vtrumque lubentissimè audio certamque spem concipio vt obedientiæ meæ fructum feram, non modò in terris longiorem vitam, sed & beatam in cęlis æternitatem.


Stanislaus Reschius de vita eius 10. cap.

Hactenus demonstratum est quadragesimam Apostolicę esse institutionis ac traditionis, quidam tamen quadragesimam referunt ad Telesphorum Pontificem, vt Eusebius in Chronico: verum Telesphorus dumtaxat mandauit, clericis septem integras hebdomadas, à carnibus abstinere cùm laici non integras abstineant, ex decreto Telesphori inchoandum erat ieiunium à Dominica quinquagesimę, non vti modò fit à die cinerum, ante Telesphorum meminit quadragesimæ S. Ignatius martyr, Tertullianus & alij, quod Ioannes Cassianus asserit in Ecclesia primitiuâ per totum annum æquale fuisse ieiunium ab omnibus obseruatum; deinde refrigescente charitate, cùm apud multos negligerentur

Collatione 21. c. 3.

rentur

rentur ieiunia, placuisse omnibus sacerdotibus vt ieiunium quadragesimale indiceretur, ac fixa lege stabiliretur, ex hoc ipso duplici capite non probatur. 1. Verisimile non est per totum annum promiscuè ab omnibus obseruatum, vt non ab omnibus continentia & cælebs vita seruabatur. Constat Corinthios res proprias retinuisse, ex quibus eleemosynæ colligebantur per vnam sabbati, & permissum illis fuisse vt comederent quidquid in macello veniret. Non igitur semper ieiunabant. Deinde secundò nusquam reperitur vbi aut quando conuenerint omnes Episcopi, ad legem quadragesimæ sanciendam, nam primum generale concilium fuit Nyssenum, in quo fit mentio, quadragesimæ pridem receptę, & institutæ. Quare valet hîc regula S. Augustini, ea omnia ab Apostolica traditione descendere, quæ in vniuersa Ecclesia obseruantur, & in nullo Ecclesię concilio primitus instituta reperiuntur. Eiusmodi est quadragesimale ieiunium, est igitur Apostolicæ traditionis & institutionis. *Epist. 118 & 4. de Baptismo.*






CAPVT XVI.

Mendaces & impiæ Caluini calumniæ aduersus ieiunium quadragesimale.

Lib. 4 Instit. c. 12 § 20. in harmonia. Matth. 4.


ON veretur Caluinus aduersus Sanctorum Patrum & Conciliorum grauissimas auctoritates ieiunium quadragesimale condemnare stultitię, superstitionis, & impietatis, & eiusmodi proferre calumnias, blasphemiæ plenas, quas nemo non pius vehementer exhorreat. Ex his aliquot hoc & proximo capite redarguenda suscepi. Mira, inquit, stultitia fuit ieiunium quadragesimæ vt vocant, ad CHRISTI imitationem instituere. Mira Caluini impietas, qui stultitiam dicere audet, quam Sancti Patres, Ignatius, Clemens, summam Religionem esse censent. Sed pro sua pergat impudentiâ, atque vtinam tantùm ineptijs lusissent vt simiæ, impium & detestabile CHRISTI ludibrium fuit, quod se ad eius regulam fictitio suo ieiunio formare tentarunt. Sed quî probat id Caluinus, an idem dicturus de lotione pedum, de quouis alio virtutis opere ad imitandum nobis à CHRISTO proposito? an Apostolus Paulus, qui se CHRISTI imitatorem gloriatur, & ad eandem nos imitationem prouocat, impium & detestabile ludibrium illi irrogabat, cùm se ad eius regulam, actionnm ac passionum ludicris suis actionibus

bus ac passionibus formare tentabat, quæ certior & exactior regula nobis proponi potest, quàm CHRISTI Saluatoris actio? Sed Caluino planum est, non ieiunasse CHRISTVM vt alijs exemplum præscriberet. At S. Patribus ac toti Ecclesię id semper planum & exploratum fuit, vt proximo capite patefiet, quo futiles Caluini rationes excutientur. Itaque prosequamur. Quod opus meritorium & partem esse pietatis, & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio, auctore quidem Caluino, sed non ex calculo Sanctorum Patrum & venerandæ totius antiquitatis. Cur enim ieiunio æque ac orationi, atque eleemosynæ mercedem à Deo reddi testatur ipse Dominus, & Anna vidua, ieiunijs æque & orationibus Deum colens in Euangelio celebratur? Sed hæc in Deum contumelia est minimè tolerabilis, quod singulare eius miraculum obscurat, deinde in CHRISTVM, quia suum illi insigne detrahentes, eius spolijs se vestiunt. Tertio in Euangelium cui non vulgaris detrahitur auctoritas, nisi hoc CHRISTI ieiunium eius sigillum esse cognoscitur. Hæc ego quidem non intelligo à quibus CHRISTI miraculum obscuretur, ab ijsne qui ieiunium opus censent medium & indifferens, an ab ijs qui vt pręclarum virtutis opus ad imitandum propositum deprędicant. Nemo diffitetur ieiunium quale CHRISTVS obiuit per totos dies quadraginta, nihil sumendo, nec esuriendo non potuisse perfici absque miraculo, sed eius miraculi quis finis aut fructus, si pro nostrarum virium imbecillitate, non licet aliquatenus illud imitari? Si CHRISTVM induimus ex Apostoli consilio, eiusque mores, facta & exempla cum ope diuinæ gratiæ, imitatione proxima consectamur, an suum CHRISTO detrahimus insigne? An Moyses & Elias 40. dierum ieiunio præuerterunt ac præoccuparunt hoc insigne. Et quidem Moyses iterato hoc ieiunio nouas Decalogi tabulas abstulit. An Simeon Stylites, & alij qui non sine miraculo totos dies quadraginta ieiunij præstiterunt, aut illustrio-

ra

ad tempus, vel in perpetuum, vel vniuersim, vel certis personis, si iustæ causæ intercedant, imò inde vis obedientiæ percipitur si res non mala prohibeatur, vt dè arbore scientiæ boni & mali primis parentibus interdicta probat S. Augustinus, de ipso manna cælitus misso varia fuerunt à Deo per Moysen data præcepta, & de reliquis cibis significatione immundis vt dictum est. Ratio quam reddit Apostolus ob quam nihil reijciendum sit: *Quia omnis creatura Dei bona est & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*, sic intelligitur ab interpretibus Græcis, vt putent esse Rhetoricam concessionem, si quid immundum duxeris, ait Chrysostomus, medicamentum in promptu est, signum crucis imprime gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscedet, gratiarum actio cuncta purgat. Verum proximè dixerat Apostolus, *quia omnis creatura Dei bona est*, vt concessioni non sit locus, & res per se mala sanctificari nequit, nec vlla creatura per se est mala & immunda, sed tamen hoc primi parentis effectum est peccato, quo se dæmoni subdidit, quoad vsum maximè rerum huius sæculi, cuius ille Princeps dicitur, vt per eas quandoque res nocere possit corpori, aut spiritui, quamobrem opus est antidoto verbi Dei & orationis, quo si vtantur fideles, nihil suberit periculi. Nota est historia Monialis, quæ cum lactuca non benedicta dæmonem insidentem deglutisse narratur. Nec sine causa dicitur creatura vanitati subiecta, & in dæmonis esse potestate, cui dū subtrahitur, sanctificari dicitur, ne per eā noceat, ad comessationes & ebrietates incitet, sanctificatur, id est, sancto fidelium vsui paratur: verbum Dei, interpretantur preces è psalmis aut aliunde petitas ex scriptura, alij fidem, qua in CHRISTVM creditur, in cuius honorem mensa refertur, phrasi in scripturis vsitata, Prudentius in hymno ante cibum.

In Psal. 90.

Gregor. 1. dialog c. 4.

Te

Te sine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore, quid appetere,
Pocula non prius atque cibos,
CHRISTE *tuus fauor imbuerit,*
Omnia sanctificante fide.

Et post nonnulla.

Fercula nostra Deum sapiant,
CHRISTVS *& insluat in pateras,*
Seria, ludicra, verba, iocos
Trina superna regat pietas.

Orationem seu precationem iungit Apostolus cum gratiarum actione, quemadmodum in Euangelijs ferè alternis exprimuntur, benedictio & gratiarum actio, non quod non differant, sed quod partes sint orationis, qua cum Deo colloquimur. Huc pertinet Ecclesiæ vetustissima consuetudo, qua, aquę, pani, sali, fructibus alijsue rebus exorcismi & benedictiones adhibentur, vt repressa dæmonum vi, salutares euadant, quos exorcismos frustra calumniantur hæretici, cùm toti diuina laude constent. Hinc etiam manauit consuetudo benedicendi mensam, ante cibi potusque sumptionem, & tam antè quàm postea gratias agendi, siquidem cibi omnes Dei sunt munera & dona, quorum beneficio largitori gratiæ sunt referendę. Tertullianus de agape Christianorum, non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, æque oratio conuiuium dirimit. *Apolloget. 39.*

Non omittunt hæretici & illud obijcere quod habet Apostolus versu 8. *Exerce autem teipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Commentarius Ambrosianus per corporalem exercitationem intelligit ieiunium, quod sine operibus pietatis ait parum prodesse, idque ipsum asserit S. Thomas, si ieiunium seiungatur ab operibus pietatis, parum prodesse, quia ieiunans sibi prodest non proximo, vel quia ieiunio corporalis morbus curatur, non spiritalis. Deceptus

Hom. 1. & de ieiun. ptus est S. Thomas auctoritate Ambrosij, nam verus Ambrosius de Elia & ieiunio, Basilius, Chrysostomus & alij Patres negant ieiunium esse corporalem exercitationem aut seiungi posse ab operibus pietatis, cùm ieiunium ipsum sit opus pietatis, siquidem à Religione & charitate imperatur. Si corporalis foret exercitatio corpus profecto nutriret, atqui illud macerat & extenuat ac denique conficit. Vera Chrysostomi interpretatio est, exerce te ad pietatem, fidem puram, vitamque rectam, & omnem Christianam disciplinam, alludens ad gymnasticos palestrę labores, qua similitudine plerumque delectatur Apostolus. Pietas, inquit, Chrysostomus rectissima vitæ norma est, & conuersationis optimæ disciplina fatiget te pietas, hîc tibi sit puluis, hic sudor, si externæ deerunt occasiones, intus luctam habes. Agit igitur Apostolus de exercitatione Athletica, quæ fit cursu, saltu, lucta, pugnis, aut alio modo. De gymnica membrorum agitatione quæ ad modicum vtilis est quod vires corporis dumtaxat confirmet, vegetas ac robustas reddat. Exercitatio verò pietatis, maximas affert vtilitates tum præsentis, tum futuræ vitæ, nam pietas in Deum, initium intellectus, ait Salomon, & fundamentum est omnium virtutum. Ambrosius: Pietas Dei cultus propriè intelligi solet, quam Gręci θεοσέβειαν vocant: hæc tamen erga parentes officiosa haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur, quod arbitror ideo euenisse dicit Augustinus, quia hæc fieri pręcipuè Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine, factum est, vt Deus ipse dicatur pius. Cum igitur ieiunium & ad Dei cultum & honorem, & ad spiritalem propriam & proximorum vtilitatem referatur, inter opera pietatis & misericordiæ, iure debet accenseri, & spiritalis exercitatio haberi.

Prouerb 9. iuxta 70. 1. Offic 27. in Ps. 118. serm. 18 L. 10. de ciuitate c. 1.

CAPVT



CAPVT XV.

De solemni ieiunio quadragesimali.



TRADITIONE maiorum habetur quadragesimale ieiunium ab Apostolis ad exemplum CHRISTI Domini institutum, & vniuersæ traditum Ecclesię, de quo extat eorum Canon 68. & S. Ignatius, quo nec certior, nec antiquior, nec dignior testis proferri potest, Epistola ad Philippenses ait: quadragesimale ieiunium ne spernatis, continet enim exemplum conuersationis Dominicæ; quam eandem sententiam habet Clemens Romanus, ieiunium continet memoriam conuersationis & legislationis Domini. Tertulianus cum Orthodoxi quadragesimam vnam, illi tres ex Montani disciplina ieiunarent, præscribitis constituta esse ieiunia hinc fidei, scripturis, vel traditione Maiorum, nihilq; obseruationis amplius adijciendum, ob illicitum innouationis. State in gradu isto si potestis, ecce enim conuenio vos, & præter Pascha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus, & stationum semiieiunia interponentes, & vos interdum pane victitantes, vt cuique visum est, denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda non imperio, quod quædam essent arbitraria ieiunia, quædam ex præcepto Ecclesiæ necessaria, inter quæ primum locum tenet quadragesimale ieiunium, neque eius præceptum commodè in alios auctores referri potest quàm Apostolos, quorum tempori-

Lib. 5. Constit. Apostol. c. 13

Aduers. Physic.

Epist. 54. Origen in Lev. 26
bus proximus fuit Tertullianus. Nos, inquit, Hieronymus ad Marcellam, ſecundum traditionem Apoſtolorum vnam quadrageſimam toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Saluatores; non quo & per totum annum exceptâ Pentecoſte ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. D. Leo quod ergo dilectiſſimi in omni tempore vnumquemque conuenit facere Chriſtianum, id nunc ſollicitiùs & deuotiùs exequendum, vt Apoſtolica inſtitutio 40. dierum ieiunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, ſed priuatione maximè vitiorū. Et iterum merito à S. Apoſtolis, per doctrinam Spiritus Sancti maiora ſunt ordinata ieiunia, vt per commune conſortium crucis CHRISTI, etiam nos aliquid in eo quod propter nos geſſit, ageremus. Theophylus Alexandrinus non tantùm ex Apoſtolica traditione, ſed ex Euangelica, quadrageſim de ieiunium auctoritatem aſſerit ſibi vindicare: nec deſunt Patres qui ab ipſo Domino quadrageſimam inſtitutam eſſe tradant, ſed intelligunt exemplo magis quàm verbo. aut quod ex ſpeciali Sancti Spiritus inſpiratione ad CHRISTI Domini exemplum illam inſtituerunt Apoſtoli, ab omnibus certè Patribus antiquiſſimis mirificè celebratur quadrageſimale ieiunium. Baſilius oratione 2. de ieiunio, ieiunium per omne tempus vtile eſt, ijs qui illud ſuſcipiunt, ſed multo magis hoc tempore, quo per vniuerſum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium, nec eſt vlla inſula nec terra continens, nec ciuitas, nec gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non ſit auditum ieiunij edictum, quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & ſummo gaudio excipiunt. Angeli ſunt qui per ſingulas Eccleſias ieiunantes deſcribunt, hæc & alia plura de quadrageſimali ieiunio Baſilius, Gregorius Nazianzenus ad Eulogium Præfectum, legibus iniuriam facis ô Iudex, qui non ieiunas, & quomodo leges humanas ſer-

uabis,

nabis, qui non seruas diuinas, & pro nihilo contemnis. Purga tribunal tuum, vocat prçceptum ieiunij legem diuinam, quod in Ecclesia sacrosan-ctum haberetur ac penitus inuiolabile. Ambrosius, quisquis Christianus ieiunando non impleuerit quadragesimam, prçuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus pro salute sua datam prandendo rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum ieiunij Dominici non custodis. Qualis autem Christianus es cùm Domino ieiunante tu prandes. Qualis Christianus es, cum CHRISTO esuriente, tu reficeris &c. Quamuis quis abstineat certis diebus, quamuis dulciora ciborum alimenta non sumat, nō tamen illi acceptum fertur quadragesimale ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat. Pudet dicere senes & anxiculæ quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt. Sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare, peccatum est. In eandem sententiam S. Augustinus, rogo vos charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi fortè ille quem ieiunare infirmitas non permittit; quia alijs diebus ieiunare remedium est aut præmium, in quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam, in quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam. At Hieronymus rigidior existimari potest, qui ab huius præcepti censura, nec infimam excipit ætatem, nam ad Lætam scribens de institutione filiæ prohibet in ætate tenella onera abstinentiæ, in quadragesima tamen inquit, continentię vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. Quanquam alia sit conditio secularium, alia virginum, & Monachorum, sęcularis homo in quadragesima ventris ingluuiem decoquit & in concharum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum parat. Virgo & Monachus, sic in quadragesima suos dimittunt equos, vt meminerint sibi semper esse currendum. Ad Eustochium: Ie-

Serm. 34.

Serm. 62.

iunium totius anni æquale est excepta quadragesima, in qua conceditur districtius viuere. Plures tum Græci, tum Latini Patres & conciliorum auctoritates producuntur à recentioribus, controuersiarum scriptoribus, quos inter Illustrissimus Cardinalis Stanislaus Hozius hoc loco memorandus est, quod præclaro exemplo, quadragesimæ obseruationem sanciuerit, nam cùm in omni vita dies ieiuniorum ab Ecclesia statutos religiosissimè seruaret, nec in decursa ætate quidquam remittendum censuit de consueta quadragesimæ austeritate, nec medicorum nec propinquorum, familiarumue precibus & adhortationibus adduci potuit, vt alijs quàm prę scriptis in quadragesima cibis vteretur ad tuendam valetudinem, sed ijs respondere consueerat, propterea se dies ieiuniorum ab Ecclesia institutos obseruare velle, vt longæuus existeret super terram, nam scriptum est honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Pater meus, aiebat, est Deus in cælis, Ecclesia mea mater in terris. Ille pręcipit vt ieiunem, ista præcipit vt his vel illis diebus, isto vel illo tempore ieiunem. Vtrumque lubentissimè audio certamque spem concipio vt obedientiæ meæ fructum feram, non modò in terris longiorem vitam, sed & beatam in cęlis æternitatem.


Stanislaus Rescius de vita eius 10. cap.

Hactenus demonstratum est quadragesimam Apostolicę esse institutionis ac traditionis, quidam tamen quadragesimam referunt ad Telesphorum Pontificem, vt Eusebius in Chronico: verum Telesphorus dumtaxat mandauit clericis septem integras hebdomadas, à carnibus abstinere cùm laici non integras abstineant, ex decreto Telesphori inchoandum erat ieiunium à Dominica quinquagesimę, non vti modò fit à die cinerum, ante Telesphorum meminit quadragesimæ S. Ignatius martyr, Tertullianus & alij, quod Ioannes Cassianus asserit in Ecclesia primitiuâ per totum annum æquale fuisse ieiunium ab omnibus obseruatum; deinde refrigescente charitate, cùm apud multos negligerentur

Collatione 21. c. 3.

rentur ieiunia, placuisse omnibus sacerdotibus vt ieiunium quadragesimale indiceretur, ac fixa lege stabiliretur, ex hoc ipso duplici capite non probatur. 1. Verisimile non est per totum annum promiscuè ab omnibus obseruatum, vt non ab omnibus continentia & cælebs vita seruabatur. Constat Corinthios res proprias retinuisse, ex quibus eleemosynæ colligebantur per vnam sabbati, & permissum illis fuisse vt comederent quidquid in macello veniret. Non igitur semper ieiunabant. Deinde secundò nusquam reperitur vbi aut quando conuenerint omnes Episcopi, ad legem quadragesimæ sanciendam, nam primum generale concilium fuit Nyssenum, in quo fit mentio, quadragesimæ pridem receptę, & institutæ. Quare valet hîc regula S. Augustini, ea omnia ab Apostolica traditione descendere, quæ in vniuersa Ecclesia obseruantur, & in nullo Ecclesię concilio primitus instituta reperiuntur. Eiusmodi est quadragesimale ieiunium, est igitur Apostolicæ traditionis & institutionis.

Epist. 118 & 4. de Baptismo.



bus ac passionibus formare tentabat, quæ certior & exactior regula nobis proponi potest, quàm CHRISTI Saluatoris actio? Sed Caluino planum est, non ieiunasse CHRISTVM vt alijs exemplum præscriberet. At S. Patribus ac toti Ecclesię id semper planum & exploratum fuit, vt proximo capite patefiet, quo futiles Caluini rationes excutientur. Itaque prosequamur. Quod opus meritorium & partem esse pietatis, & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio, auctore quidem Caluino, sed non ex calculo Sanctorum Patrum & venerandæ totius antiquitatis. Cur enim ieiunio æque ac orationi, atque eleemosynæ mercedem à Deo reddi testatur ipse Dominus, & Anna vidua, ieiunijs æque & orationibus Deum colens in Euangelio celebratur? Sed hæc in Deum contumelia est minimè tolerabilis, quod singulare eius miraculum obscurat, deinde in CHRISTVM, quia suum illi insigne detrahentes, eius spolijs se vestiunt. Tertio in Euangelium cui non vulgaris detrahitur auctoritas, nisi hoc CHRISTI ieiunium eius sigillum esse cognoscitur. Hæc ego quidem non intelligo à quibus CHRISTI miraculum obscuretur, ab ijsne qui ieiunium opus censent medium & indifferens, an ab ijs qui vt pręclarum virtutis opus ad imitandum propositum deprędicant. Nemo diffitetur ieiunium quale CHRISTVS obiuit per totos dies quadraginta, nihil sumendo, nec esuriendo non potuisse perfici absque miraculo, sed eius miraculi quis finis aut fructus, si pro nostrarum virium imbecillitate, non licet aliquatenus illud imitari? Si CHRISTVM induimus ex Apostoli consilio, eiusque mores, facta & exempla cum ope diuinæ gratiæ, imitatione proxima consectamur, an suum CHRISTO detrahimus insigne? An Moyses & Elias 40. dierum ieiunio præuerterunt ac præoccuparunt hoc insigne. Et quidem Moyses iterato hoc ieiunio nouas Decalogi tabulas abstulit. An Simeon Stylites, & alij qui non sine miraculo totos dies quadraginta ieiunij præstiterunt, aut illustriora

Saluator sibi conciliabat auctoritatem. Sed iterum Caluinus, fuit igitur mira κακοζηλία & superstitionis plena, quod titulo ac colore imitationis CHRISTI, ieiuniũ ornabant, quis enim potior titulus aut color quę ratio ad permouendũ fideles efficacior, quàm CHRISTI imitatio An non omnis actio nostra est instructio? Secuta sunt deinde deteriora tempora, & ad præposterum vulgi studium, accessit Episcoporum tum inscitia, tum ruditas, tum libido dominandi, & tyrannicus rigor, latę sunt impię leges, quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt, interdictus carnium esus, quasi hominem contaminarent. In summa is summus est Dei cultus à carnibus abstinere, & illis exceptis affluere omni genere deliciarum. Quot sententiæ tot mendaces, & impiæ Caluini blasphemiæ. Nam quis orthodoxus docuit hominem esu carnium contaminari, aut ieiunio gulam lautitiarumque affluentiam comprobari? An præter ieiunium alia nobis opera pietatis & veri nominis sacrificia, quibus Dei cultus continetur abunde non suppetunt? An non sacrosanctæ Eucharistiæ sacrificium summus apud nos est veri Dei cultus, quas Sancti Patres de ieiunijs diuinas leges appellant, ipse impias appellat, & exitialibus vinculis conscientias stringere, quæ veram illis libertatem, animi pacem, & tranquillitatem afferunt, cur verò nullum producit Episcopum ex ijs quos inscitiæ, ruditatis, dominandi libidinis & tyrannici rigoris accusat, audet etiam dicere veteres superstitionis semina iecisse, & occasionem præbuisse tyrannidi, quæ postea exorta est, sed nullam ne leuem quidem sui dicti probationem affert. Addit, mirum est tam crassam hallucinationem hominibus acuti ingenij obrepere potuisse, certè, Caluinus, non dicam acuto sed maligno peruersoque fuit ingenio, qui Doctores Ecclesiæ, quos reuereri nunquã satis potuit superstitionis & hallucinationis ausus est condemnare; quod pro sancta CHRISTI imitatione pastores suis plebibus ieiunium commẽdabant. Cùm planum sit, inquit, non ideo ieiunasse CHRISTVM vt alijs exemplum

nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Hoc fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solùm doceret verbis, sed etiam exemplis vt iisdem vestigijs quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur, aduersus Aërianos. Quia isti ieiunandũ negant, qua causa CHRISTVS ieiunarit, astruãt, nisi vt nobis exemplo esset, eius ieiunium? Epist. 82.

Augustinus, quadragesimale ieiunium habet auctoritatem & in veteribus libris ex ieiunio Moysis, & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit. Aduersus tot illustres Sanctorum Patrum auctoritates, Caluinus nullam nec veteris nec recentioris Doctoris auctoritatem profert, sed verbo dumtaxat, planum esse asserit, CHRISTVM non ieiunasse vt se nobis imitandum præberet, rationes quas profert, hæ tres ferè colliguntur, pueriles ac futiles. 1. Quod debuisset CHRISTVS singulis annis ieiunare. 2. non omnino abstinere à cibo, sed vnica refectione contentus esse, 3. Moyses ieiunauit 40. diebus, tamen in vetere testamento, nõ fuit ad eius imitationem instituta quadragesima. Quartam addit Kemnitius ex Chrysostomo, non dicit CHRISTVS ieiunium suum imitemur, sed discite à me quia mitis sum & humilis corde, sed proponamus ipsius Caluini verbis rationes nequid momenti ac ponderis ijs detractum videatur. Nec CHRISTVS, inquit, nec Moyses quotannis solemni ieiunio defuncti sunt, sed semel in vita. CHRISTVS semel mortuus est, semelque resurrexit, an non licet nobis quotannis, quot diebus Dominicis eius passionis ac resurrectionis vsurpare memoriam, an quaque Dominica resurgere debuit, quia resurrectionis celebritatem agimus quaque Dominica? Quoties ieiunarit CHRISTVS Dominus, & pernoctarit in oratione Dei, non omnia expressa sunt sanctis Euangelijs, vnam quadragesimam ieiunare voluerit, & semel à diabolo tentari, satis id erat ad exemplum nobis præstandum, nos qui non semel sed pluries quotannis tentamur, & cum hoste congredimur, vnam certè qua- Epist. 119.

tè quadragesimam singulis annis ieiunare par fuit. Non ita CHRISTVS nobis imitandus proponitur, quum semper sit admirandus, vt infinito spatio nos supergrediens, & licet ad præstantiam eius virtutum attingere non possimus, non tamen ab imitatione cessandum est pro modulo virium nostrarum, vt loquitur Nazianzenus. Iterum Caluinus: quid simile habent cum filio Dei, qui per quadragesimam quotidie vescuntur? Quid simile habent qui se mortificationis addicunt studio, humilitatis, charitatis, patientiæ, obedientiæ, documentum aliquod edunt, ad primum CHRISTI patientis & in cruce morientis exemplar? Iam vero ex alio capite, CHRISTI ieiunium Caluinus extenuat, qualis verò abstinentię virtus fuisset, cibum non gustare, ad quem appetendum nulla eum esuries mouebat? certum est enim & clarè Euangelistę pronuntiant non aliter eum tulisse inediam, quàm si carne non fuisset indutus. Quare mera stultitia fuit, ieiunium quadragesimæ, vt vocant, ad CHRISTI imitationem instituere. Mira impudentia & amentia Caluini, dum Ecclesiam damnat stultitiæ; impietas & blasphemia, dum CHRISTI ieiunium ad abstinentiæ virtutem spectare negat. An non ieiunium abstinentiæ est, an non pręcipuus eius actus; sed nulla eum esuries ad cibum appetendum interea mouebat, ergo nisi fames vrgeat, nulla erit abstinentia. Quod si famem non ventris repletio, sed animi contemplatio, & diuinus feruor charitatis amolitur? An nulla est martyrij commendatio, si cruciatum martyr non sentiat absorptus in Deum? An Moyses & Helias, si nullam senserunt esuriem, abstinentiæ virtute caruerunt? Neque verè 40. dies ieiunarunt, tametsi minimè esurientes, vt scribit Hilarius. Tradunt Euangelistę CHRISTVM post 40. dies esurijsse, sed non asseuerant toto illo 40. dierum interuallo nunquam esurijsse, habebat in potestate sua esuriem, quæ nisi miraculo cohibita fuisset, enata esset; secum pugnans Caluinus, CHRISTI ieiunium modò extollit, modò de-


Canone 3. in Matth.

dò deprimit, diuinâ gloriâ insignitus fuit CHRISTVS per ieiunium. An non sua gloria fraudatus in ordinem cogitur, cùm se illi socios cuncti mortales permiscent? An non insanâ audacia æmulantur Deum, qui idem sua virtute affectant? An non multo magis per passionem CHRISTVS gloria insignitus fuit per quam à Deo Patre glorificatus est, & tamen ad eam imitandam crucemque post eius vestigia gestandam ipse prouocat? An non insana audacia mentitur Caluinus qui Catholicos ait idem affectare, cùm quotidie reficiantur, nec sua virtute, sed opitulante Dei gratia ieiunium expleant. Denique Caluinus, non est maior ratio, cur hodie hoc CHRISTI exemplum sequamur, quam fuit olim Prophetis & alijs patribus sub lege imitari Moysis ieiuniũ, ęquiparandus igitur CHRISTO Moyses? & par ratio est Ecclesiæ & Synagogæ? An non CHRISTVS Dominus in immensum dignior, eminentior quàm Moyses famulus? An non ardet Ecclesia maiori desiderio, legislatorem suum imitandi, quàm Synagoga Moysen, qui legislator non fuit, sed delator? Moyses non est datus Iudæis in exemplum, CHRISTVS nobis datus est & qui dicit se in CHRISTO manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, &c. Ad ratiunculam Kemnitij, non dixit CHRISTVS verbis imitaremur eius ieiuniũ, at dixit ipso facto, omnis enim eius actio nostra est institutio. Quod ad humilitatẽ non tantum exemplo, sed etiam verbo sit adhortatus. Rationem profert Chrysostomus, quod ieiunium sine humilitate nihil prodest, humilitas sine ieiunio plurimum. Hoc dixi, ait Chrysostomus, non quia ieiunium mihi non placet, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo si cæteris neglectis satis ad satietatem vobis ieiunium existimetis. De his Epicuræis non debuit dolere Chrysostomus, qui nihil omnino ad salutem ieiunium valere contendunt. Ad calcem capitis iterum mihi monendi videntur Caluiniani, vt pudeat eos magistri sui maledicentiæ & impudentiæ aduersus sanctos Patres,

Hom. 47. in Matth.

quos insimulare non veretur meræ stultitię, ineptiarũ & lusus simiæ, impij & detestabilis ludibrij CHRISTI continentię in Deum minimè tolerabilis, erroris periculosi, pessimę superstitionis, ambitionis, tyrannidis, crassæ hallucinationis, miræ κακοζηλίας inscitię & ruditatis. Deniq; exitialium & impiarum legum quas nempe mollis & delicatus Epicuri scurra ferre nõ potuit; in quem hæc vniuersa probra verissime regerantur.

Vide Adamum Gorzon [?] c 4 S Matthej.



CAPVT XVIII.

De tempore, numero dierum, & reliqua, omni varietate obseruatæ quadragesimæ.



DE tempore ieiunij quadragesimalis, quærere possit quispiam, cùm quadragesima ad imitationem ieiunij CHRISTI Domini sit instituta, cur non eo ipso tempore ieiunemus quo CHRISTVS Dominus; sed aliquo post interuallo. Ieiunauit Dominus à sexta Ianuarij ad decimam quartam Februarij, qua die ille desijt, eâ ferè nos inchoamus. Maluit Ecclesia post Dominum, quam cum Domino ieiunare, modico post spatio honoris eius causa, vestigia consectari quàm ijsdem insistere. Tertullianus & alij veteres vocant hoc ieiunium Paschale, seu Paschatis, quod Paschalem festiuitatem antecedat, & commodè sanè, tum ad CHRISTI passionem, maiore

maiore pietatis sensu commemorandam, tum ad resurrectionis diem festum lætius exigendum, tum denique ad diuina sacrosanctę Eucharistiæ mysteria dignius & fructuosius excipienda. In qua parte anni, inquit S. Augustinus, congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Dominicæ passioni? Adhęc, omnium anni tempestatum ver generali ieiunio videtur accommodatissimum, quod est maximè temperatum, quo corpori nouus accedit vigor, quo pisces salubres, opera rariora, sed & tum maximè necessaria videntur arma ieiunij cùm excrescentibus humoribus ac sanguine innouato, maior tentationum seges exurgit, & crebriores existunt concupiscentiæ motus. De numero dierum qui ieiunio transigantur, videri potest aliqua fuisse diuersitas, nam D. Basilius, dies tantum quinque ieiunandos monet, quot hebdomadis; nam sabbato & Dominica Græci non ieiunabant, sed ad lacunam illam explendam adijciebant alteram hebdomadam septimam; hortatur igitur Basilius ad ieiunium alacriter amplectendum, quod diebus quinque dumtaxat, continuandum foret. D. Ambrosius, ait quosdam suo tempore nón quadragesimam, sed quinquagesimam ieiunare consuesse, alios vix trigesimam aut vigesimam, cum alternis tantùm hebdomadis in quadragesima ieiunarent. Addit in Ecclesia Mediolanensi, ieiunari 42. dies, quod sicut populus Israel ab Ægyptiaca captiuitate liberatus, quadraginta duabus mansionibus ad terram promissionis peruenit, eodem modo & numero ieiuniorum, quę mansiones & stationes quædam sunt, ad Pâschale festum perueniatur. Qui quinquagesimam ieiunabant more Gręcorum, diem sabbathi detrahebant, sed addebant vnam hebdomadam, qui mos non placuit Patribus Látinis, vt apparet ex Concilio Agatensi Canone 8. Aurelianensi primo cap. 11.

Epist. 119.

Oratione 2. de ieiunio.

Sermone 34.

In Ecclesia Romana propriè quadragesima inchoatur à Dominica prima quadragesimę, vt obseruat Micrologus, & constat 42. diebus, sed detractis Dominicis quibus nón ieiunatur,

iunatur, remanent dies 39. qui pro decima anni computantur, nihilominus ieiunium appellatur quadragesimale, quod etsi numerus non sit completus, tamen parum abest & eo nos profitemur imitari pro modulo nostro ieiunium CHRISTI, Moysis & Heliæ, maximè cùm & Dominicis seruetur imperfectum ieiunium, quod Tertullianus vocat portionale; exceptione quorundam eduliorum. Deinde numerus quadragenarius, pœnitentiæ & afflictionis est symbolum, ideoque adumbratus per 40. annos, aut 42. stationes populi Israel in deserto. Deinde sicut ex vsu telonij seu vectigalibus publicis certa pars Principi debita quadragesima dicebatur, ita vectigal annuum abstinentiæ, quod Deo pendimus, rectè hoc nomine nuncupatur. Postremo vt obseruat Alcuinus, consuetudo est diuinarum scripturarum, vt omnis numerus ex quo quamlibet decadem transierit, vt si tertiæ decadi incurrat, non deputetur idem numerus decadi præcedenti, sed ei ad quem tendit, cùm igitur triginta sex dies, numerum trigesimum excedant, ad quadragesimum pertinere censentur. Atque vt plenius sacer hic numerus quadraginta dierum adimpleretur, quem Saluator suo ieiunio consecrauit, additi sunt quattuor dies præcedentis hebdomadæ, feria 4. quæ caput ieiunij dicta est, 5. 6. & sabbatum. Tempore D. Leonis, loco feriæ 5. erat feria 2. cùm ait igitur feria 2. 4. & 6. ieiunemus, sabbato autem apud S. Petrum, vigilias celebremus, cùm vigilia ieiunium iungebatur, at tempore Gregorij Magni, feria 5. ieiunabatur, imò ante eius tempora vetustiores Patres 40. dies ieiunij recensent, extantque sermones S. Augustini feria 4. cinerum & sequentibus ferijs. Eadem videtur doctrina apud Græcos fuisse ratio conficiendi numerum quadragesimum ex doctrina S. Dorothæi, ieiunandos triginta sex dies ad totius anni decimam persoluendam. Quibus si quattuor dies adijciantur, vnà cum decimis aliquid primitiarum nomine offeremus Deo, eâdemque simul opera præceptum vtrumque naturæ & de decimis & de

Cassia coll. 21

Lib. de diuinis officijs c. 8.

Doctrina 15.

primitijs

primitijs obseruabimus. Hinc apparet Socratem manifesti erroris conuinci cùm scribit Romanos non nisi tres habuisse septimanas, sed illis continuum fuisse ieiunium excepto Dominico & sabbato. Nam Romani sex septimanas semper ieiunarunt, exceptâ sola Dominica, additis ad supplementum quatuor diebus præcedentis hebdomadæ. Neque in eo munere fuit vnquam variatum. Verum omnis varietas in continuando ieiunio fuit, quod multi biduo, triduo, & tota etiam hebdomada non interrumpebant, testatur ipse Lucianus Christianorum hostis Epicureus, sic plerosque solitos esse seruare ieiunium vt decem soles sine cibo transigerent. Nazianzenus de Monachis solitudinis Ponticæ, complures ex illis fuisse, qui totos viginti dies totidemque noctes à cibo abstinerent, dimidia ex parte CHRISTI ieiunium imitantes, ex ijsque fuisse vnam sui gregis ouiculam. D. Augustinus nonnullos suo tempore repertos qui vltra hebdomadam perpetuum seruassent ieiunium, quos ait se nouisse, & addit ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quendam à fratribus fide dignis nobis asseueratum est, de S. Simeone Stylita refert Theodoretus eum viginti octo quadragesimas absq; vllo cibo transegisse. De B. Catharina Senensi idem tradit auctor eius vitæ, complures eam quadragesimas sola Eucharistiâ sustentatam exegisse. De Sancta Asella D. Hieronymus cùm per annum iugi ieiunio pasceretur biduo triduoque sic permanens tùm verò in quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes pœne hebdomadas vultu lætante coniungens, & quod impossibile forsan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt nec doleret stomachum nec viscerum cruciaretur iniuriâ. Ex his explicatu facilis est locus S. Irenæi apud Eusebiũ cùm ait alios vnum diem ieiunare, alios verò duos, alios plures, alios quadraginta, diurnas & nocturnas horas supputantes pro die, loquitur Irenæus de varietate continuandi ieiunium, absque vllo cibo, quem alij post diem vnum, alij post

Baron. ad an. 57.

In Philopatr.

Epist. 86. ad Cassulanum.

Epist. 15. ad Marcellam.

Lib. 5. 25.

biduum ſumebant, alij ~~diem~~ nocturnis & diurnis 40. horis diem metiebantur. Niſi tamen conſtaret numerus dierum 40. aut parum abeſſet, non rectè quadrageſima diceretur. Et præclarè Ambroſius, quadragenarius ieiunij numerus, non ab hominibus conſtitutus, ſed diuinitus conſecratus eſt. Nec terrena cogitatione inuentus, ſed cæleſti maieſtate præceptus.

Sermone 36.

Non ſine cauſa minus probat Hieronymus bidui triduiue ieiunium, quod immoderata mox ciborum repletio conſequeretur, ſatius eſſe quouis die cibum ſumere, ſed non ad plenam ſatietatem. Qua de re ſic aduerſus Iouinianum; ſed ex viliſſimis cibis vitanda ſatietas, nihil enim obruit animum vt plenus venter, & exęſtuans, & huc illucque ſe vertens, & in ructus vel in crepitus ventorum efflationes reſpirans. Quale illud ieiunium, aut qualis illa refectio poſt ieiunium, cùm pridianis epulis diſtendimur, & guttur noſtrum meditatorium efficitur latrinarum, dumque volumus prolixioris inędiæ famam quærere, tantum voramus quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam ieiunium appellandum eſt quàm crapula & fętens & moleſta digeſtio. Et ad Furiam, parcus cibus & venter ſemper eſuriens, triduanis ieiunijs præfertur, & multo melius eſt quotidie parum, quàm raro, ſatis ſumere. Pluuia illa optima eſt quę ſenſim deſcendit in terram, ſubitus & nimius imber in præceps arua ſubuertit. Chrys. hom. de Ieiu. [illegible]

Lib. 2.

CAPVT



CAPVT XIX.

De causis institutæ quadragesimæ, ob quas crebrius vsurpanda sint ieiunia.



ETSI iam indicatæ sunt, compendio, tamen easdem repetere ac SS. Patrum sententijs illustrare, erit operæpretium. 1. Iam proximè probata est exemplum & imitatio CHRISTI Domini, si enim patiens & moriens pro humano genere exemplum nobis dedit vt sequamur vestigia eius, quidni etiam ieiunans. Si abluens discipulorum pedes, aiebat, *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, quidni & ieiunans? nam quæ potuit illi esse causa ieiunandi nisi exempli & documenti nostri, cùm ipse nec tentatione, nec ieiunio sui causa opus haberet, sed nobis tentatus est, nobis ieiunauit, nobis diabolum vicit, vt pluribus S. Augustinus in Psalmum 60. & 90.

1. Petr. 2.21.

Ioan. 13 15.

Altera ratio huic confinis vt CHRISTI Domini passioni hoc tempore commemoratæ, compatiamur & conformemur dicente Apostolo; *si tamen compatimur vt & conglorificemur*. Iterum, *sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*. Merito, inquit S. Leo, à SS. Apostolis per doctrinam S. Spiritus maiora hęc sunt ordinata ieiunia, vt per commune consortium crucis CHRISTI, etiam nos in eo quod pro

Rom. 8. 17.

2. Cor. 1.7.

nobis gessit, aliquid ageremus, certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, vbi est participato Dominicæ passionis. In eandem sententiam S.Hilarius de ieiunio Cathechumenorum qui in Paschate erant baptizandi, vt verborum sponsionem, quædam rerum ipsarum veritas consequatur, toto in ieiunijs passionis Dominicę tempore demorantes, quadam Domino passionis societate iunguntur. Tertia causa vt eam ipsam Domini passionem prolixius attentiore curâ commentemur, expurgatis animis atque corporibus ieiunio & oratione. Qua de re D.Leo quamuis nulla sint tempora quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei, per ipsius gratiam præstetur accessus, nunc tamen omnium mentes maiori studio ad spiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei in quo redempti sumus, recursus inuitat, vt excellens super omnia passionis Dominicę sacramentum purificatis & corporibus & animis, celebremus. Ieiunio corporibus, oratione & meditatione animis expiatis. Nullum vero est argumentum omni hominum generi accommodatius atque aptius contemplationi quàm passio Saluatoris. De qua idem D. Leo. Quid autem inter omnia opera Dei in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ & oblectat & superat sicut passio Saluatoris?

Serm. 4. *Serm. 10. de Passione.*

Quarta causa ad resurrectionem Dominicam, Paschalemq; solemnitatem dignius celebrandam, tum & sacram Eucharistiam maiore pietatis sensu & fructu percipiendam, tunc enim ad eam omnes fideles Ecclesiæ præcepto astringuntur, quam causam notat S. Hieronymus Ecclesiæ consuetudo, ad passionem Domini & resurrectionem per humilitatem carnis venit, vt spiritali sagina, ieiunio corporis saginetur. Et D.Leo; quia non desinit antiquus hostis tunc maxime contra Christi membra sęuire, quando ab eis sunt celebranda sacratiora mysteria, merito doctrina Spiritus Sancti, ac eruditione

ne imbuit populum Christianum, vt ad paschale festum 40. dierum continentiâ se prępararet, & D. Augustinus, vt sacramenta Redemptionis nostræ dignius celebremus, saluberrimè nos 40. dierum ieiunio præparamus. Denique D. Gregorius carnem nostram decimamus vt ad sanctum Pascha, securi peruenire possimus.

Quinta causa, ad decimas totius anni Deo persoluendas; quam causam sic explicat Gregorius; dum per trecentos sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, vt qui nobismetipsis per reliquum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Ex more scripturæ numerus 36. dierum, cùm proximè accedat ad 40. illi proximior censetur 40. cuius rei exemplum habemus in genealogia filiorum Noë. Maximè cùm numerus 40 significet pœnitentiæ tempus & vitę huius mortalis; vt 50. futuram innuit vitam & fęlicitatem. Hieronymus exponens illa verba Ezechielis. Non habitabitur 40. annis. Hic numerus afflictionis & pœnæ. Vnde & Moyses & Elias & Dominus 40. diebus ieiunauerunt & noctibus, & per 40. annos populus errat in solitudine & 400. annis qui faciũt 40. decades populus seruiuit in Ægypto. Pluuiæ quoque diluuij 40. diebus inferunt orbi naufragium. Appositè D. Leo: dum per varias actiones vitæ huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere, magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est vt ad reparandam mentium puritatem 40. nobis dierum exercitatio moderetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.

Hom. 16 in Euang.

Gen. 11.

Serm 4. de quadrag.

Sexta igitur causa sit ad noxarum superioris vitæ purgationem, & satisfactionem, tum ad earundem præcautionem ne in easdem iterato prolabi contingat, quæ humana est fragilitas, sit ieiunium instar fręni ne in abrupta feramur, sit & calcar, quo ad virtutum officia incitemur; Per ieiunium

orationi atque eleemosynis copulatum à Deo gratiam vberem impetremus, quâ & preterita peccata diluamus, & futura præcaueamus, tum & virtutes necessarias assequamur, augeamus, ac conseruemus. Ieiuna, inquit, Chrysost. Quia peccasti, ieiuna ne pecces. Ieiuna vt accipias, ieiuna vt accepta conserues. D. Augustinus de quadragesimali ieiunio loquens aduersus nescio quem Epicureum hereticum, illi sit, inquit, longum & fastidiosum ieiunij tempus, qui nec orat de culpa, nec sperat de venia, qui nempe speciali fide persuadet sibi CHRISTI iustitiam omnem imputatam, hinc nihil superest impetrandum. Qui in CHRISTI fide ac iustitia omnia est assequutus. Frustra illi inclamet D. Leo: Ieiunia omnes bonæ voluntatis affectus, ad maturitatem totius virtutis enutriunt, non ieiunabunt illi ad maioris meriti cumulum; cum omne negent meritum bonorum operum, nec ad gratiam aut gloriam auctiori mensurâ recipiendam, cùm omnia illis in imputatione fictitia posita sint. Denique nec ad resistendum tentationibus ortis è praua concupiscentia dæmonesque vincendos, cùm libero careant arbitrio, omnesque motus, ipsaque concupiscentia, quin & opera virtutis peccata sint lethalia, sed pro Dei benignitate, Caluinistis, quos Deus amat, non imputentur. Vt quid ieiunijs sese macerent, quibus externus Dei fauor adeo est munificus, verè illis Deus Epicurus ex Erasini interpretatione, Græcis Ἐπίκουρος auxiliatorem designat, sed mentita est iniquitas sibi.

Serm. de Ieiun.

Serm. 4. de Ieiun. 10. mensis.

CAPVT



CAPVT XX.

De Ieiunio quatuor temporum, & quarundam feriarum.



EADEM est origo, & institutio ieiunij quatuor temporum, quæ quadragesimæ, nimirum Apostolica, ab exordio nascentis Ecclesiæ, nullum enim est concilium, cui primitus adscribi possit. nec S. Pontifex, qui primus instituerit; Calixtus haud diu post Apostolorum tempora, scribit ad Benedictum Episcopum, iam ante sua tempora consueuisse seruari ieiunia trium temporum, se quartum addidisse, aut potius cum negligentius obseruaretur, innouasse, sic enim licet interpretari: de ieiunio Pentecostes meminit Athanasius apologiâ pro suâ fugâ: de ieiunio hyemali decimi mensis videtur mentio fieri Act. 27. Cum iam non esset tuta nauigatio, eo quod & ieiunium præterijsset, quod à synagogâ cum cæteris in Ecclesiam translatum fuerit. Nam quod hęc ieiunia à Iudęis obseruari solita fuerint, nihil obstat quominus & à nobis obseruentur, totiusque Ecclesiæ legibus, ac moribus recepta sint, vt monet D. Leo, apud quem de his ieiunijs celeberrima mentio est. Apostolica institutio, inquit, dilectissimi, quæ Dominum IESVM-CHRISTVM ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, ita veteris testamenti Sacramenta distribuit, vt quædam ex ijs,

Act 27. 9.

Serm 2. & 8 ex ieiun 7. mensis Serm. 7.

ijs, ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtianę. Iterum. Ideo enim ipſa cōtinentiæ obſeruantia quatuor eſt aſſignata temporibus, vt in id ipſum totius anni decurſu, cognoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere; denique huius obſeruantiæ vtilitas dilectiſſimi in Eccleſiaſticis eſt præcipuè conſtituta ieiunijs, quæ ex doctrinâ S. Spiritus ita per totius anni curriculum diſtributa ſunt, vt lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus, ſiquidem ieiunium vernum in quadrageſimâ, æſtiuum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc qui eſt decimus (ante natalitia) celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum eſſe pręceptis.

Serm. 9. ex ieiun 7. menſis.

Non imperitè quiſpiam horum quatuor temporum ieiunia dixerit loco decimarum, & primitiarum legalium offerri; & quamquam varia potuit eſſe eorum obſeruandi ratio, tamen inualuit ea, quam indicat S. Leo, & quæ hodieque perſeuerat, vt primum conſtitueretur hebdomadâ ſecundâ quadrageſimæ. ſecundum, Hebdomadâ Pentecoſtes: tertium, tertiâ Septembris hebdomadâ: quartum denique ante natalem Domini, tertiâ Decembris hebdomadâ: memoriæ cauſa verſus;

Poſt crux, poſt cineres, poſt Spiritus, atque Lucia.

Ratio inſtitutionis horum ieiuniorum quatruplex afferri ſolet, 1. ne Chriſtiani forent in ieiunando Iudęis inferiores, quos omni iuſtitiâ, & abſtinentiâ præcellere debent. 2. Ad Clericorum ordinationes ieiunio communiendas, vt ad maius Eccleſiæ bonum procederet hæc electio, & ordinatio Clericorum, vt tam ordinandi, quam ordinatores ieiunio ſe compararent ad munus ſuum. 3. Ad ſupplicandum Deo pro frugibus, & fructibus terræ, & de ijſdem perceptis gratias referendas, quam cauſam ſæpe D. Leo memorat. 4. Vt quemadmodum quotannis habemus ieiunium quadrageſimale, quot ſeptimanis ieiunium feriæ quartæ & ſextæ,

vel

vel sextæ, & sabbathi, ita quot mensibus haberemus menstruum solemne ieiunium; sed commoditatis causâ tres dies coniuncti sunt, vt obseruat idem D. Leo: in omni vitâ huius sęculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores; ieiunia contra concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt. Inchoabatur olim annus à ieiunio, quod Kalendis Ianuarij erat indictum, ad gentilium prophanos ritus abolendos; Cum eum diem Gentiles exigerent in hilaritate auctis victimis & superstitionibus, cruentis spectaculis, indecoris choris, & publicarum dapum ingluuię; Christiani ieiunijs & letanijs velut pietatis hostijs eundem expiabant, de quo ieiunio D. Ambros. Tunc nos sumus sobrij, atque ieiuni, vt intelligant lætitiam suam nostrâ abstinentiâ condemnari. Et Augustin. per istos dies ad hoc ieiunamus, vt quando ipsi lætantur nos pro eis gemamus. Adiecta erant, & complura toto anno ieiunia vigiliarum, pridie festorum præcipuorum, quibus non tantum vigilabatur in precibus, sed & interdiu statio habebatur; quę preces quo plus haberent virium apud Deum, animique melius ad festa celebranda compararentur, ieiunium exactè seruabatur. Inter vigilias, & stationes id erat discriminis, quod vigiliæ essent nocturnæ, stationes diurnę, vtraque ieiunijs, & orationibus solemnes, plura apud Bellarm. 12. De ieiunijs aduentus agit Innocent. quod seruari consueuisse preces indicant adiunctæ prolixiores genu flexo dicendæ, magis tamen consilij, quam præcepti fuit hoc ieiunium. Ieiunium item stationum triduo ante festum Ascensionis vnà cum Letanijs auctore S. Mamerto, de quo Turonen. Videtur magis consilij, quam præcepti; cum constet antiquissimâ consuetudine receptum vt à Paschate ad Pentecosten nec de genibus oraretur, nec ieiunium vllum seruaretur: excipitur tamen modò vigilia ipsa Pentecostes, & si quę quis in priuatis diœcesibus consuetudo, quæ vim legis

Serm. de ieiun 10. mẽs. Serm. 8.

Serm. 11.

In Ps. 98.

Baron. in not. Martyr.

Cap. 2. hist. c. 34.

obtinet, induxerit ieiunia, planè seruanda sunt, vt monent Hieron. & August. Abundet in his vnaquæque prouincia in sensu suo & præcepta maiorum leges Apostolicas interpretetur. Postremo Baron. obseruat antiquissimum ad ann. 57. fuisse morem Ecclesiæ, vt Episcopi, cum celebranda essent concilia, aut alia necessitas, oportunitasue Ecclesiæ postularet, suis populis indicerent stata ieiunia, vt Tertullian. testis est, hæcque ieiunia miraculis quandoque diuinis illustrata, & confirmata fuisse ex S. Irenæo patet. Verum hæc antiquitatis monumenta, & vestigia lubenter proterant, atque extinguant hæretici nouatores, quibus tamen & proximum caput ingerendum est; vel audiant inuiti, quę nolunt obseruare ieiunia.

Aduers. phys. c. 13. *Aduers. Phys. c. 13.* *L. 2. c. 57.*



CAPVT XXI.

De ieiunio feriæ quartæ, sextæ, & sabbathi.



EXTAT Canon Apostolorum 68. vbi quadragesimam quartam feriam & parasceuem ieiunare pari seueritate præcipitur; consuerunt Patres Græci quamuis sextam feriam vocare parasceuem, vt ordo Romanus quoslibet dies Dominicos vocat dies Paschę. Clemens Rom. præcipimus vobis quartâ & sextâ ferijs ieiunare, quod in totâ Ecclesiâ vsu receptum testatur Tertull. Cum stationibus quartam, & sextam sabbathi dicamus; stationes more suo ieiunia nuncupans.

C. 5. *Aduers. phys. 14*

Clemens

Clemens Alexandrinus: nouit ipse fidelis ieiunij quoque ænigmata, horum dierum, quarti inquam, & sexti: dicitur ille quidem mercurij, hic verò veneris. Appellat ænigmata causam latentem, seu mysterium, cuius intuitu præ alijs diebus ex Apostolicâ institutione his ieiunetur, quam pluribus explicat S. Augus. Quod quartâ feriâ Iudæi concilium fecisse reperiantur ad occidendum Dominum, sextâ verò passus sit Dominus, & in crucem actus; sed Clemens iudicat hoc ænigmate designari spiritualem ab auaritiâ, & luxuriâ, duobus vitiorum omnium seminarijs abstinentiam quę in vitâ seruorum Dei maximè elucere debet: Mercurius auaritiæ, Venus luxuriæ præest, ceterum nemo PP. causam huius ieiunij reddit publicum & solemnem conuentum, nam hoc Dominicis agebatur, sed eandem, quam S. Augustin. reddit quoque S. Petrus Martyr Episcopus Alexandrinus: non reprehendat nos quispiam quartam & sextam feriam obseruantes, in quibus nos ieiunare secundum traditionem præceptum est. Quartam enim propter initum à Iudæis consilium de proditione Domini, sextam verò quod ipse pro nobis passus sit. De eisdem ieiunijs Origen. Habemus quadragesimæ dies ieiunijs consecratos, habemus quartam, & sextam hebdomadę dies, quibus solemniter ieiunamus. Est certè libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed virtute continentiæ, nam quo modo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentię fulta subsidijs? Sed & alia est adhuc ieiunandi ratio, cuius laus quorumdam Apostolorum litteris prędicatur. Inuenimus enim in quodam libello ab Apostolis dictum; beatus est qui etiam ieiunat, pro eo, vt alat pauperem. Habetur Origenis homilia descripta apud Cyrillum. Denique Epiphanius, per totum quidem annum ieiunium hoc seruatur in eadem sanctâ Ecclesiâ Catholicâ, quarta, inquam, & pro sabbatho vsque ad horam nonam, exceptâ solâ Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque

Ep. 86. ad Casul.

Hom. 10. in Leuit. l. 10.

In compend. doctrina.

que ieiunia flectuntur, neque ieiunium imperatum est. Subdit solitas communiones his diebus fieri horâ nonâ, Dominicis autem matutinis horis. Tertull. in ceteris ieiunijs ait ea produci ad Vesperam, 4. & 6. feriâ vsque ad nonam tantummodo. In quadragesimâ Romæ non produci ad Vesperam calumnia est, vt dictum est. Inde exceptis primis quatuor diebus vesperæ totâ quadragesima præmitti solent vnicæ refectioni. Pharisei bis quâque hebdomadâ ieiunabant feriâ secundâ, & quintâ. Manichei vero diebus solis, & lunæ, vt testatur Clemens de Phariseis, Epiphan. de Manichæis. S. Nicolaus cum alijs diebus lac nutricis frequens sugeret, quartâ, & sextâ feriâ semel duntaxat, idque vesperi sugebat, quam ieiunij consuetudinem reliquâ omni vitâ semper tenuit. Epiphanius feria 6. ait ieiunari, quod in eâ Dominus mortem obierit, at feriâ 4. quod assumptus in cælum, & ablatus sponsus fuerit, nempe peruigilio feriæ 5. quâ fuit Dominus assumptus in cælum. S. August. ait Romæ frequenter ieiunari feriâ 4. 6. & Sabbatho, non semper, nempe vt Tertullian. loquitur quod passiuè curreret, permitteretur, non imperaretur, vocat item semiieiunium, & portionale exceptionem quorundam ciborum, quod nimirum hisce ferijs præcepta esset à carnibus abstinentia, non tamen integrum ieiunium; id passiuè, & permissiuè curreret. Eodem pertinet, quod Tertull. ait pastum, & potum pura nosse, non ventris, sed animæ causâ, quam alibi Xerophagiam aridorum ciborum appellat; ea est cœna pura, non quę describitur apud Festum, in quâ dicitur apposita offa porcina, quę pertinet ad Epicureos, sed quæ apud Philonem de vitâ contemplatiuâ: mensa pura est, à cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, pro condimento Hyssopus; Ac sanè saperent, si hâc cœnâ purâ frequentius vterentur Epicurei. De ieiunio sabbathi dissidium fuit inter Orientales, & Occidentales, nam illi nefas existimabant ieiunare die sabbathi, & allegabant Cano. 55. Apostolorum, si quis Clericus

Clem. l. 7. c. 24. Epiph. hæres. 16. & in cōp. doctr.

ricus Dominicum diem, aut sabbathum, vno solo dempto, ieiunare deprehendatur, deponitur, sin autem Laïcus à communione deijcitur. Idem hoc apud Clement. Ignatius ad Philippen. Si quis diem Dominicam, aut sabbathum vno excepto ieiunarit, hic CHRISTI interfector est. Id factum, inquiunt, in odium hæreticorum, qui cum CHRISTI resurrectionem negarent, & Christiani potissimum eâ die gauderent, ipsi eandem diem in mœrore ieiunantes traducebant, alij, qui Deum Hebræorum orbis conditorem malum esse dicebant, & CHRISTVM ad eum destruendum venisse, quod ille quieuisset die septimâ, & Hebræi eam maximè solemnem agerent, ipsi in mœrore & ieiunio exigebant, ne de eius quiete, & operibus gaudere viderentur. In eorum igitur detestationem Orientales Dominicâ, & sabbatho non ieiunabant, eosque dies publicis conuentibus in magnâ hilaritate celebrabant. Clemens iam ante citatus: sabbathum, & Dominicum diem festum agimus, quoniam illud naturę conditę est monumentum sic resurrectionis, vnum autem sabbathum seruandum est nobis in toto anno, quod pertinet ad sepulturam Domini, in quo ieiunare oportet. Eodem spectasse videtur Nissenus aduersus eos, qui ægre ferunt reprehensiones: quibus oculis vides diem Dominicum, qui despicatus es sabbathum? An nescis quod hi dies fratres sint? quod si alterum probro affeceris, alterum offendis. Athanas. Nissen. sabbathum, & Dominicus sunt dies sancti, & festi, neque licet in eis ieiunare. At Occidentales auctore Innocentio contendunt conuenientissimè ieiunari. Die sabbathi ob memoriam sepulturæ CHRISTI Domini, & quod peruigilium sit Dominicę resurrectionis. Nam si non semel duntaxat in anno, festo paschatis, sed omnibus Dominicis celebratur memoria Dominicæ resurrectionis, nec duntaxat feriâ 6. maioris hebdomadæ, sed omnibus ferijs 6. totius anni ritè ieiunatur in memoriam passionis, cur vno duntaxat sabbatho, & non omnibus conuenienter ie-

L. 7. c. Constit. Apost. c. 24.

L. 99. q. 77. ep. 1. ad Decentium.

iunetur in memoriam CHRISTI sepulturę, mœroris Sanctissimæ matris ac discipulorum, qui se isto biduo ob metum Iudęorum occultabant? S. Augustin. aliam quoque causam profert, ob quam sabbatho ieiunetur, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago certaturus pridie toti Ecclesię ieiunium indixerit; cumque morem consecuto glorioso effectu & Romana Ecclesiâ & nonnullę Occidentales retinuerint. Sed verisimilior, & potior ea causa est, quam reddit Innocent. tum vt à Iudæis, quam longissimè recederent, quâ de causâ minimè feriabantur eâ die, ne quid haberent cum illis commune, sat habentes si sabbathum in diem Dominicam transtulissent, de quâ translatione Tertull. ęque si diem solis lætitiæ indulgemus, aliâ longè ratione, quam religione solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem solis otio, & victui decernunt exorbitantes & ipsi in Iudaico more, quem ignorant. Adde quod sabbathum peruigilium est diei Dominicæ, quâ maximè à fidelibus sacra Eucharistia frequentari solet, ad quam rectissimè se illi ieiunio comparant. Non desunt qui suspicentur à Græcis posterioribus additum canoni Apostolorum, & Epist. S. Ignatij diem sabbathi, nam Epiphan. qui sæpe citat canonē Apostolorum, tantum excipit diem Dominicum, cumque solum veteres excipere solent Tertullianus, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus & alij in odium Manichæorum, qui ordinariè ieiunabant die Dominico, vt ipsi ieiunio resurrectionem Domini falsitatis arguerent. Priscillianistæ Dominico, & natali potissimum ieiunare consueuerant, vt indicat S. Leo, eundem diem Dominicum ieiunio destinabant Eustachius & Aerius eorumque discipuli; quem & hodie potissimum designant hęretici nempe in Ecclesiæ & CHRISTI resurgentis contemptum; & sanè designandus foret, si publici conuentus ratio haberetur, aut non nisi publici negotij causâ ieiunium esset suscipiendū. Ad hanc quęstionē ~~a diuinio~~ Licinio Bætico propositam vtrum sabbatho ieiunandum sit, quemadmodum Romæ,

Ad Casulan. Epist. 86.

Coll. 3. c. 10.

Apolog. 16.


De corona militis. Epist. 83. præfat. in Psal.

mæ, & in Hispania moris esset, respondet traditiones Ecclesiasticas, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti; atque vtinam omni tempore ieiunare possemus: quod in Actis Apostolorum, diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus: eadem fuit responsio S. August. & Ambros. qui licet existimarent conuenientius non ieiunari sabbatho, tamen cuiusque prouinciæ ac Ecclesiæ, in quâ quis commoraretur, obseruandam consuetudinem, Ambros. Monicæ Matri S. Augustini se cum esset Romæ ieiunare dicit cum Mediolani non ieiunare.

Aug. ep. 36. ad Vrbic.

CAPVT XXII.

De fructibus ieiunÿ, quos non negant aduersarÿ.



IN castris Iouiniani Epicurei Christiani vt eum vocat Hieron. Ducis ac Principis Epicureorum huius æui, egregiè militant Lutherani & Caluiniani, qui ex Iouiniani dogmate ieiunium ciborumque delectum ad salutem nihil contendunt omnino conferre, sed ipsa tamen veritate conuicti, ne aduersus eam videantur pertinaciter contumaces, aliquid valere aiunt, ad carnis concupiscentiam coërcendam, ad orationis & contemplationis studium, ad humilitatis & pœnitentiæ

nitentię signum externum, cæterum perquam obstinatè negant aliquid valere ad Deum placandum & propitiandum, ad satisfaciendum pro peccatis, ad impetranda diuinę gratiæ præsidia, ad cœlestis felicitatis præmium promerendum, qui quatuor postremi fructus sunt omnium longè præcipui, ijdemque præclari fines ob quos ieiunia suscipiantur, quos fines & fructus cum pernegant, an non à ieiunio pro virili nos auocant ac dehortantur. De his posterius agemus nunc de tribus prioribus quos non negant, quibus quartum adijcere licet ex S. Hieronym. medicorumque sententia, ad morbos euitandos, aut percurandos ad valetudinem tuendam ac confirmandam. Est enim ieiunium, vt de quadragesimali canit Ecclesia corporibus animisque curandis salubriter institutum. Principio igitur, ieiunium perquam vtile esse ad carnem edomandam, eiusque concupiscentias coercendas ipso vsu & experimento certissimum est, quemadmodum subductis lignis sensim ignis imminuitur, oleo exinanito lampas extinguitur, sic & detracto fomite sopitur ardor concupiscētiæ, quale discrimen est inter iumentum bene pastum, luxurians; & inedia confectum & fame prope fatiscens; tale est inter ieiunantem & cibo potuque se farcientem. Atque hoc nomine Deo quoque placet ieiunium, cui placet carnem nostram edomari cum vitijs & concupiscentijs crucifigi. De ieiunio loqui existimatur Apostolus, cum ait: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* Ex interpretatione Chrysost. Theophylact. & Ambros. ex eiusdem Ambrosij hymno, quem ad primam recitamus, Ecclesia precatur carnis terat superbiam potus cibique parcitas. Pluribus possit hæc vtilitas SS. PP. sententijs confirmari, sed nihil admodum illa pertinere videtur ad aduersarios qui negant prauæ concupiscentiæ motus comprimi posse, quibus deest arbitrij libertas, qua contra nitantur ac frustra diuinę gratiæ opem implorarint, cum primos ipsos motus, adeoque concupiscentiam volunt habere rationem culpæ læthalis, qui non existimant pœnitentię

tiæ & mortificationi dandam operam, quo enim fine sese frustra cruciarent ac macerarent? cur sine causa corpus ieiunijs attenuarent? Altera vtilitas ad animum rerum cœlestium contemplationi atque orationi comparandum multis exemplis illustratur; Moyses ad Dei colloquium in monte Sinay, legemque accipiendam 40. dierum ieiunio sese instruxit. Elias ad Deum in monte Oreb videndum sub auræ tenuis specie, 40. quoque dierum præuio admissus est ieiunio; Daniel ad reuelationum cœlestium capienda secreta trium-hebdomadarum ieiunio se præmuniuit, pręcipuas quasque solemnitates Ecclesia præcurrit antegrediente ieiunio præmissis vigilijs, vt animo expurgato riteque comparato vberiore fructu & sensu pietatis maiore rebus diuinis assistat. Qua de re S. Bernar. peruigilio S. Andreæ: Ieiunium, inquit Chrysost. animę nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & diuina contemplari queat, eamdem vtilitatem aptissimis similitudinibus D. Basil. explicat, sed nec illa videtur vtilitas magnopere aduersarijs profutura, quibus nil opus est oratione, ad diuinæ gratiæ subsidia impetranda. Siquidem in omnibus ęquè actionibus malis ac bonis physice & efficaciter à Deo præmoueantur ac prædeterminentur, eorumque omnes æque actiones culpam lethalem continent, quamquam diuina erga Caluinistas indulgentia, ob specialem fidem non imputentur. Conferre forsan poterit ad conciones accuratius parandas & prolixius pro more suo habendas, quibus Sacram Scripturam deprauent, & in summum Pontificem Pontificiosque debacchentur, sed raro eas conciones ieiuni suscipere dicuntur. Superest igitur,

Tertia vtilitas quod ieiunium sit humilitatis & pœnitentiæ signum externum, quod ipsum quoque non displicet Deo, cum inde permotus dicatur in sacris litteris ad ignoscendum Achab impio coram se humiliato, verum si simulata sit & non vera pœnitentia, erit ieiunium malitiæ quoddam operimentum, Deoque plurimum displicebit, qui cor intuetur, &

omne ieiunium auersatur hypocritarum. Falli possunt homines quibus non raro per ieiunia aliasque pœnitentiæ notas externas imponitur. At falli non potest Deus, nec eget externo humilitatis ac pœnitentiæ signo, nisi verè ex interiori virtute atque animi affectione gignatur, vt sese homines ad humiliandum coram Deo hoc exteriori signo prouocent, tanti non est cum ad id plus energię viua vox ministri prædicantis obtineat. Potior Dei quam hominum habenda est ratio atque hoc fine potissimum ab homine Christiano suscipiẽda est pœnitentia, ac pœnitentiæ signum & argumentum ieiunium, vt diuino numini placeas, vt eius maiestati de peccatis admissis facias satis, vt bonitatem concilies ac propitiam reddas, ad pœnas vitæ alterius imminuendas & mitigandas, tum tibi, tum proximo, cuius gratia ieiunas. Quæ charitatis officia cum negent aduersarij, quid illis confert hæc vtilitas, quod ieiunium sit humilitatis & pœnitentiæ signum? Cum sit inane, fallax, illusorium in Dei bonitatem contumeliæ ac blasphemię plenum. Reliqua est ea vtilitas, quam ex Hieron. diximus adijciendam, quam Epicuræi quidem non sunt magnopere probaturi. Est enim eorum profuso luxui planè aduersaria, sed continentiæ studiosis longè saluberrima. Absque gustu & cibis impossibile est humanum corpus subsistere, adesse ergo debet ratio, vt tales ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec animæ libertas pręgrauetur; nemo vno aut duobus cibis, hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium & saporis delectatione percipitur, cum varijs nidoribus fumant patinæ, ad esum sui expleta esurie quasi captiuos trahunt, vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint nisi citò ablatione sanguinis imminuãtur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere, & idcirco necessariã esse demptionem

nem, vt rursum habeant in quæ possunt crescere, non enim manere in vno statu naturam corporum, sed aut crescere semper aut decrescere: nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus vir doctissimus Hippocratis interpres, athletas quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasq́; eorum ita nimio sanguine & adipibus, quasi luto inuolutas nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare: His igitur opus maximè ieiunio & addit qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo & castigato victu, quæ λεπτηδίαιτα dicitur. Quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & seruari potest. Legimus quosdam articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos conualuisse. Sed ad Epicurçorum sensum & gustum parum opinor accommodatè. Alia quædam vtilitas ab Epicuræorum scopo non aliena suggeritur ab Aug. non laudatur in eo ieiunium, qui ad luxuriosam cœnam seruat ventrem suum: inuitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, & cum ad eam volunt auidè venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & non potius luxuriæ deputandum est. Ieiunare magnum opus est, Christianum opus est, sed nolo citò laudare, nisi quæras causam. Negotium ventris agitur, non religionis &c. Talia ieiunia sunt Epicuræa, quę non aduersus ventrem, sed ventri gulæ & luxuriæ militant vt maiore cum auiditate sese resarciant.

In Psal. 41.

Can. 5. quomodo & Nicenum primum loquitur, vt mundum & so-
de ieiun lenne Deo ieiunium possit offerri. Tertull. sacrificia Deo
Quadrag. grata dico ieiunia seras & aridaselcas. D. Leo. pro consum-
De resurr. carnis. mata perceptione omnium fructuum dignissimè largitori omnium Deo continentiæ libamen offertur.

Serm. 2. de ieiun 10 mens. 1. Reg. 7 Ioan. 3. Ex veteri testam. ieiunantes filij Israel cum Samuele Deum placarunt, & de hostibus victoriam retulerunt. Niniuitarum pœnitentia non caruit effectu. Iudæi sub Esther Regina & Mardochæo imminens suæ genti excidium ieiunijs auerterunt. Iudith similiter ieiunio truncauit Holofernem: & eius omnem profligauit exercitum.

2 In Ioun. 1. Reg. 1 Daniel 1. 2. Reg 12 Tob 3. Quod valeat ieiunium ad impetrandum Dei beneficia temporalia & sempiterna probat Hieron. Anna vxor Elcanę inanem cibo ventrem filio meruit implere. Periclitantur in Babylone magi, Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio. Rex quoque Dauid ieiunio se macerat & affligit, quo periclitanti filio vitam impetret. Sara per ieiunium à Dæmone liberatur, erat enim id dæmonium ex eo genere, de quo Dominus hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Postremò, quod ieiunium sit impetratorium, satisfactorium & meritorium, non secus atque oratio & eleemosyna colligitur ex ijs quæ tradit Dominus Matth. 4. Nam inter hęc tria bonorum operum genera nullum est discrimen, par est omnium ratio & conditio vt ex Domini sermone colligi-
Matt. 4. tur. *Tu autem cum ieiunas* &c. *Et pater qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quod quæso reddet nisi mercedem? Quam eandem reddet orantibus & eleemosynam largientibus, quam mercedem ab hominibus hypocritæ recipiunt, *amen dico vobis receperunt mercedem suam*, qui sincerè & non simulate pijs operibus vacant illam expectant ac recipiunt à Deo. Quod ait Caluinus mercedem accipiendam impropriè cum merces quoque promittatur orationi, & tamen id quod orationi datur magis est donum quam merces, deinde diuersam esse


ratio-

rationem orationis & ieiunij, quod oratio pertineat ad Dei cultum, & est præcepta, non ita ieiunium, quod est opus indifferens: rectè confutatur à Bellarmino Caluini ratiocinatio tota falsitate ac mendacio constat & ex vtraque parte vacillat, licet enim orationi, qua oratio est & refertur ad impetrationem, magis respondeat donum, quàm merces, tamen eidem quatenus ab homine Dei amico & filio prodit, ampla merces rependitur, & quatenus laboriosa est ac corpori molesta vim obtinet satisfaciendi & pœnas peccatis debitas imminuendi, eadem oratio opus est impetratorium, quatenus est petitio rerum decentium, & satisfactorium, quatenus molestiam aliquam & difficultatem continet, est meritorium, quatenus opus pietatis & religionis in charitate perfertur. Similiter ieiunium vt iam sæpe ostendimus non est opus medium, sed virtutis actus cum ex honesto fine suscipitur, cui proinde conueniat triplex illa dignitas ac ratio meriti, satisfactionis, & impetrationis, quæ cęteris quoque conuenit operibus in diuina gratia peractis, quæ triplex dignitas & conditio bonorum operum CHRISTI imprimis Domini meritis accepta est referenda, & ab infusa per eum gratia qua CHRISTO capiti viua membra cohæremus exoritur. Quę cum ita sint, cum ad gratię diuinæ subsidia largius à Deo impetranda plurimum possit ieiunium, præsertim orationi atque Eleemosynę coniunctum. Cum nunquam Deus sese à nobis liberalitate vinci patiatur, quo amplius eius honoris studio te ipsum afflixeris, ac maceraris; eo in te munificentius gratiæ suæ dona sit collaturus, cum gratiæ & gloriæ quæ illi respondet æqua mensura promerendæ ac consequendæ maximum adiumentum sit ieiunium, satis apparet quocumque in gradu vię ac vitæ spiritalis consistas oportunum atque vtile adeoque prope necessarium esse ieiunium; siue ad huc in limine & inchoatiuum purgantiumque

primo

iunetur in memoriam CHRISTI sepulturę, mœroris San-
ctissimæ matris ac discipulorum, qui se isto biduo ob metum
Ad Casulan. Epist. 86. Iudęorum occultabant? S. Augustin. aliâm quoque causam
profert, ob quam sabbatho ieiunetur, quod Apostolus Pe-
trus cum Simone Mago certaturus pridie toti Ecclesię ieiu-
nium indixerit; cumque morem consecuto glorioso effectu
& Romana Ecclesiâ & nonnullę Occidentales retinuerint.
Coll. 3. c. 10. Sed verisimilior, & potior ea causa est, quam reddit Inno-
cent. tum vt à Iudæis, quam longissimè recederent, quâ
de causâ minimè feriabantur eâ die, ne quid haberent cum
illis commune, sat habentes si sabbathum in diem Domini-
cam transtulissent, de quâ translatione Tertull. ęque si diem
solis lætitiæ indulgemus, aliâ longè ratione, quam religione
solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem solis otio, & vi-
ctui decernunt exorbitantes & ipsi in Iudaico more, quem
Apolog. 16. ignorant. Adde quod sabbathum peruigilium est diei Domi-
nicæ, quâ maximè à fidelibus sacra Eucharistia frequentari
solet, ad quam rectissimè se illi ieiunio comparant. Non
desunt qui suspicentur à Græcis posterioribus additum cano-
ni Apostolorum, & Epist. S. Ignatij diem sabbathi, nam
Epiphan. qui sæpe citat canonē Apostolorum, tantum exci-
pit diem Dominicum, cumque solum veteres excipęre so-
De corona militis. Epist. 83. præfat. in Psal. lent Tertullianus, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus &
alij in odium Manichæorum, qui ordinariè ieiunabant die
Dominico, vt ipsi ieiunio resurrectionem Domini falsitatis
arguerent. Priscillianistæ Dominico, & natali potissimum
ieiunare consueuerant, vt indicat S. Leo, eundem diem
Dominicūm ieiunio destinabant Eustachius & Arrius eorum-
que discipuli; quem & hodie potissimum designant hęretici
nempe in Ecclesiæ & CHRISTI resurgentis contemptum;
& sanè designandus foret, si publici conuentus ratio habe-
retur, aut non nisi publici negotij causâ ieiunium esset susci-
piendū. Ad hanc quęstionē ~~a diuinis~~ Licinio Bætico propo-
sitam vtrum sabbatho ieiunandum sit, quemadmodum Ro-
mæ,

mæ, & in Hispania moris esset, respondet traditiones Ecclesiasticas, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti; atque vtinam omni tempore ieiunare possemus: quod in Actis Apostolorum, diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus: eadem fuit responsio S. August. & Ambros. qui licet existimarent conuenientius non ieiunari sabbatho, tamen cuiusque prouincię ac Ecclesiæ, in quâ quis commoraretur, obseruandam consuetudinem, Ambros. Monicæ Matri S. Augustini se cum esset Romæ ieiunare dicit cum Mediolani non ieiunare. *Aug. ep. 36. ad Vrbic.*



CAPVT XXII.

De fructibus ieiunij, quos non negant aduersarij.



IN castris Iouiniani Epicurei Christiani vt eum vocat Hieron. Ducis ac Principis Epicureorum huius æui, egregiè militant Lutherani & Caluiniani, qui ex Iouiniani dogmate ieiunium ciborumque delectum ad salutem nihil contendunt omnino conferre, sed ipsa tamen veritate conuicti, ne aduersus eam videantur pertinaciter contumaces, aliquid valere aiunt, ad carnis concupiscentiam coërcendam, ad orationis & contemplationis studium, ad humilitatis & pœnitentiæ

nitentię signum externum, cæterum perquam obstinatè negant aliquid valere ad Deum placandum & propitiandum, ad satisfaciendum pro peccatis, ad impetranda diuinę gratiæ præsidia, ad cœlestis felicitatis præmium promerendum, qui quatuor postremi fructus sunt omnium longè præcipui, ijdemque præclari fines ob quos ieiunia suscipiantur, quos fines & fructus cum pernegant, an non à ieiunio pro virili nos auocant ac dehortantur. De his posterius agemus nunc de tribus prioribus quos non negant, quibus quartum adijcere licet ex S. Hieronym. medicorumque sententia, ad morbos euitandos, aut percurandos ad valetudinem tuendam ac confirmandam. Est enim ieiunium, vt de quadragesimali canit Ecclesia corporibus animisque curandis salubriter institutum. Principio igitur, ieiunium perquam vtile esse ad carnem edomandam, eiusque concupiscentias coercendas ipso vsu & experimento certissimum est, quemadmodum subductis lignis sensim ignis imminuitur, oleo exinanito lampas extinguitur, sic & detracto fomite sopitur ardor concupiscētiæ, quale discrimen est inter iumentum bene pastum, luxurians; & inedia confectum & fame prope fatiscens; tale est inter ieiunantem & cibo potuque se farcientem. Atque hoc nomine Deo quoque placet ieiunium, cui placet carnem nostram edomari cum vitijs & concupiscentijs crucifigi. De ieiunio loqui existimatur Apostolus, cum ait: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo*. Ex interpretatione Chrysost. Theophylact. & Ambros. [illegible] eiusdem Ambrosij hymno, quem ad primam recitamus, Ecclesia precatur carnis terat superbiam potus cibique parcitas. Pluribus possit hæc vtilitas SS. PP. sententijs confirmari, sed nihil admodum illa pertinere videtur ad aduersarios qui negant prauæ concupiscentiæ motus comprimi posse, quibus deest arbitrij libertas, qua contra nitantur ac frustra diuinę gratiæ opem implorarint, cum primos ipsos motus, adeoque concupiscentiam volunt habere rationem culpæ læthalis, qui non existimant pœniten-

tię

tiæ & mortificationi dandam operam, quo enim fine sese frustra cruciarent ac macerarent? cur sine causa corpus ieiunijs attenuarent? Altera vtilitas ad animum rerum cœlestium contemplationi atque orationi comparandum multis exemplis illustratur; Moyses ad Dei colloquium in monte Sinay, legemque accipiendam 40. dierum ieiunio sese instruxit. Elias ad Deum in monte Oreb videndum sub auræ tenuis specie, 40. quoque dierum præuio admissus est ieiunio; Daniel ad reuelationum cœlestium capienda secreta trium-hebdomadarum ieiunio se præmuniuit, præcipuas quasque solemnitates Ecclesia præcurrit antegrediente ieiunio præmissis vigilijs, vt animo expurgato riteque comparato vberiore fructu & sensu pietatis maiore rebus diuinis assistat. Qua de re S. Bernar. peruigilio S. Andreæ: Ieiunium, inquit Chrysost. animę nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & diuina contemplari queat, eamdem vtilitatem aptissimis similitudinibus D. Basil. explicat, sed nec illa videtur vtilitas magnopere aduersarijs profutura, quibus nil opus est oratione, ad diuinæ gratiæ subsidia impetranda. Siquidem in omnibus ęquè actionibus malis ac bonis physice & efficaciter à Deo præmoueantur ac prædeterminentur, eorumque omnes æque actiones culpam lethalem continent, quamquam diuina erga Caluinistas indulgentia, ob specialem fidem non imputentur. Conferre forsan poterit ad conciones accuratius parandas & prolixius pro more suo habendas, quibus Sacram Scripturam deprauent, & in summum Pontificem Pontificiosque debacchentur, sed raro eas conciones ieiuni suscipere dicuntur. Superest igitur,

Tertia vtilitas quod ieiunium sit humilitatis & pœnitentiæ signum externum, quod ipsum quoque non displicet Deo, cum inde permotus dicatur in sacris litteris ad ignoscendum Achab impio coram se humiliato, verum si simulata sit & non vera pœnitentia, erit ieiunium malitiæ quoddam operimentum, Deoque plurimum displicebit, qui cor intuetur, &

omne ieiunium auersatur hypocritarum. Falli possunt homines quibus non raro per ieiunia aliasque pœnitentiæ notas externas imponitur. At falli non potest Deus, nec eget externo humilitatis ac pœnitentiæ signo, nisi verè ex interiori virtute atque animi affectione gignatur, vt sese homines ad humiliandum coram Deo hoc exteriori signo prouocent, tanti non est cum ad id plus energiç viua vox ministri prædicantis obtineat. Potior Dei quam hominum habenda est ratio atque hoc fine potissimum ab homine Christiano suscipiẽda est pœnitentia, ac pœnitentiæ signum & argumentum ieiunium, vt diuino numini placeas, vt eius maiestati de peccatis admissis facias satis, vt bonitatem concilies ac propitiam reddas, ad pœnas vitæ alterius imminuendas & mitigandas, tum tibi, tum proximo, cuius gratia ieiunas. Quæ charitatis officia cum negent aduersatij, quid illis confert hæc vtilitas, quod ieiunium sit humilitatis & pœnitentiæ signum? Cum sit inane, fallax, illusorium in Dei bonitatem contumeliæ ac blasphemiç plenum. Reliqua est ea vtilitas, quam ex Hieron. diximus adijciendam, quam Epicuræi quidem non sunt magnopere probaturi. Est enim eorum profuso luxui planè aduersaria, sed continentiæ studiosis longè saluberrima. Absque gustu & cibis impossibile est humanum corpus subsistere, adesse ergo debet ratio, vt tales ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec animæ libertas prçgrauetur; nemo vno aut duobus cibis, hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium & saporis delectatione percipitur, cum varijs nidoribus fumant patinæ, ad esum sui expleta esurie quasi captiuos trahunt, vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint nisi citò ablatione sanguinis imminuãtur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere, & idcirco necessariã esse demptio-

nem

nem, vt rursum habeant in quæ possunt crescere, non enim manere in vno statu naturam corporum, sed aut crescere semper aut decrescere: nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus vir doctissimus Hippocratis interpres, athletas quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasq; eorum ita nimio sanguine & adipibus, quasi luto inuolutas nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare: His igitur opus maximè ieiunio & addit qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem nisi tenui cibo & castigato victu, quæ λεπτηδίαιτα dicitur. Quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & seruari potest. Legimus quosdam articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos conualuisse. Sed ad Epicureorum sensum & gustum parum opinor accommodatè. Alia quædam vtilitas ab Epicuræorum scopo non aliena suggeritur ab Aug. non laudatur in eo ieiunium, qui ad luxuriosam cœnam seruat ventrem suum: inuitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, & cum ad eam volunt auidè venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & non potius luxuriæ deputandum est. Ieiunare magnum opus est, Christianum opus est, sed nolo citò laudare, nisi quæras causam. Negotium ventris agitur, non religionis &c. Talia ieiunia sunt Epicuræa, quę non aduersus ventrem, sed ventri gulæ & luxuriæ militant vt maiore cum auiditate sese resarciant. *In Psal. 43.*

Tt 2 CAPVT

CAPVT XXIII.

De alijs fructibus ieiunij, quos negant aduersarij.



VI nobis affingunt ieiunium ex opere operato valere ad salutem animę, & ad cultum Dei pertinere; malitiosè & imperitè id agunt qui nunquam priores duos articulos 4. 147. S. Tho. de ieiun. legisse videantur, quærit his articulis, an ieiunium sit actus virtutis, & vtrum sit actus abstinentiæ, quod frustra quæreret, si ieiunium valeret ex opere operato. Distinguitur enim opus operatum ab opere operantis quod vim omnem suam obtinet ex CHRISTI Domini voluntate, & institutione; non ex eo quod sit actus virtutis. v. c. Sacramentum baptismi, qualiscumque sit minister, probus aut improbus, valet ex opere operato. Hoc est ex CHRISTI institutione, non ex merito, aut virtute conferentis. De ieiunio nemo dixit per se valere, cum opus externum possit esse medium, & indifferens, pro ratione finis ex quo suscipitur, & iam proximè diximus illud quandoque seruire gulę atque luxuriæ. S. Tho. art. 1. Triplicem adfert finem suscipiendi ieiunij 1. ad concupiscentias carnis reprimendas, de quo fine Apostolus in ieiunijs, in scientia, in castitate, (2. Cor. 6) quia per ieiunia castitas conseruatur. Deinde 2. vt mens liberius subleuetur ad sublimia contemplanda, vt Danieli accidit

cidit illustrato diuinis reuelationibus post ieiunium trium hebdomadarum. Denique 3. ad satisfaciendum pro peccatis ex testimonio Ioel. Prophetæ, conuertimini ad me ex toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu. Quo ex triplice fine ieiunium est actus virtutis cuius laudes eximias celebrat S. August. quodam sermone: Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis lumen accendit. Act. 2. S. Th. ex Isodor. definiente ieiunium, parsimoniam victus abstinentiamque ciborum confirmat actum esse virtutis abstinentiæ & temperantiæ, quæ circa cibos versatur, tametsi ad alias quoque virtutes referri possit, vt ad religionem si ieiunium Quadrag. tanquam decima totius anni Deo offeratur. Item si ieiunium obseruetur orationis causa, vt animo puriore ac liberiore fiat; aut quia quis edito voto eius sibi legem indixerit. Qui ieiunat vt fidem Catholicam protestetur aduersus Lutheranos, facit actum fidei; qui vt Ecclesiæ obtemperet, obedientiæ; qui vt peccatum admissum puniat, pœnitentiæ; qui vt CHRISTVM imitetur ad Dei gloriam, summæ charitatis. Hoc constituto ieiunium vt est actus virtutis, pertinere ad cultum Dei esseque cumprimis opus Deo gratum & acceptum, quo nobis iratus placetur ac propitietur, probatur ex Euangelio. Anna Prophetissa describitur in templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens Deo nocte ac die, non solum orationibus sed & quotidianis ieiunijs sponte susceptis Deum coluisse. In foribus Euangelij, Anna filia Phanuelis, vniuira inducitur semperque ieiunans & Dominum Virginem longa castitas longaque ieiunia suscepere ieiunijs corpus immolabat Deo, orationibus animum; Beza vertit seruiens Deo parum inseruiens sui præceptoris errori ex Apostol. *Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* λογικὴν λατρείαν rationabilem cultum.

Luc. 2.
λατρεύουσα

Ad Roman. 12.

[illegible]

Can. 5. quomodo & Nicenum primum loquitur, vt mundum & so-
de ieiun lenne Deo ieiunium possit offerri. Tertull. sacrificia Deo
Quadrag. grata dico ieiunia seras & aridas escas. D. Leo. pro consum-
De resurr. carnis. mata perceptione omnium fructuum dignissimè largitori
omnium Deo continentiæ libamen offertur.

Serm. 2. de ieiun 10 mes. 1. Reg. 7 Ioan. 3. Ex veteri testam. ieiunantes filij Israel cum Samuele Deum placarunt, & de hostibus victoriam retulerunt. Niniuitarum pœnitentia non caruit effectu. Iudæi sub Esther Regina & Mardochæo imminens suæ genti excidium ieiunijs auerterunt. Iudith similiter ieiunio truncauit Holofernem: & eius omnem profligauit exercitum.

2 In Iouin. 1. Reg. 1 Daniel 1. 2. Reg 12 Tob 3. Quod valeat ieiunium ad impetrandum Dei beneficia temporalia & sempiterna probat Hieron. Anna vxor Elcanę inanem cibo ventrem filio meruit implere. Periclitantur in Babylone magi, Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio. Rex quoque Dauid ieiunio se macerat & affligit, quo periclitanti filio vitam impetret. Sara per ieiunium à Dæmone liberatur, erat enim id dæmonium ex eo genere, de quo Dominus hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Postremo, quod ieiunium sit impetratorium, satisfactorium & meritorium, non secus atque oratio & eleemosyna colligitur ex ijs quæ tradit Dominus Matth. 4. Nam inter hęc tria bonorum operum genera nullum est discrimen, par est omnium ratio & conditio vt ex Domini sermone colligitur. Matt. 4. *Tu autem cum ieiunas* &c. *Et pater qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid quæso reddet nisi mercedem? Quam eandem reddet orantibus & eleemosynam largientibus, quam mercedem ab hominibus hypocritæ recipiunt, *amen dico vobis receperunt mercedem suam*, qui sincerè & non simulate pijs operibus vacant illam expectant ac recipiunt à Deo. Quod ait Caluinus mercedem accipiendam impropriè cum merces quoque promittatur orationi, & tamen id quod orationi datur magis est donum quam merces, deinde diuersam esse


ratio-

rationem orationis & ieiunij, quod oratio pertineat ad Dei cultum, & est præcepta, non ita ieiunium, quod est opus indifferens: rectè confutatur à Bellarmino Caluini ratiocinatio tota falsitate ac mendacio constat & ex vtraque parte vacillat, licet enim orationi, qua oratio est & refertur ad impetrationem, magis respondeat donum, quàm merces, tamen eidem quatenus ab homine Dei amico & filio prodit, ampla merces rependitur, & quatenus laboriosa est ac corpori molesta vim obtinet satisfaciendi & pœnas peccatis debitas imminuendi, eadem oratio opus est impetratorium, quatenus est petitio rerum decentium, & satisfactorium, quatenus molestiam aliquam & difficultatem continet, est meritorium, quatenus opus pietatis & religionis in charitate perfertur. Similiter ieiunium vt iam sæpe ostendimus non est opus medium, sed virtutis actus cum ex honesto fine suscipitur, cui proinde conueniat triplex illa dignitas ac ratio meriti, satisfactionis, & impetrationis, quæ cęteris quoque conuenit operibus in diuina gratia peractis, quæ triplex dignitas & conditio bonorum operum CHRISTI imprimis Domini meritis accepta est referenda, & ab infusa per eum gratia qua CHRISTO capiti viua membra cohæremus exoritur. Quę cum ita sint, cum ad gratię diuinæ subsidia largius à Deo impetranda plurimum possit ieiunium, præsertim orationi atque Eleemosynę coniunctum. Cum nunquam Deus sese à nobis liberalitate vinci patiatur, quo amplius eius honoris studio te ipsum afflixeris, ac maceraris; eo in te munificentius gratiæ suæ dona sit collaturus, cum gratiæ & gloriæ quæ illi respondet æqua mensura promerendæ ac consequendæ maximum adiumentum sit ieiunium, satis apparet quocumque in gradu vię ac vitæ spiritalis consistas oportunum atque vtile adeoque prope necessarium esse ieiunium; siue ad huc in limine & inchoatiuum purgantiumque

primo

primo ordine verſeris, ſiue ad perficientium illuminantiumque gradum attigeris, ſiue in perſectorum atque vitę culmine ſupremo conſiſtas, ſemper mens ieiunio expurgata, & velut à corporis contagione ſarcinaque prægrauata ante libera non modo ad munus ſuum erit expeditior atque paratior, verum ad diuinæ gratiæ munera recipienda capacior atque inſtructior, ſiue cum mundo confligendum, eiuſque res proſperæ contemnendę & aduerſæ tolerandę, ſiue cum ſpiritibus malignis depugnandum, edomito hoc hoſte domeſtico carneque ſubacta per ieiunium certior erit omnino faciliorque victoria, expeditiorę omni virtute progreſſio ac ſempiternæ fęlicitatis ac gloriæ maiore cum augmento beata conſequutio. Atque hactenus de ieiunio ſpeciatim ſumpto, nunc generatim vt alia quędam auſteritas ac pœnitentię genera continet, pauciſſimis explicemus.

CAPVT



CAPVT XXIV.

De vsu cilicij, qui sæpe sacris litteris commendatur.



VERENDVM est, ne Euangelici Epicuræi ciliciorum omnem vsum ad Mosaycam legem & veterem populum Iudaicum ablegent, nihil ad Euangelicam gratiam & CHRISTI Domini cultores pertinere: nam Caluinus eorum Princeps cum Ioëlis testimonium allegasset, cinis quidem ait & saccus illis forte temporibus magis conueniebant, sed conuocatio fletus ac ieiunium, & quę sunt his similia, non dubium quin ad nostram quoque ætatem pertineant; & aliàs; vt saccum qui idem in sacris litteris est, quod cilicium numeremus inter ritus legales, hodie idem manet apud nos ieiunij vsus, sed cur magis cilicij, quam ieiunij legalis sit vsus? nihil enim in tota lege Mosayca de sacco & cilicio pręcipitur, cum de ieiunio crebrius & prolixe præcipiatur. Vtrumque Caluinus optasset è Christianis moribus ac legibus expungi, sed cilicij tamen grauior hostis, quam ieiunij, est enim cilicium tunica molesta delicatis hominibus Epicurææ sectæ. Idem esse saccum & cilicium in sacris litteris, demonstrant interpretes eruditi & vbicumque vulgatus noster cilicium, Græcus textus habet saccum. Hebraicè vero semper est sac, vocabulum Gallis & Germanis vsitatum. Vnde Latini & Gręci saccum suum confecerunt. Significatque

In Psal. 34. *Ioel. 2. 15.* *Lib. 4. Inst. 12. §. 17.*

vestem asperam & carni molestam, eo consilio indui consuetam, vt carni molestiam creet, vt obseruat Iansen. & alij.
In cap. 47. concordia. Zachariæ 13. legimus pallium saccinum, siue cilicium. Apocalyps. 6. saccum ciliciū. Esther 4. saccus à cilicio distinguitur, sed ille liber canonicus non est, nec Græcè, nec Hebraicè extat. ipsi hęretici passim reddunt, pro sacco cilicium, nisi quod Castalio Matth. 11. ridicule Centonem reddat, nempe vt res ita & vox cilicij parum illi arridebat. Ante legem Mosaycam ipso naturę instinctu cilicium vsitatum fuisse ad iram Dei placandam demonstratur ab exemplo Niniuitarū, aliorumque gentilium, qui licet Iudaicæ legis notitia minimè essent imbuti, tamen ad placandum diuinum numen illo
Ionæ 3. sacco vsi. Niniuitæ non tantum se homines, sed & iumenta pœnitentiæ & humiliationis causa saccis operuerunt. Tirij & Sydonij olim ~~patrata~~ in cinerę & cilicio pœnitētiam egissent, si tanta apud eos miracula fuissent patrata, quanta in Corazain & Betsaida. Syri pręlio ab Israelitis deuicti credidere clementiam ab eis se adepturos, si accingerent saccis lumbos suos, & ponerent funiculos in capitibus suis &c. Sed pręclarum illud est quod de primo parente Adam obseruauit S. Iren. succintorium è ficulneis folijs veluti cilicium & condignum amictum pœnitētiæ sibi & vxori contexuisse in pœnam & vltionem sui peccati ad pœnitentiam agendam, ad clementiam & Dei misericordiam facilius inflectendam. Verosimile
Genes. 37.34. est & Iacob Patriarcham audita morte filij sacco & cilicio se induisse velut externa veste lugubri, non enim vnius eiusdem generis erat cilicium ex pilis reticulato opere contextum, quod proximè ad carnem admoueretur, sed & aliud erat genus, quale quod nauticæ & militari rei modò seruit, in quo & pœnitentię causa somnum capturi, & mortem obituri iacebant. De quo genere dicebat Sanctus Martinus, non decet Christianum nisi in cinere & cilicio mori. De priore potest intelligi illud Iob & illud Dauidis. *Posui vestimentum*
Psal. 68 *Psal. 34* *meum cilicium*, & iterum, *cum autem mihi molesti essent inducłam*

ham me cilicio. Neque tantum Rex pius hoc se velut scuto muniebat, ne in eum ira Dei vindicis desæuiret, sed & impius Achab ad eandem anchoram fugiebat. De quo Regum historia *scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam. Ieiunauitque & dormiuit in sacco & ambulauit demisso capite.* Nec irrito successu, nam hac pœnitentiæ significatione mox inflexit diuinam clementiam. *nonne vidisti*, ait Deus ad Eliam, *humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus eius*, quin & Ioram eius filius pariter impius Syris Samariam arcta obsidione prementibus cilicio diuinam placauit iram. *Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Cum Angelus Israelitas sæuissima peste percutiens apparuisset Dauidi alijsque spectantibus, in area Ornam Iebuzęi. *Ceciderunt tam ipse (Rex) quam maiores natu, vestiti cilicijs proni in terram.* Imminebat Iudæis Holofernes & extremum minitans excidium, *induerant se sacerdotes cilicijs, & qui offerebant Domini holocausta præcincti cilicijs faciebant:* & ipsa Iudith spectatissima fœmina, *habens super lumbos suos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha*, oransque pro successu egregij facinoris quod meditabatur, *induens se cilicio posuit cinerem super caput suum*. Nec dissimili ratione in simili periculo suæ gentis Esther Regina deposuit *vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs, omniaque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit*, exemplum secuta patrui Mardochæi, qui audito Regis edicto de Iudæis internecione delendis, *scidit vestimenta sua & indutus est sacco spargens cinerem capiti, & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens: non enim erat licitum, indutum sacco aulam regis intrare.*

3. Reg. 21. v. 37

4. Reg. 6. v. 30.

1. Paralip. 21. v 16.

Iudith, 4. v. 9. & 16.

Iudith. 8. v. 6. & c 9. v 1.

Esther 14.

Ca. 4. v. 1.

Mathathias & filij eius Antiocho sæuiente *operuerunt se cilicijs*, Machabæus & socij cilicijs protecti ad altaris crepidinem

1. Machab. 2. v. 14.

nem se prostrauerunt; accinctæ mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant. Denique Daniel *posui* (aiebat) *faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiunio, sacco & cinere*. Sed de veteri testamento nimis multa. De Ioannis Baptistæ cilicio posteriùs dicam. CHRISTVM ipsum Dominum vsum austeriore camisa ad exemplum pastorum & prædicatorum, quos conuenit castigare corpus suum, ne reprobi fiant, opinatur Caietanus & Lyranus citans Chrysost. ait inconsutilem tunicam desuper contextam fuisse asperam, qualis est saccus, vel cilicium opere reticulato non fuit certe pretiosa neque mollis ac deliciosa, sed qualis pauperum atque operarum, eius gentis esse consuerat dura & crassiore filo contexta. Franciscus Ximenius refert Gregor. Turonen. diuino oraculo monitum didicisse Sanctissimam Virginem, ex quo templum ingressa est sine cilicio beatam illam carnem compungente vixisse nunquam. Somnum super humo nuda, aut nudis tabulis sine vllo stratu cepisse. Par opinor erat reliqua totius vitæ austeritas, celebratur in in Martyrolog. Rom. & Menolog. Græco S. Theodorus confessor ab aspera cilicij veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus præsertim ad dæmones effugandos claruit, ex cuius corpore vnguentum scaturiens ægrotis sanitatem impertiebat, quo Deus continenti miraculo corpus cilicio maceratum honestabat. Plenæ sunt historiæ Sanctorum, qui hoc genere asperitatis ac pœnitentiæ sunt vsi. S. Zenobius Episcopus Florent. corpus longa inedia, multis vigilijs, assiduis orationibus, hispidis hirsutisque cilicijs sub clericali habitu maiore quam vnquam castigatione macerabat.

Lib. 1 de vit. Christi c. 47.

15. Maij S. Lamberto Leodien. Episcopo, & Martyri, primus amictus interior erat cilicinus, conabatur enim corpus humiliare in terris, vt anima posset in cœlis exaltare. S. Ludouicus Rex, licet tenero ac delicato esset corpusculo, tamen aspero carnem domabat cilicio, vel cum valetudo non fer-

ret

ret ex conſilio Confeſſarij cum alia pœnitentia commutabat. Erunt forte recentiora exempla maiore noſtris incitamento, erunt certe Epicuræis maiore opprobrio; duo igitur proferam ex hac noſtra minima Societate IESV, quam recentiſſima. Thomas Sanchez Theologiæ moralis celeberrimus Doctor cum eſſet innocentiſſimæ vitæ (nullam enim grauiorem culpam contraxiſſe putatur) tenuiſſimæ & infirmiſſimæ valetudinis quam aſſiduis ſtudiorum laboribus, non debilitarat modo, ſed penitus exhauſerat, nam quotidie decem minimum horas non remiſſe, ſed contentè libris impendebat, tamen vſque ad extremum ſpiritum, vſque ad eum quo ereptus eſt, morbum in rigidiſſima carnis maceratione, in incredibili propemodum cibi omnis ac potus abſtinentia perſeuerauit, corpus ſuum acerrimè quotidie verberibus cędebat, aſperrimoque affligtabat cilicio, eo ipſo, quo deceſſit, morbo cum in lecto iaceret febri æſtuans & ad tertium vſque morbi diem appreſſum carni cilicium geſtauit; & in hac exhauſti corpuſculi victoria triumphantem animam Deo reddidit. Huic adiungatur alter Thomas Cottanius Illuſtriſſimus Angliæ Martyr, qui confectis Romæ ſtudijs, cum in patriam valetudinis cauſa remiſſus eſſet, ipſe primo aditu presbyter Catholicus eſt agnitus, ac comprehenſus, ac cum viro nobili traditus eſſet in cuſtodiam ea lege, vt ab eodem Londini ſiſteretur, Pater libertate donatus, ea noluit vti, ſed vt vadem ſuum omni moleſtia liberaret vltro ſe captiuum Londini ſtitit, ad diem condictum in exemplum priſcæ ſinceritatis Catholicę, qua in vrbe anno 1582. horribili illo carnificinæ genere, quod in perduelles Regiæ Maieſtatis reos infligi ſolet, martyrio eſt coronatus cumque ſuſpenſum ac reſpirantem adhuc carnifices veſtibus exuerent, ad exenterandum corque euellendum, repertus eſt aſpero cilicio ad carnem applicito contectus, quo ſpectaculo non parum ipſi quoque ex plebe Hæretici commoti dicuntur. O fortunatam mortem, ſiue confeſſoris, ſiue Martyris in cilicio ſacerdotis. Laudare hic poſſim Patres Carthu-

ſianos quibus aſſiduus ac perpetuus eſt vſus cilicij: Patres item Recollectas, Capucinos alios quibus inculta & aſpera veſtis pro cilicio eſt. Sed vt aiunt vinum vendibile non eget hederâ, nec innocentiſſimi Patres mea laude ac commendatione, Deus erit illorum vna laus, & merces ampliſſima.



CAPVT XXV.

Iterum ex cilicio & quæ ſit eius myſtica ſignificatio.



SACCVM & cilicium nihil differre iam diximus, omnium propè gentium linguis ſaccum dici, notant aliqui. vt hoc velut indumento pœnitentiæ omnes gentes in primo parente ſe peccaſſe, vt egere pœnitentia meminerint. De pilis hędorum & caprarum præcipuè texitur ſaccus, & cilicium quę animalia ſunt ſymbola peccatorum reorum & damnatorum. Notum id eſt ex capro emiſſario, ex hædis ad ſiniſtram ſupremo iudicij die collocandis. His pellibus hędinis quæ referebant Eſau piloſum & reprobum, Iacob ſupplantator peccati ſe induit; olim quiuis publicè pœnitens ſe induebat cilicio. De Fabiolæ clariſſimę fœminæ Romanæ pœnitentia teſtis eſt Hieron. Tabernaculum fœderis Dei iuſſu tegebatur ſagis cilicinis, & corpus noſtrum, vt dignum Deo tabernaculum euadat, cilicijs operandum eſt ac macerandum. Paulinus in panegyrico de celſo puero: ſic ſaccum deſcribit

Ex 26, v.7.8.

Si

Si modo lugentem granis hirto tegmine saccus
Caprigenis setis dum tegit & stimulat.

& in vita S. Martini

Quin ex contexto setis coopertus amictu
Exesa assiduo compunxit acumine membra
Vt tereret tenuem vestis nimis aspera pellem.
Et cutis extensis stimulis attacta paueret.

Item.

Multis vestis erat setis contexta cameli,
Qua leuibus stimulis vigiles contexerit artus,
Excludens tenuem compuncta carne soporem,
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus
Lasciua &c.

Miserat S. Paulino Seuerus Sulpitius muneri pallium cilicinum de quo prolixa epistola gratias agit, arcanaque eius aperit mysteria: necessaria, inquit, peccatoribus & peccata deplorantibus, & habitu indigentibus pallia camelorum pilis texta misistis; quę nos in conspectu altissimi stratos vtilibus stimulis admoneret, dum asperitate setarum compungimur, & peccatorum nostrorum horrore compungi atque intus spiritu contexi, dum extrinsecus terunt habitum. Multa pręterea in eorum vsu, de veterum recordatione sanctorum conformandæ fidei emolumenta referuntur, veniunt in mentem translatus Elias, & præmissus Ioannes, quorum alterum hispida setis zona cingebat, alterum pili camelorum hirtó tegmine vestiebat; reminiscimur etiam Dauidis & omnis mansuetudinis eius, qua contritum cor & humiliatum Deo sacrificans, induebat se cilicio, & operiebat in ieiunio animam suam, vt eam spiritali satietate contegeret, D. Hieron. simile munus misit aliquando Lucinio Bœtico & eius Coniugi in CHRISTO sorori castissimæ, ego, inquit, insignia paupertatis, & quotidianæ symbola pœnitentię tibi & sorori tuæ misi, quatuor ciliciola apta proposito, & vsibus vestris. Cilicij porro & pulueris seu cineris, qui & ipse argumentum

est

est pœnitentiæ mysticam significationem eleganter explicat in illud Threnorum 3. ponet in puluere os suum. Ille in puluere ponit os suum, qui humiliter sentiens fragilem se cognoscit, & de puluere se factum, iterum in puluerem reuersurum fatetur, &c. In fauilla & cinere pœnitentiam agere est contemplata summa essentia, nihil aliud quam fauillam cineremque se cognoscere. Vnde ciuitati reprobæ in Euangelio
Matth 11. v. 21. Dominus dicit: *si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum, & idcirco vtrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in compunctione cilicij cognoscamus quid per culpam fecimus; & in fauilla cineris perpendamus, quid per vitium facti sumus: considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, considerentur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum, quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid facit. Videat in cinere vsquequo peccando peruenit. Potest quoque per cilicium ipsa in reprehensione atque pœnitentia dolorum compunctio designari. Nam hoc quod ait S. Iob. ipse me reprehendo, quasi quodam cilicio pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur, in cinere autem agit pœnitentiam quia ex primo peccato, quid per iustum Dei iudicium factus sit solerter attendit dicens: ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

Deniq; Beda in cilicio quod de pilis caprarum contexitur asperam peccati pungentis memoriam qua in die iudicij sinistra pars induenda est, significat, in cinere autem mortis considerationem per quam tota humani generis massa in puluerem est redigenda demonstrat, nimis fortasse prolixa videatur hęc omnis oratio, ac tetrica mollibus & delicatis Epicuræis, quibus hęc molestæ tunicæ molesta est mentio, & quibus ille magis arridet Apostoli locus: *Nemo carnem suam odio habuit,*

Ad Ephes. 5. v. 24.

habuit, sed nutrit & fouet eam, sed quibus & alter ille Apostoli locus obijciendus, *qui autem sunt* CHRISTI *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*; Item; *ergo, fratres debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis,* si ex Domini præcepto odio est habenda anima ipsa, quanto magis caro quę plurimum gratiæ ac spiritui aduersatur, itaque nemo carnem suam odio habet, quâ homo est, quisque sui amantissimus, sed qua Christianus, euenire potest vt carnem animamque oderit, odio maximè salutari, quod odium veri solidique amoris rationem continet, quomodo pater amat filium, quem castigat, & quem diligit Dominus castigat, *flagellat autem omnē filium quem recipit*. Præclarè quodam sermone S. Aug. disciplinam qui abijcit infœlix est, bene potest addi ad istam sententiam: sicut disciplinam qui abijcit, infœlix est, sic disciplinam qui negat, crudelis est &c. Exemplum ante oculos pono, Pater quando ferit amat. Addit & aliud exemplum medici, quid tam pium quā medicus ferens ferramentum? plorat secandus, & secatur; plorat, vrendus & vritur, non est illa crudelitas, absit vt sęuitia medici dicatur, sęuit in vulnus, vt homo sanetur quia si vulnus palpetur, homo perditur dum nimis indulgetur carni, proteruit, luxuriat, atque in dominam rationem ancilla recalcitrat, eiusq; imperium excutit; ergo frænanda est, & cilicij & flagellorum asperitate coercenda.

Galat. 5.24.
Rom. 8. 12.13.
1. De Serm. Domini in monte.



CAPVT XXVI.

De disciplinarum seu flagellorum vsu.



SCRIPSIT P. Gretserus tres libros omni genere eruditionis, documentorum & exemplorum copia & varietate refertos, è quibus paucula mutuabor. Imprimis Apostoli locus, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Ad hoc castigationis genus pertinere videtur, nam vox Græca ὑπωπιάζειν ipsis quoque aduersarijs interpretibus id significat. Erasmo coerceo, cohibeo, subigo. Hieron. macero subijcio, reprimo, alijs vibicibus & plagis scatens reddo. Paulinus apud Aug. liuidum facio. Alij contundo, sigillo vt solebant pugiles pugnis & cæstibus, ac licet metaphora petita sit à pugilum certamine, tamen Apostolo potius adhibenda fides, quam hæreticis interpretibus qui alio detorquent, cum Paulus asserat se contundere, sigillare corpus suum tanquam maximè aduersarium, cui cum ipsi pugna ac lucta pertinax intercedebat. Sane Caluinus cōmentans Apostoli verba videtur id agnoscere, sic enim ait Budæus, verbū legit obseruo, meo tamen iudicio ὑπωπιάζειν posuit Apostolus pro seruiliter exercere, testatur enim se non indulgere sibi, sed proprios affectus reprimere, quod fieri nequit, nisi corpus dometur, & coercitum à suis cupidi-

2. Corin. 9. 27.

cupiditatibus ad obsequium assuescat instar ferocis equi ac petulantis: qui sane coerceri nequit nisi fræno & calcaribus, stimulis & verberibus. Addit Caluinus huic pręcepto veteres Monachi, cum parere vellent multa disciplinę exercitia excogitabant, dormiebant in scamnis, cogebant se ad longiores vigilias, fugiebant lautitias quin & cilicijs & flagellis crebris se macerabant (at quod præcipuum erat, illis defuit) non enim tenebant, cur hoc Apostolus pręcipiat alterius præcepti immemores, ne carnis nostræ curam geramus ad eius concupiscentiam. Omnino tenebant, & scopum Apostoli præ oculis semper habebant ne reprobi fierent, non enim inani fiducia ac præsumptione Caluiniana laborabant CHRISTVM induere cupiebant, non carnis curam gerere in desiderijs. Proximus lapsui est qui carnem suam molliter habet, qui laxatis habenis illi indulget in via lubrica ad lapsum procliui, cuius carnis ope potissimum hostes cæteri insidias struunt, ac non raro victoriam reportant. Chrysost. allegatus à Pet. Fabro notat dici castigo, & in seruitutem redigo, non autem occido, non enim corpus est loco inimici necandum & opprimendum, sed sugillo & in seruitutem dedo, quod Domini est non hostis, magistri non inimici, pedotribæ non aduersarij, castigatio moderata esse debet, ne maius nocumentum afferat, & animum vna cum corpore pessumdet. Iam vero cum cęteræ rationes omnes castigandi corpus per ieiunia, cilicia, humicubationes, peregrinationes valde probentur vt satisfactoriæ & meritoriæ si peragantur in Dei gratia, plurimumque valeant ad Dei dona & beneficia impetranda, cur non & disciplinarum vsus maximè probetur, eamdemque vim satisfactionis & meriti, & impetrationis habere conuincatur, nec refert an quis à seipso cædatur, & flagelletur, an ab alio cædi se patiatur, ac velit, tota enim vis in patiendo est, non in agendo multisque huic querelæ satisfacit Pet. Damianus & Gretserus. L.2.c.8.

S. Hilarion iratus sibi, & pectus pugnis verberans quasi

cogitationes cæde manus posset excludere, ego, inquit, asellé faciam, vt ne calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum potius, quam lasciuiam cogites. S. Hieron. de se ipso testatur, diem precando sæpe iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. De pœnitentibus apud
Grad. 5. Climac. mira legere est, sed delicatis Epicuræis incredibilia & exosa. Superat omnem non imitationem modo, verum & admirationem. Exemplum S. Dominici loricati, nec ab eis fidem obtinebit, qui aliquantis ante obitum annis, inquit Damian. virgarum scopas in corrigiarum scuticas, lora vertisse dicitur. Semelque gustato, quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuisse. Hoc flagellum, si quando egreditur ad sæculum, portabat in sinu, vt vbicumque eum iacere contingeret, à verberibus non vacaret. S. Dominicus auctor ordinis Prædicatorum semper ad lumbos catenam habebat ferream, nec sat erat, viro Dei perpetuis vigilijs carnem macerasse suam, sed eam quamuis innocentem & virgineam, multis verberibus & castigationibus atterebat, singulis enim noctibus ter catena ferrea se flagellabat, primò pro se ipso, tũ propter peccatores in mundo degentes. 3. Pro animabus pœnas in purgatorio luentibus. De eodem S. Dominico idem scriptor, verberabat ipse sese, & ab alijs curabat verberari, & cædi catena ferrea. Non minus admiranda quam imitanda, omnique ratione inspicienda est historia quam narrat S. Bonauentura de S. Francisco: cum apud eremum de sartiano, nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocauit eum hostis antiquus 3. dicens, Francisce, Francisce, Francisce, qui cum quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subiunxit, nullus est in mundo peccator cui si conuersus fuerit, non indulgeat Deus, sed quicumque se ipsum pœnitentia dura necauerit, misericordiam non inueniet in æternum, statim vir Dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam, quomodo

modo nisus sit eum ad tepida reuocare, nam hoc sequens indicabit euentus: continuo enim post hoc ad insufflationem illius, cuius habitus prunas ardere facit, grauis ipsum tentatio carnis apprehendit, quam vbi pręsensit castitatis amator, depositâ veste, cordâ cœpit se verberare fortissimè; Eia, inquiens, frater asine, sic te decet monere, sic subire flagellum: tunica religioni deseruit, sanctitatis signaculum pręfert, furari eam libidinoso non licet, si quo vis pergere, perge, insuper & mirando feruore spiritus animatus, aperta cella foras exiuit in hortum, & in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens suo sic exteriori homini loquebatur, ecce inquit, hæc maior vxor tua est, quatuor isti duo filij, & duæ filiæ, reliquæ duæ seruus & ancilla quos ad seruiendum habere oportet, festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur, &c.


Idem Franciscus corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cędendum flagellis, & vili pabulo sustentandum nempe præclarum illud Ecclesiastici monitum, exequebatur, *cibaria, & virga & onus asino, panis & disciplina & opus seruo.* Certè quo quis ardentiore flagrat amore Dei, se ipsum & corpus maximè, quod ad pietatem maximo est impedimento, vehementiore solet odio persequi, quod odium salutare ad verbera infligenda & suscipienda cum id poscit salutis nostræ perfectionisque ratio, & Dei gloria, propellit. Quare & B. Pater noster S. Ignatius à primo suę conuersionis exordio statim atque à paterna domo digressus, ædem sacram B. Virginis in monte Serrato petere instituit, singulis noctibus acerrimè se ter diuerberabat, quamquam non tam vt meritas à se numinis diuini offensi pœnas exigeret, quam vt eius sanctissimæ voluntati rem acceptam faceret, ita Deus illum iam tum ad optima quæque dirigebat. In hoc genere pœnitentiarum externarum maximè censebat expedire B. P. vt doloris sen-

33. 25.

ſus carne tantum exciperetur, nec ad oſſa peruaderet, cum infirmitatis periculo. Quare flagellis, inquit, potiſſimum vtemur ex funiculis minutis. quæ exteriores affligant partes, non autem adeo interiores, vt valetudinem aduerſam, cauſare poſſint. Quod attinet ad hæreticos qui flagellantes appellati ſunt, nihil mirum ſi ab Eccleſia condemnati fuerint non propter flagella, quæ hodie paſſim retinentur, & cum laude pietatis vſurpantur, non tantum à viris religioſis, ſed à ſęcularibus omnis ætatis ſexus ac conditionis; quamquam hæretici iſti forſan immoderatè flagellis abutebantur, in ijſq; ſpem omnem ſuę ſalutis & collocabant & perfectionis apicem, non, inquam, propter flagella, ſed propter errores damnati ſunt, quos refert Prateolus verbo flagellantes præcipuè quod ab aduentu ſuę ſectę Euangelium ceſſaſſe & baptiſmum aquæ in baptiſmum ſanguinis commutatum fuiſſe aliaq; eiuſmodi delirameuta, velut articulos fidei propugnarent. Rationes vero quibus Gerſon. pugnat aduerſum ſe flagellantes, accuratè diſſoluit Gretſerus l. 2. c. 5. & deinceps.

L. 2. c. 5.


CAPVT





CAPVT XXVII.

De Ioannis Baptistæ pœnitentia quam deprauatis scripturis obscurant, ac peruertunt hæretici.



DESERTVM Baptistę celebrant omnes Euangelistæ à prima pueritia, ac propemodum infantia petitum: *Et erat in desertis locis vsque ad diem ostensionis suę in Israel,* vestitum victumque asperiorem accuratè describunt. Matth. & Marc. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre*, eisdem propè verbis S. Marcus vsus. *Erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, locustas & mel silnestre edebat.* Exemplar absolutæ & perfectæ pœnitentiæ, ipso habitationis loco, inculta & vasta eremo, victus vestitusque inusitata seueritate, prædicationis pœnitentiæ nouitate admirandus, totus vox pœnitentiæ, & habitu, & victu, & commoratione in deserto, talis locus, talis victus, vestitus cultusque corporis. CHRISTI prodromum mundi contemptorem cælestis regni præconem, omnino decebat, vt quando miraculis quę CHRISTO reseruabantur, auctoritatem sibi non pareret, hoc inusitato certè vitæ genere, ac pœnitentiæ austeritate conciliaret, ipsique Saluatori magis exemplo ac vita, quam voce ac prædicatione præiret;

Luc. 1. 80.

Matt. 3. 4.

Marc. 1 6.

præiret; vt ab eius verbis facta non diſſiderent, quam prædicabat pœnitentiam ipſe ante omnes ad omnibus vſurparet. Verùm homines ridiculi ac prophani, quibus odioſa eſt omnis pœnitentia, ne ab Epicuræa ſecta diuellantur apertiſſimas haſce ſcripturas deprauare non verentur. Nam deſertum in paternam Baptiſtæ domum, in regionem montanam aut piſcoſam pratis irriguam commutant, veſtem cilicinam in pannum vulgarem, quo homines montani, aut vulgares vterentur, imo quidam in ſcutulatam & vndulatam Regum ac Principum propriam transformant; locuſtas aſſerunt fuiſſe genus cancrorum, optimorum piſcium, quos piſcatores tanquam lege prohibitos & immundos eijciebant ad littus. Sed Ioannes Euangelicæ libertati prçludens, non reſpuebat. Ita Lutheranus erat Baptiſta, tanto ante natum Lutherum repudiato omni ciborum diſcrimine. Debuerant locuſtas potius in phaſianas aues aut perdices transformare, vt Baptiſtam in Epicuri caſtra planè traducerent. Non numerat, ait Caluinus, Euangeliſta inter præcipuas virtutes quod rudi & auſteriori viuendi formę addictus; etiam mediocrem vſitatamque munditiem fugerit, ſed quia prius dixerat montanum fuiſſe hominem, nunc ſubijcit victum ac veſtitum habitationi conſentaneum fuiſſe. Mox Catholicos reprehendit, quod perfectam iuſtitiam in externis laruis conſtituant, & quod finxerint Ioannem in vita ſolitaria à communi more viuendi abhoruiſſe, ſicut Eremitæ & Monachi. Hoc nimirum pupugit hæreticos & inſtitutum vitæ Religioſæ ac monaſticæ hiſce fælicibus auſpicijs inchoatum à Baptiſta ferre non potuerunt. Audiant tamen vel inuiti vetuſtos Patres, id aſſeuerantes Chryſ. ſicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ita & Monachorum Princeps Ioannes Baptiſta, & iterum conſiderate Monachi dignitatem veſtram, Ioannes Princeps eſt veſtri dogmatis, ipſe Monachus, ſtatim vt natus in eremo viuit, in eremo nutritur. Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & vt ad ſuperiora conſcendam, Princeps Ioannes

Margin notes: Magdeburg. l. 1 c. 10. — Dauid. Citr. in Matt. 3. — Beza apud [illegible] (handwritten) — Homil. 1. in Marc. de Ioa. Bapt. — Hieron. ad Euſtochi.

nes Baptista. Idem aduersus Iouinianum: Præcursor eius & præco Ioannes locustis alitur, & melle siluestri, non carnibus habitatioque deserti & incunabula Monachorum talibus inchoantur alimentis: de deserto Origenes, non expectauit vt à Patre nutriretur vsque ad diem ostensionis suæ in Israel, sed recessit fugiens tumultū vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abijt in deserta vbi purior aër cælum apertius, & familiarior Deus. Idem ait Zachariam parentem festinasse loqui ad recens natum, quod sciret eum mox deserta petiturum; comparatque cum Moyse, quoad familiarem cum Deo consuetudinem. De eodem deserto Chrysostomus: ab ipsis incunabulis in deserto semper habitauit & Angelicam vitam præ se tulit. Item in terris quasi in cælo versabatur nulli hominum antequam ad baptizandum accederet locutus, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia, neminem vnquam vidit conseruorum, nunquam ab aliquo hominum visus fuit, non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foro, non aliâ re humanâ vsus. Ab ortu vitæ ad occasum forma vitæ & institutio morum fuit. Virginitatis speculum, Martyrum lumen, An[illegible]oretarum Principium, orbis exemplum, Iustitiæ [illegible]

Hom. 11 in Luc.

Hom. 10 in Mat.

Obseruauit Euthymius duplex fuisse desertum in quo Baptista est commoratus, interius quò nemo hominum aut rarissimè penetrabat, in quod Ioannes à prima pueritia se recepit, innocentia ac sanctitate cælestem & Angelicam vitam traducturus. Aliud exterius in regione proxima Iordanis citra illum nullis aut paucissimis habitata mortalibus, haud procul à Ierico, quæ campestria dicerentur, in hoc exterius desertum prodijt Ioannes prædicationis gratia, ætatis anno 30. cum se hactenus austeritate vitæ, oratione, solitudine ad munus præcursoris comparasset. Desertum certè esse non potuit paterna domus in Hebron vrbe sacerdotali, in Montanis Iudeæ, à qua longissimè dissita esset regio circa Iordanem, à cuius ripa non longè describitur Baptistæ spelunca insigni

 miraculo

miraculo illuſtrata, cuius etiam meminiſſe videtur Beda de locis ſanctis, quo forſan alludunt Magdeburſes, qui negant Ioannem in antro aliquo velut vrſum & myſanthropum delituiſſe. Iam de veſtitu victuque Ioannis auſteriore conſentiunt SS. PP. de veſte cilicina vulgares ſunt verſus Paulini conſularis.

Veſtis erat curui ſetis contexta cameli,
Contra luxuriem molles duraret vt artus,
Arceretque graues compunctio corpore ſomnos.

D. Anſelm. cilicium appellat camelinum, de pilis habebat: ait Hieron. non de lana, aliud auſteræ veſtis indicium eſt, aliud luxuriæ mollioris, zona autem pellicea qua accinctus fuit & Elias mortificationis ac pœnitentiæ cingulum eſt. Habitatori ſolitudinis congruum eſt non delicias ciborum ſed neceſſitatem humanæ carnis explere, quam tamen ipſam vix explebat Ioannes aſſiduis ieiunijs, vigilijs, orationibus ſeſe macerans & ad præcurſoris munus inuſitata pœnitentia comparans, qua de re idem Hieron. Quid mihi neceſſe eſt in talis viri laudibus immorari, cum à Deo Patre etiam Angelus nuncupetur (à Caluino homo duntaxat montanus) planè Angelus qui poſt materni ventris hoſpitium eremi deſerta ſectatus, paruulis de ſerpentibus luſit, qui oculis ſpectantibus CHRISTVM, nihil aliud dignabatur aſpicere, qui eloquijs Domini, quæ melle & fauo dulciora ſunt, dignam Deo vocem induit, & ne quęſtionem morer ſic decebat creſcere pręcurſorem Domini. Veſtis aſpera zona pellicea, cibus locuſtę, melque ſilueſtre omnia virtuti continentięque pręparata. Eadem habet ad Lætam: fuit igitur Ioannis veſtis cilicina rudis, aſpera, hirſuta, & ad augendam aſperitatem accedebat zona pellicea vilis & ipſa dura & aſpera veſtem cilicinam premens, & aſtringens. Veſtitui victus reſpondebat minimè lautus, & pretioſus, non panis, non ſemina, non olera multò minus caro pecorum, aut piſcium, ſed locuſtæ volatilia inſecta quales eſui aptæ deſcribuntur in Leuit. Orientales & Libyæ

populos.

populos, inquit Hieron. quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum reperiuntur examina locustis vesci moris est, hoc verum esse Ioannes quoque Baptista probat. Plinius de Parthis, & de Æthyopibus tradit locustis tantum viuere fumo & sale duratis in annua alimenta. Mirum est hæreticos de melle siluestri pro suo acumine nihil excogitasse, aut Isidori sententiam Pelusiotæ de locustis quas ex Græcâ voce *ἀκρίδας* vult esse herbarum & plantarum summitates, non insuaues gustatu, aut apud Bedam Arnulphi Episcopi, qui ad sacra loca peregrinatus retulit esse arbores in deserto folia lata habentes, & rotunda lactei coloris, & melliti saporis quæ natura fragilia manibus confricantur, & eduntur: mirum, inquã, hanc vtramque sententiam non esse eos secutos, sed neutra sanè cum cęterorum PP. interpretationibus consentit, qui mel syluestre tradunt fuisse montanum, quod in cauernis rupium & arboribus cauis apes agrestes conficiebant, locustas verò genus insectorum infirmas habens alas, de tęrra quidem surgens sed altius non volens euolare, vt sit plusquam reptile & tamen auibus non ęquetur. Hieron. August. Scio Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, id est, locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. De potu non meminerunt Euang. sed apertum est ex cibi tenuitate & asperitate nõ alium quam aquæ potum fuisse, quod eius parenti Zachariæ prędixerat Archangelus Gabriel. *Vinum & siceram non bibet.* Potuit hic Calui. dicere, Gabriel Baptistæ sanctitatem in externis laruis constituisse, quid ni cum & ipsius Domini verba perperam interpretari, & per arrogantissimam blasphemiã corrigere non vereatur? *Venit Ioannes ad vos in via iustitię*, irreprehensibilem vitam agens in summa victus & vestitus asperitate, *non manducans neque bibens*, vt Bernard. adijcit, non vestiens, sicut enim locusta cibus non est, ita nec pilus cameli humanum est vestimentum.

L. 2. c. 7. / l. 6. c. 3. / Matth. 2. 32. nõ credidistis ei.

Alias item Dominus præcursorem à doctrina, aut miraculis, sed à singulari vitę sanctitate & austeritate commendat.

Matth. 11.18. Matth. 3. *Quid existis, in desertum videre hominem mollibus vestitum*, intellige & lautitijs nutritum, fuisse lucernam lucentem & ardentem, feruore & zelo prædicationis, & admirabili vitæ exemplo lucentem, sed ad priorem locum nihil aliud sonat iustitiæ nomen ait Caluin. hoc loco quam Ioannis doctrinam puram ac rectam fuisse, ac si dixisset nihil fuisse causæ cur eam reijcerent Pharisęi, sed mox CHRISTVM corrigit arrogantissimè planior fuisset locutio, venit Deus iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans, quod de quouis vitæ pessimæ & Epicuręo Doctore dici posset, si nihil alienum à veritate doceat. Abeat Caluinus & impij nouatores qui præcipuas Ioannis virtutes à CHRISTO Domino & Euangelistis celebratas, suis corruptelis deprauare ac labefactare sunt ausi. Innocentiam vitæ ac sanctitatem quam solitudine & assidua cum Deo cęlitibusque consuetudine sibi compararat. Animi constantiam ac fortitudinem, dum in eo vitę genere austerioris à prima pueritia vsque ad annum 30. imo ad mortem ac martyrium vsque perseuerauit. Mortificationis & pœnitentiæ studium singulare, licet non modo culpæ grauioris, verum ac tentationis expers omnis fuisse videretur. Denique contemplationis & orationis summam quandam præstantiam, non enim Ioannes tot annos perdurasset in deserto, destitutus omni solatio & præsidio rerum creatarum nisi cęlitus immissis gaudijs, ac continenti contemplatione Deo summo bono inhæsisset. Abeant igitur Epicuręi, & neglecta mentis sincera liquidaque delectatione, infimas corporis voluptates more pecudum consectentur. Religiosi præeunte Baptista ad Deum vnicum animi sui bonum aspirent, ac quotidiano orationis mortificationisque studio, pertingant aliquando: illi euadant pecudes, Epicuręi de grege porci; Hi Ioannem æmulati, ex hominibus in Angelos ope diuinæ gratiæ transformentur.

CAPVT.

CAPVT XXVIII.

De instituto Anachoretarum.



TRIA sunt in Ægypto, vt narrat Hieron. genera Monachorum primum Cœnobitæ, quod illi Lanses gentili lingua vocant, nos in communi viuentes possumus appellare; Secundum Anachoretę, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserunt, nuncupantur. Tertium genus est quod Remoboth dicitur, qui bini vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu & ditione viuentes. Hoc genus ait esse deterrimum, Cœnobitas miris laudibus celebrat. At Anachoretarum genus præfert qui de cœnobijs exeuntes, excepto pane & sale, ad deserta nihil perferunt amplius. Huius vitæ autor Paulus, illustrator Antonius & vt ad superiora conscendam, Princeps Ioannes Baptista; Talem virum Hieremias quoque Propheta describit, dicens: *bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia*: commendari sanè potest hoc institutum à solitudine, silentio, austeritate vitę, orationis & contemplationis assiduitate & oportunitate quæ sunt ad omnem perfectionem adiumenta certissima. Vt Deo vaces ac fruaris, nihil aptius quam vt ab hominum consuetudine te seiungas, taciturnitati, meditationi & orationi incumbas, cum ea quam valetudo feret abstinentiæ ac pœnitentiæ moderata seueritate. Hanc enim pro sua munificen-

Ad Eustoch de Virgin.

Thren. 3 27.

nentia Deus cælestibus solatijs ac gaudijs solet abundè cõpensare. At vero nouatores hoc Eremitarum institutum præ cæteris religiosis grauiter accusant, ac condemnant duplici potissimum ex capite, quod vrgent Magdeburgenses, primum ob solitudinem, deinde ob vitæ austeritatem. Solitudine, inquiunt, in proximos peccasse, velut odio quodam humani generis in vastas sese solitudines abdiderint; aduersus illud Matth. *Ecce in deserto & nolite exire*, charitatis item officia deserentes aduersus illud ad Hebręos *non deserentes collectionem nostram*. Seueritate vitæ in seipsos peccasse quod se multis periculis & tentationibus exposuerint contra Domini præceptum. *Non tentabis Dominum Deum tuum*; in cuius peccati pœnam permiserit Deus eos varijs modis à Cacodęmone vexari, & illudi, vt legimus in vita S. Antonij, Hilarionis & aliorum. Tum suimet homicidæ nimijs ieiunijs, vigilijs, cilicijs, alijsque pœnis sponte susceptis extiterunt, violantes illud præceptum; *non occides*, & illud Apostoli negligentes, *habentes corporis honorem*. Nunquam desunt scripturę Hæreticis, quibus suos errores obtegant & inuoluant, veritatis æquæ ac virtutis hostes scripturarum illusores ac derisores, homines prophani, Epicuræi. Cui venisset vnquam in mentem, illud de Antichristo dictum ad eremiticę vitæ reprehensionem traduci posse? A deserto Dominus Baptistam commendat, & primordijs Euangelij, ieiunio, & oratione 40. dierum desertum ipse nobilitauit, ac veluti cultui diuino consecrauit. Illud Apostoli *non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam*, nihil pertinet ad Anachoretas quorum plurimi conuentus Ecclesiæ quot Dominicis ac festis frequentabant. Tum per collectionem supra *considerantes inuicem in prouocationem charitatis*, illud deniq; non occides & ad non parcendum corpori non in honore aliquo ad saturitatem carnis, quid ad Anachoretas qui necessaria corpori subsidia nunquam negarunt, tametsi potiorem animi quàm corporis rationem ducerent, nunquam corporis curam

curam ita neglexerunt vt necessitati non satisfacerent, tametsi minimè indulgerent voluptati. Tantum abest vt austeritate ac pœnitentijs vitam imminuerint (quanquam hoc ipsum studio perfectionis non modo permissum, sed & laude dignum habetur etenim rectè gratia virtute ac sanctitate breuitas huius vitæ temporanea compensatur) vt maximè eam prolongarint, & ad prouectissimam vsque senectutem produxerint. Paulus centesimum decimum tertium: Antonius centesimum quintum: Romualdus centesimum vigesimum, alijq; expleruntatque etiam excesserunt integrâ ac firmâ semper valetudine. Neque verò velut Timones quidam odio generis humani in solitudinem secesserunt Anachoretæ, nam cum res Christiana posceret è montibus & speluncis in vrbes, & hominum conuentus palam se dabant, ad Martyria subeunda, ad hęreses euincendas, ad Imperatores coarguendos vt de Aphraate traditum est, neque neglexissent officia charitatis in proximos, si Sacerdotum ac Clericorum in vrbibus copia defuisset. Verum purioris ac sanctioris vitę studio; contemplationis ac consuetudinis cum Deo ac beatis desiderio, ad diuini Numinis cultum animo liberiore peragendum ex vrbium frequentia in solitudines vltimas se abdidere. Quare cō-primis à solitudine laudandum est hoc institutum. O desertum CHRISTI floribus vernans exclamat Hieron. O solitudo in qua illi nascuntur lapides de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur; O eremus familiarius Deo gaudens. Quid agis frater in sęculo, qui maior es mundo! Quādiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi nescio quid plus lucis aspicio, libet sarcina corporis abiecta, ad purum ętheris euolare fulgorem. Pręterea laudandum est hoc institutum ab asperitate vitæ, à qua illud celebrat Basilius Martyrio comparans & Nazian. appellans cælestem vitam in qua vidisse se qui totos 20. dies cibo abstinuerant, quendam qui totum annum peruigilarat, cui reliquias exigui cibi coruus è vicinia adferebat. Talis est CHRISTI pais, talis passio-

num CHRISTI fructus, quem ipse è terra ad patrem defert; Religionis Christianæ columen, populi decus, mundi firmamentum, cum cælestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans.

Lib. de Moribus. Eccl. 31 Laudandum est & à contemplationis oportunitate ad quam respexisse videtur Augustin. Nihil de ijs dicam qui secretissimi prorsus ab omni hominum conspectu, pane solo, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt & pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Hoc tamen excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Laudandum item à perfecto Dei cultu & obsequio quod diuino Numini perpetuum veluti sacrificium corporis sui atque animi mortificatione & oratione offerunt eremitæ, laudandum à pręclaris Anachoretarum facinoribus, dono prophetiæ, miraculorum gloria, eximia vitæ sanctitate, illustribus de mundo, carne, dęmone cum ope diuinæ gratiæ reportatis victorijs, quas dimicationes & victorias mirum non est ab hæreticis dæmonum vexationes ac illusiones appellari. Si tamen vitam Pauli, Hilarionis & Antonij perlegerunt aliquando. *Nam animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt,* non patiuntur isti pugnas hasce dæmonum, qui toti sunt in eorum compedibus, ac nemo idoneus est qui cum dæmone congrediatur, nisi ante deuicta carne ac mundo, superatâ gula atque luxuria, cuius vtriusque mancipia sunt Epicurei ministri; denique laudandum institutum hoc à commodis quæ toti Ecclesiæ ac Reip. adferunt Christianæ, de quibus Iustinianus Imperator in nouella 133. solitaria vita atque in ea contemplatio res planè sacra est, quæ suapte natura animas ad Deum abducat, neque eis tantum qui eam incolunt, commodat, sed etiam omnibus alijs imprimis militiam agros ipsos & quicquid boni habent seculares per orationes SS. conseruari credendum est. Itaque S. Antonij orationibus

Catho-nis.

sese

sese Magnus Imperator Constantinus & filij eius commendabant. Theodosius Abbatis Ioannis opem ac aliorum implorabat, ne omnes persequar Anachoreseos laudes. Epiph. in compendiaria doctrina, inter ea quæ in Ecclesia Catholica seruantur absque præcepto, primo gradu & loco statuit Virginitatem. Secundo solitudinem, quibus adiungit tertio abstinentiam à carnibus, ouis, piscibus, & ipso etiam pane & vino, humicubationem, sacci gestationem à quibus quid mirum si vehementer abhorrent Epicureę sectæ molles hęretici, cæteri Patres docent Eremiticam vitam culmen & fastigium esse totius status religiosi nec ad eam transire debere quemquam qui non se prius, diu, multumque & diligenter in Cœnobijs exercuerit, qua de re Hieron. sed de ludo Monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suę multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate lętentur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Hac forte de causa licet ex omnibus ordinibus religiosis, iure communi ad Chartusienses transire (non ago de quorumdam priuilegijs) quod in Eręmitica vita summus gradus excolatur contemplationis, per quam Deo adiungimur, quodque summa contineat adiumenta, ac præsidia totius Christianæ perfectionis, solitudinem, abstinentiam, & orationem, quæ tria mutuam sibi præstant opem, nec male quis dixerit solitudinem præstantissimam esse quam sibi quis conferre possit eleemosynam, dum mentem suam secum esse cogit, ad vni Deo vacandum. Omitto quæ de Philosophorum gentilium exemplis colligit Hieron. quosdam naturæ ductu in desertis habitasse, quosdam sibi oculos eruisse. Pythagoreos non tantum vrbes, sed etiam hortos & amœna loca vitasse, Sacerdotes Ægyptios caruisse vxoribus, & propinquorum conspectu cibo tenuissimo victitasse vt tanto liberius contemplationi vaca-

rent. Hæc aliaque omitto ne faſtidioſos diutius remorer Epicuræos, quos vtinam vel Cœnobitica vita delectaret, ne in extremum Remobot inſtituti genus deterrimum delaberentur, ſed nec hoc ipſum probabunt vxorijs compedibus irretiti.



CAPVT XXIX.

De admiranda quorumdam Anachoretarum abſtinentia.



APVT hoc non Epicuræis, ſed pijs Orthodoxis proponitur, quibus etſi videri poſſint hæc vetuſtatis exempla propemodum obſoleta, magis obſtupeſcenda, quam ad imitandum propoſita, tamen ſancta quadam nos erubeſcentia perfundunt, & in humilitate conſeruant, dum à veterum virtutibus tanto nos interuallo diſtare perſpicimus, & ſi non proximo gradu, certe eminus inſequendi, atque æmulandi pro tenuitate virium noſtrarum inflammant deſiderio. Ducat igitur agmen Paulus Thebęus annorum circiter ſedecim, litteris tam Græcis quam Ægyptiacis apprimè eruditus, manſueti animi, Deum valde amans, poſt amborum parentum mortem in hæreditate locupleti relictus, ob eam cauſam à ſororis marito proditus, aut prodendus in perſecutione ad montium deſerta confugiens, neceſſitatem in voluntatem vertit. Paulatim progrediens rurſuſque ſubſiſtens atque hoc idem

idem ſæpius faciens, tandem reperit ſaxeum montem, ad cuius radicem, haud procul grandis erat ſpelunca, quę lapide claudebatur. Quo remoto vt eſt cupiditas hominum remota cognoſcere, animaduertit grande veſtibulum, quod aperto deſuper cælo, patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidiſſimum oſtendens, cuius riuum tantūmodo foras erumpentem, ſtatim modico foramine eadem quæ genuerat aquas, terra ſorbebat. Igitur adamato, quaſi quod à Deo ſibi offerebatur habitaculo omnem ibidem in orationibus & ſolitudine ætatem duxit, cibum & veſtimentum ei palma præbebat: quod ne impoſſibile videatur, IESVM teſtor & SS. Angelos eius in eremi parte quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidiſſe me Monachos, de quibus vnus triginta iam per annos clauſus, hordeaceo pane & lutulenta vixit aquâ. Alter in ciſternâ veteri (quam gentili ſermone Syri cubam vocant) quinque caricis per ſingulos dies ſuſtentabatur. Hæc igitur incredibilia eſſe videbuntur his, qui non crediderint, quia omnia poſſibilia ſunt credentibus. Non incommodè hęc proœmij vice, ad conſequentes omnes narrationes confirmandas Hieron. pręmiſſa eſt auctoritas, ſed non omittamus epulum quod Paulus centum tredecim annos natus nonagenario ſeſe viſenti præbuit Antonio, aut potius quod vtrique Deus. Inter has ſermocinationes ſuſpiciunt alitem coruum, in ramo arboris conſediſſe, qui inde leuiter ſubuolabat, & integrum panem ante ora mirantium depoſuit, poſt cuius abſceſſum: eia (inquit Paulus) Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors; ſexaginta iam anni ſunt quod accipio dimidium ſemper panis fragmentum, verum ad aduentum tuum militibus ſuis duplicauit annonā, igitur Domino gratiarum actione celebrata ſuper vitrei marginem fontis, vterque conſedit: hic vero quis frangeret panem, oborta contentio, penè diem duxit ad veſperam. Paulus more cogebat hoſpitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem conſilium fuit vt apprehenſo è regione pane, dum

ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus, ita dimidij panis fragmentum, cuique duplicata contulit annona; dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libauerunt, & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigilijs. O suauem noctem Dei colloquio ac laudibus insumptam. O fœlix epulum Regum ac Principum lautitijs anteponendum. Eliæ vati Deus per coruos ad torrentem Carith panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi subministrabat: at hisce præclaris duobus Athletis dimidij panis fragmentum sine carnis obsonio submisit: nempe abstinentiæ Mosaycæ longè prẹstat Euangelica.

Non omittendum quoque silentio, vt à Paulo dimissus Antonius ad pallium Athanasij requirendum, quo defuncti corpus inuolueretur tristis abscesserit, & rediens viderit altera die inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum populos Paulum fulgentem in sublime conscendere. Ingressus speluncam reperit defuncti cadauer, genibus complicatis erecta ceruice, extensis in altum manibus, quod officioso gestu Deum precabatur, quod credebat viuere, sed vbi immotum animaque destitutum aduertit corpus, inuoluẽs illud pallio ac foras producens in effossam à leonibus fossam, intulit multis opinor cum lachrymis hymnos & psalmos de Christiana traditione decantans, ac desuper humum congregans tumulum ex more composuit. Ac ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vindicauit, quam in sportarum morem de palmæ folijs ipse sibi contexuerat, qua diebus solennibus Paschę & Pentecostes in monasterio vestiebatur. Aduertant ad hæc prẹclara vetustatis monumenta nouatores ac sua recens nata commẽta cum eis componant atque refellant. Antonius ipse in tantum inediæ & vigiliarum patiens erat vt incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post solis occasum, nonnunquam biduo triduove sic permanens, quartâ demum die reficiebatur; sumebat vero panẽ & sal potumque

que aquæ perparum. De carnibus verò & vino tacere melius puto, quam quidquam dicere, quando nec apud plurimos Monachorum istiusmodi aliquid reperitur. Quieti autem mébra concedens iunco contexto atque cilicio vtebatur, nonnunquam etiam supra nudam humum iacebat vnguenta penitus repudians. Dicebat enim minimè posse ventium eis præcipuè maiorum corpora roborari, si olei essent lenitate mollita, oportere verò asperos carni labores imperari secundum Apostoli præceptum dicentis, quando infirmor, tunc fortior sum, asserebatque sensum animi sic posse reuiuiscere, si corporis fuisset impetus fatigatus. Hæc Athanasius Magnus de Antonio vere maximo; de Hilarione Hieronymus. *Primo Corint. 12.*

Hilarion à sexto decimo, vsque ad vicesimum suæ ætatis annum, æstus & pluuias breui tuguriolo declinauit, quod iunco & carice texerat. Extructa deinceps breui cellula, quæ vsque hodie permanet latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est statura sua humiliore, porrò longitudine paulo ampliore, quam eius corpuscum patiebatur, vt sepulchrum potius quam domum crederes, capillum semel in anno die Paschę totondit, super nudam humum, stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit, saccum quo semel fuerat indutus, nunquam lauans, & superfluum esse dicens munditias in cilicio quærere, nec mutauit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset, scripturas quoque sanctas memoriter tenens post orationes & psalmos, quasi Deo præsente recitabat. Et quia longum est per diuersa tempora magnalia eius dicere, comprehendam breuiter ante lectoris oculos, vitam eius pariter exponens, & deinceps ad narrandi ordinem regrediar. A vigesimo primo itaque anno, vsque ad vigesimum septimum tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aquâ frigidâ comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale, & aquâ. Porrò à vigesimo septimo vsque ad trigesimum herbis agrestibus & virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A trigesimo autem

primo vsque ad trigesimum quintum, sex vncias hordeacij panis, & coctum modice olus, absque oleo in cibo habuit, sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine vri, & puniceâ quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, & vsque ad sexagesimum tertium vitę suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil omnino extrinsecùs, aut pomorum, aut leguminis, aut cui sli-bet rei gustans; inde cum se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem à sexagesimo quarto rursus anno, vsque ad octogesimum pane abstinuit, incredibili feruore mentis, & eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini quo cæteri solent remissius viuere. Fiebat autem ei de farina & comminuto olere sorbitiuncula, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus, sicque complens ordinem vitæ nunquam ante solis occasum, neç diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium.

Narrat Pachomius Tabennesitarum Princeps de Sancto Palæmone Magistro ac institutore suo, cum aduenisset sacratissimus dies paschatis, & illius iussu parauisset epulum festiuius, hoc est, præter solitum accipiens aliquid olei cum salibus tritis admiscuisset, lapsanas enim, idest, agrestia olera & herbas alias præter oleum consueuerant edere, cum ergo præparasset, ait ad senem, feci quod tua paternitas imperauit, cumque post orationes Beatus Palæmon accessisset ad mensam, vidissetque olei apparatum cum salibus, fricans manibus frontem, & vbertim fundens lachrymas ait: Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam? cumque rogaret eum Pachomius, vt modicum quid ex eo sumeret nullatenus acquieuit. Tunc pro more sale & pane allato ad manducandum pariter consederunt, quæ senex Crucis CHRISTI signo, sicut consueuerat benedicens cibum vterque sumpserunt, Domino gratias (vt par fuerat) humiliter exhibentes. Venerabilis idem Palęmon dolore splenis, qui ex nimia continentia illi prouenerat, toto corpore graui

cæpit

cæpit ægritudinis incommodo laborare, nam ſumebat eſcam, potu ſæpius abſtinens item ſolummodo bibebat, nihil cibi percipiens, rogatus igitur ab aliquibus fratribus qui ad eum gratiâ viſitationis aduenerant, ne penitus corpus debile frangeret, ſed ei aliquantulum ſolatij pateretur impendi, tandem ceſſit orantibus, vt victu congruo attenuata membra refoueret, ſed non hoc diutius pertulit, nam graniores ſolitò dolores ſplenis expertus, relicta ciborum inſolentiâ ad antiquum victum ſine dilatione reuertitur, dicens: Si Martyres CHRISTI alij per fruſta lacerati, alij capite cæſi, nonnulli etiam ignibus ſunt cremati, & tamen vſque ad finem fortiter pro fide tolerauerunt, cur ego patientiæ præmia paruis cedens doloribus, impatienter obijciam & deſiderio vitæ præſentis afflictiones momentaneas inaniter expaueſcam? Denique ſuadentibus acquieui cibos inſolitos ſumere, qui mihi dolores auxerunt potius, quàm vllam requiem præſtiterunt, recurram igitur ad priſca remedia, & continentię ſubſidia non relinquam, in quibus eſt (vt ego certus ſum) omnis poſt Deum requies, & vera lætitia, non enim propter homines hæc arma ſuſcepi, ſed ob amorem CHRISTI his certare diſpoſui. Sic itaque viriliter agens intra menſem dierum, valido languore conſumptus eſt. Pachomius tanto magiſtro dignus diſcipulus, ad humiliandum corpus proprium induebat ſe plerumque cilicio, & per annos quindecim poſt illos ingentes ſudores atque labores eximios vigiliarum & abſtinentiæ non iacens ſomnum capiebat noctibus, ſed in medio cellulę ſuæ reſidens, adeò vt nec dorſum ſaltem parieti pro ſuſtentatione reclinaret, cumque nimis ex hoc affligeretur, ferebat tamen æquanimiter hunc laborem ſpe quodammodo prælibans illam requiem quæ ſibi parabatur in cælis. In hiſtoriâ Ioſaphat & Barlaam à Damaſceno deſcripta legũtur Monachi animo & voluntate Martyres, ne priuarentur gloria eorum qui per effuſionem ſui ſanguinis conſummati ſunt, alij quidem ſub dio durantes ſolis æſtu atque aſperrimis

rimis

timis frigoribus ac pluuijs & ventorum turbinibus afflictabātur, alij constructis tugurijs aut speluncis & antris sese occultantes vitam agebant, sicque virtutem colentes omnem carnalem consolationem, & quietem ad extremum vsque repudiarunt, crudis oleribus, & herbis, aut pomis, aut etiam sicco ac durissimo pane vitam tolerantes. Nec suauium ciborum qualitati duntaxat nuntium remittentes, sed prę exuberanti quadam continentia magnitudinē animi sui ad ipsam quoque quantitatem extendentes. Tantulum enim dumtaxat etiam ex ipsis vilibus maximeque necessarijs cibis percipiebant quantum ad tolerandam famem satis esset, quidam enim eorum integram hebdomadam per inediam transigentes Dominico demum die cibos admittebant, quidam bis tantum hebdomadâ ipsius meminerant. Alij alternis diebus sub vesperam edebant, sic vt cibum dumtaxat degustarent, precibusq; ac vigilijs propemodum cum Angelis quoque certantes inter homines omnino se esse obliuiscebantur. Horum persimiles erant Monachi ad Iordanem commorantes: è quibus erat Zozimus à quo Maria Ægyptiaca deprehensa & curata tempore Quadrag. cum prę desiderio solitudinis in interiorem abirent eremum. Infinitum sit cęterorum PP. exempla singularis abstinentiæ & pœnitētię persequi, quæ vel vnus Theodoretus recenset. Iacobi Nisibitæ qui vere, ęstate, autumno, in siluis versans pro tecto cælum habebat, hyeme perexiguum antrum, pro cibis herbas, ac frondes sponte enatas, nihil quod cum labore seritur, & metitur, pro tunica & amiculo asperrimum ex caprarum villis contextum cilicium.

Iuliani Sabæ semel hebdomada cibum capientis, qui non erat alius quam panis hordeaceus, isque furfuraceus, obsonium sal, potus suauissimus aquæ fluentum.

Marciani cui cibus quoque solus panis fuit, sed tam exigua mensura, quæ nec infanti recens ablactato suffecisset. Panis libra in quatuor partes diuisa, quatriduo perdurabat & singulis diebus pars vna tribuebatur, statuerat is quotidie

vespere

vespere comedere, sed nunquam satiari, semper esurire, semper sitire. Dicebat enim, si quis multorum dierum inediam suscipiat per id omne tempus inidoneum reddi ad explenda diuina officia, quo vero die cibum sumat copiosius, ventrem onerare ac se tardiorem ad vigilandum reddere, huius ego consilium maximè probarim: Eusebij ieiunium triduanum ac quatriduanum seruantis, tametsi eos qui secum degerent alternis diebus vesci iuberet, sed nullum à familiari Dei congressu ac colloquio vacuum tempus esse patiebatur.

Publij qui panem ad trutinam expendebat, & eos qui excederent helluones, qui farinam furfuribus admiscerent sybariticas sectari delicias aiebat. Acepsimæ lente madefacta victitantis, Aphraatis & aliorum admirando magis quam hodie imitando abstinentiæ genere vtentium. Horum & similium historias si proferre velim ingenti volumine sit opus.

Vnum Simeonem Stylitem in quem infensis animis incurrunt hæretici, paucis exhibebo & Epicuræos, si qui sint delitiarum harum curiosi ad vitas Patrum à collega meo Heriberto Rosvvedio notis eruditissimis illustratas, amandabo: ab eo discent quid paximates panes sicci bis cocti, quid buccellatus, quid Pittacium, quid Lipsana, quid Zippulę, quid Menomenæ pisces, quid cæterę cupediæ Monachorum.

CAPVT XXX.

De Simeone Stylita ex Theodoreti historia.



VNC præter alios Anachoretas impetunt Centuriatores, ac deridendum propinant, quod instar auis in sublimissima columna vitam egerit; in quo aiunt apparuisse miram diaboli fascinationem, & illusionem, ipsimet illusi hęreseos fascino, infames scarabæi in stercore volutati qui præclara Sanctorum facta non dicam imitari, sed nec admirari, imo vel infitiari vel calumniari in animum inducunt similes Pharisęis qui Saluatoris illustria miracula Belzebuth Principi dęmoniorum ascribebant. Non hic vnus Simeon Stylita celebratur, sed complures alij, duo nominis eiusdem, quorum alter dictus iunior alter fulminatus quod eo genere mortis obijsset impetrato diuinitus ad sui nominis gloriam obscurandam. Tum stylitę fuere Daniel, Iulianus Theodulus, Lucas, tres quatuorue alij innominati, vt non planè inusitatum fuerit id pœnitentiæ genus. Laudat Simeonem seniorem Theodoretus Cyprianus Episcopus Doctor, grauissimus perscriptis eius accuratè rebus gestis ac miraculis. Laudat Antonius Simeonis discipulus reliquam eius vitam ad mortem vsque prosecutus, & inter alia memorat vermes lapsos de columna collectos à se & Magistro redditos, vt in vlcere reponeret, ac diceret

diceret quod Iob, patiens manducate quod vobis Dominus dedit. Laudat Gregorius Turonensis, Euagrius, Suidas, Theophanes, Nicephorus, Mœnæum, Græcorum, & Romanum Martyrolog. quorum auctoritatem temeritati Nouatorum opponamus. Laudauit & Sancta Genouefa Parisiorum patrona cum esset in viuis, absens licet longissimè interiectis terrarum spatijs, tamen vt sibi notum diuinitus ab eximia virtute ac sanctitate commendans.

Admirati sunt Simeonem & ipsi Imperatores, Marcianus hominis priuati habitu clam illum inuisens, Theodosius ad eum scribens, cuius epistola inserta est actis consilij Ephesini Leo Magnus, qui ad eundem scripsit teste Euagrio. *Tom. 5. c.c. l. 4. hist. c. 4*

Quin vero nationes omnes fama sanctitatis eius excitatę ex orbe toto confluebant, doctrinæ ac miraculorum causa, quas inter numerat Theodoretus Agarenos, Persas, Armenos, Hispanos, Gallos, Britannos, Iberos, Italos, Homeritas, Latinos, Græcos, Barbaros. Itaque Simeonis hoc factum quod in sublimi columna sibi domicilium delegerit, tuetur Theodoretus quod id coactus egerit, cum ad eum plurimi confluerent, certatimque vrgerent, vt à suis ægritudinibus & languoribus curarentur, vel certè sanctitatem aliquam ex eius ad se contactu traducerent, cum benedictionem expeterent impetu facto, ille se tanto censens indignum honore, simul ægrè ferens, illo perpetuò populorum concursu distrahi se ab oratione continenti, & mentis ecstasi; nouam illam excogitauit in columna vitę traducendæ rationem, ad quam à primà ætate se compararat, positis in monasterio perfectionis Religiosę rudimentis, imò eius culmen cum esset assecutus, in arctissima clausura, primum ędificari curauit sex cubitorum, tum duodecim, deinde sex & triginta, denique vt quidam volunt quadraginta, columnam vt esset alta pedes sexaginta; cupiebat in cęlum euolare velut aquila quędam cælestis & ab omnis terrenę labis contagione liberari; Cœlo & Angelis loco esse proximus, qui cælestis &

Euangelicæ vitæ imitatione proximus erat. Tuetur præterea Theodoretus id factum quod non suopte nutu ac priuato consilio sed speciali S. Spiritus instinctu atque impulsu id aggressus fuerit. Nempe Deus hoc inusitato ac nouo spectaculo, tam admirandæ patientiæ, pœnitentiæ, asperitatis inauditæ, torporem hominum excitare: Et ad virtutis studium inflammare voluit: quâ ratione suos aliquando Prophetas, quæ videbãtur hominibus stulta & delira iussit agere, Isaiam nudum ambulare, pedibus nudis, Ieremiam lumbis cingulum circumponere, lignea collaria & ferrum collo circumdare. Ozee coniugem fornicariam ducere. Ezechielem super dextrum latus cubare 40. dies, ac super sinistrum 150. rursus murum perfodere, fugientem exire, caput ac barbam radere, pilos medio in foro ponderare, partem cremare, partem in summitate pallij ligare. Hoc eodem consilio voluit Deus Baptistam à prima infantia in deserto vitam agere, bestias inter cilicio ex pilis cameli contexto indui, vesci locustis, & melle Syluestri. Sanctum quoque Franciscum Assinatem impressis suarum plagarum stigmatibus insignire, quodq; doleat hæreticos, eius filios PP. Capucinos ac Recollectas tantum hodieque pœnitentiæ rigorem obseruare. Addi potest certissima sanctitatis nota virtus humilitatis & obedientiæ, quâ Simeon excelluit. Nam cum Ægypti Patres ad hoc inusitatum viuendi genus obstupescerent, mandarunt per certum hominem vti è columna descenderet, & ad communem Anachoreseos rationem se referret, non ægrè id mandatum accepit Simeon sed gratiam habuit quod de se Patres cogitationem suscepissent, iamque sine mora pedem efferebat cum is qui erat submissus, subsedere cum iussit Patrum nomine: hanc enim conditionem adiecerant, si obtemperaret, hærere sineretur in columna, sin reluctaretur, per vim de ea detraheretur, certissimam sanctitatis ac boni spiritus notam obedientiam interpretati. Cum ante hanc stationem versaretur in altissimo monte, septo quodam in orbem vallatus & alligatus


gatus ferrea cathena 20. cubitorum, cuius alterum caput saxo ingenti erat appensum, alterum pedi dextro innexum Meletius Pontif. Anthiocen. dissolui eam cathenam imperauit, non esse opus compedibus ferreis illi quem diuinus amor alligatum teneret. Audiens dicto fuit Simeon, minime iudicij sui tenax, cum pellis adaptata tibiæ dissuta esset; inuenti sunt in ea tanquam cauerna delitescentes plusquam viginti cimices, quorum morsus acutissimos nunquam vel admota manu compressit, paruis se ad maiora exercens atq; hoc quotidiano martyrio gratissimam se diuino numini victimam immolans; sed quid opus pluribus? Quod diuino spiritu ageretur Simeon probat Theodoret. innocentissima eius & sanctissima vita, in quam nullius errati suspicio caderet, ab illustrium omnis generis miraculorum maxima copia, ab innumerabilium gentilium Iudæorum hæreticorum admiranda conuersione, à rerum futurarum certissima prædictione, & ipsa sese probabat prodigiosa vitæ ratio, non planè expers miraculi. Tota nocte & magna diei parte vsque ad nonam orabat, modo stans, modo prostratus humi Deum adorans, quas eius profundas orationes atque inclinationes multi piè curiosi numerabant astantiũ. Quidam è Theodoreti familia cum 1244. enumerasset, defessus enumerare desijt; nec oberat crassities, molesque corporis, quin dum inclinaretur Simeon frontem pedum tenùs applicaret, nam semel duntaxat quâque hebdomada perexiguum cibum sumebat. Oratione peracta ad eos qui visendi causa venerant, verba faciebat, quorum tantus erat affluxus vt perpetuum quoddam flumen commeantium videretur. Post concionem curabat ęgros, dirimebat lites, quas plurimi ad eius columnam vti ad sacrum Iustitiæ tribunal deferebant. Tanta erat sanctitatis eius opinio, vt Romæ in officinarum vestibulis ac porticibus paruæ eius Imagines statuerentur, quibus sibi Romani præsidium parabant ait Theodoret. Annis 28. quadrage-

 drage-

dragesimam sine vllo cibo traduxit, & in hac columnæ statione perseuerauit ad prouectissimam senectutem, vt centenario maior à quibusdam obijsse credatur.

A morte stetit eius cadauer immotum, & erectum vti antea consuerat, insuperabilis Athletę de morte, mundo, ac dæmone triumphantis; quin veluti conditum balsamo & aromatibus suauem cælestemque spirabat odorem, tum ab eius sepultura plurima diuinitus patrata sunt miracula, quibus Deus illum illustrauit, siue ad loculum reliquiarum, siue ad ipsam columnam; quarum rerum mirum non est si altum est apud Magdeburgenses silentium, cum hæc insignia Dei opera dæmonis illusiones ac fascinationes appellare lingua blasphema non vereantur. Ego vero cum Theodoreto huius omni laude celebrandi S. Simeonis sanctis orationibus adiuuari vehementer exopto, ac flagito, vt vita mea corrigatur & ad Euangelicæ perfectionis normam dirigatur.

CAPVT





CAPVT XXXI.

De Beato Roberto Salentino ordinis Cœlestinorum.



OMANVM Pontificem Anti-Christum vulgo conclamant hæretici, nulla quidem vel apparente ratione, nulla auctoritate, sed quadam insana odij rabie in Apostolicam sedem, cui subdere se renuunt, dominationis omnis impatientes. Miror si Petrum Moronum Cœlestinum, quem Deus miraculis illustrauit Anti-Christum dicere audeant, qui se pontificatu tam promptè abdicauit, vt seiunctam ab omni hominum consortio vitam in eremo cælestem traduceret in summa pœnitentiæ asperitate, ac diuinorum solatiorum copia redundantem; eius certè hæc animi demissio inaudita, quâ solitariam vitam summo totius orbis magistratui prætulit, ex diametro cum superbia atque arrogantia pugnat Anti-Christi, qui non se modo CHRISTI vicarium, sed Deum à cunctis adorandum exhibebit, nihil dico de eius continentia, pœnitentia, victus atque vestitus austeritate planè opposita luxui, impudicitiæ atque omni intemperantiæ Anti-Christi, qua quidem intemperantia egregiè preludunt ipsi Anti-Christo, & se de eius esse familia ac cohorte prodromos profitentur. Habeant modo quem contemplentur non dicam imitandi studio (nam id frustrà dicerem) sed erubescen-

erubeſcendi, vt grauiore pudore ſuffundantur S. Petri Moroni Cœleſtini ſocium atque diſcipulum B. Robertum Salentinum eiuſdem ordinis, de cuius abſtinentia, & inuſitata pœnitentia paucula decerpam ex eius vita quam Ioannes à Boſco Pariſienſis deſcripſit.

Decurſis pueritiæ annis, cum iam ſibi ſuccreſcere à carne & mundo bella perſentiſceret, ſtatuit ſarcinam omnium rerum à ſe excutere, vt CHRISTVM liber aſſequeretur, ob idque diuenditis relictiſue cunctis proprijs facultatibus ad B. Pet. Cœleſtinum aduolauit, à quo habitum Cœleſtini ordinis conſecutus, ipſius mores ſibi veluti ſpeculum conſtituit, ad cuius imitatum ſuam ipſe vitam componeret. A primo ſuæ conuerſionis initio conſtāter auſteræ vitæ rigorem ita tenuit, vt eum numquam ſanus vel infirmus ſoluerit, atque remiſerit; qui adeò ſeuerus fuit, vt nullus non ſancti abſtinentiam vel adæquarit, aut etiam prǫteruolarit: etenim exiguo pane penèque ponderis vnciarum octo, atque hauſtu modicæ aquę vitam quotidie ſuſtentabat, quam panis aquæve menſuram ipſe à CHRISTO didicit. Siquidem dum quadam die ſub ſerotinis horis, orationi ſtrenuè incumberet paulò poſt monaſtici habitus aſſumptionem ecſtaſi non ſomno perfuſus, vidit ipſum omnium Saluatorem, cum ſuis diſcipulis ad menſam recumbentem, atque eorum cuilibet panem circiter octo vnciarum præbentem, quo comeſto; potum ipſis Redemptor propinabat aquæ, in ea quam ſibi præfixerat Robertus quantitate. Quod is ſagaciter expendens, hanc menſuram intellexit naturę neceſſitati ſufficientem fore ac licet aliquando, cum fratribus menſæ communi accumberet, nullo tamen poſtea pacto indictam ſibi victus menſuram prǫteriuit. Parcior illa ſit opinor atque reſtrictior menſura quam communes modo vitæ Religioſæ rationes, vt hodie ſunt tempora patiantur; ſed exempla tamen quædam inuſitata quandoque proponi Deus voluit ſupra limites curſumque communem, vt in medijs certè conſiſteremus, qui ad ſuprema non aude-

auderemus aspirare: quę nos exempla simul & pudore suffunderent, & imitandi pro virili pio quodam ardore succenderent. B. Robertus dum oblatam à B. Cælestino dignitatem atque honorum societatem multis cum lachrymis respuisset, eius cellulæ ac solitudinis malens esse successor; quam in Pontificia dignitate commilito, ac post eius obitum quem cælesti gloria conspicuum cęlos ineuntem diuinitus illustratus aliquando vidit, cum in cœnobio S. Georgij de Rocha se per annos 12. inclusisset, nusquam egrediens pręterquam quoque triennio, ad publica ordinis comitia, quę capitulum generale vocant, properaret. In ea cellula exercitationi spirituali deditus, clam ad carnem cilicio pilis equorum nodosis contexto induebatur, lectique loco ei humus erat nuda, vel ad summas delicias remissionis gratia, rarò ad tabulam cum ligneo puluinari ossa potius collidebat, quam recubabat sex quadragenas omni prorsus humano carens alloquio quotannis ieiunabat, ita vt ministro præciperet, in initio cuiusque quadragenæ, ad se nullo prorsus edito sermone amphoram aquæ, quæ viginti prætextatas caperet mensuras, deferre atque viginti alijs diebus elapsis multo silentio & taciturnitate alteram. Vicibus quingentis, intra diem quemlibet naturalem absque intermissione relaxationéue genu flexus Deum Creatorem omnium adorabat; quauis nocte media excusso somno persolutum Ecclesiasticas preces adibat. quibus decursis ad primam vsque diei horam, qua sacrum in fratrum cœtu audiebat, proprias offerens Deo orationes, insomnis quotidie durabat. Postquam Missam auditam ad horam vsque tertiam psalterium relegens, vt tertia aduenerat, explicatis sacra exomologesi Presbytero noxis, is ipse sacrum agebat, quo perfecto iterum psalterium recantabat; donec comestionis consueta nona adesset hora. A prandio vero aut scribebat aut exercitio meliori se addicebat, vsque ad vesperarum tempus, vesperis verò persolutis, totum se orationi & profundę vsque ad altam noctem medita-

tioni immergebat, quousque fatigatum corpusculum somno pressum in terram diflueret. Quod tamen corpusculum, septies quotidie asperrimâ atterebat disciplina.

Æstuabat vir ille sanctus mortem pro CHRISTO perpeti: verum cum iusta ad id causa minimè ipsi arrideret, vtpote cui ex suorum maiorum obedientia nefas erat adire partes infidelium, nulla patiendi occurrebat in Italia martyrij conueniens & æqua ratio, solers tamen inuenit viam qua dolores CHRISTI in sua ipsius carne præferret. Egressus namque vna dierum cum socio ad expascendum meditationibus animum, dum per quoddam cœnobio contiguum nemus obambularet, vidit fortuito arborem in crucis modum penè bifurcam. Ipsa visa atque notata gaudio gestiens & & exiliens tacitus abscessit, nihil omnino sodali communicans suo, atque altissimo noctis silentio exurgens syluam petijt, arborem succidit, & proprijs ad cœnobium detulit humeris; hanc dum deferret, humani generis hostis, canis nigerrimi obtectus specie, illi obuius morsu & procacitate in eum insiluit horrendo latratu ipsum territare nisus, molestijsque & dura contentione ab arboris dilatione fere compescuit. Verum Robertus fide armatus iamiam hostem adesse cogitans, signoque Sanctæ crucis se communiens phantasma hoc in auras euanescere fecit, atque arborem detulit inque cella defixit positis ex vtraque brachiorum parte cordularum nodis quibus brachia immitteret, dum in arbore Crucifixi instar se suspenderet, ipsam ergo arborem indubiè omni die ascendens tamdiu deiecto & demisso corpore toto in ea pendebat brachijs intra funes emissis, quamdiu Pater noster decies recitaret, atque ita tractim moransque, vt in vnoquoque alter decem absoluere quiret, vnde centies orationis Dominicæ spatium adimplens instar Crucifixi pendebat in arbore. Quantus vero fuerit cruciatus ille, maximè cum nihil pedibus suppositum haberet, quiuis sapiens apud se pertractet, præterquam namque, quod in tam horrendo supplicio

plicio seipsum Deo mactabat integrum, in tantum, vt non guttas, sed vndas eius oculi emitterrent imò profunderent lacrymarum, omnia eius membra ita sudore diffluebant, vt riuos diceres aquarum, sed & tantis diuinis consolationibus præfundebatur, vt miraculo diuino in corpore sustentatus ægrè animam propriam, ne emigraret, detinere posset. Quam verò grata, quamque accepta fuerit CHRISTO Domino eiusmodi ipsius Passionis imitatio, mox post eam patrata, quæ deinceps explicabuntur indicant miracula. Rideant hęc illusores sacrarum rerum hęretici, & anilia commenta contendant esse sacras historias, aderit tempus cum & ipsi sanctis erunt ludibrio: & quø sanctorum sponte suscepta derisui habuerant supplicia, sempiternis ipsi flammis cumulatè persoluent, quod tamen Deus auertat, commutata mente atque hæresi abiurata, ad illum pijssimum Patrem conuersi pœnitentes, temporalibus potius pœnis macerentur quàm supplicijs deputentur æternis. Sponsionem fecerim, inquit Maldonatus, neminem vnquam, neque Lutheranum, neque Caluinianum, ex quo à Domino illuminati sunt, cilicio vsum fuisse; ego quoque sponsionem fecerim, nunquam eos brachijs in crucem extensis in honorem crucifixi quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitauisse, nam nec Deum numerato precandum putant, nec Virginem Dei matrem salutandam, nec crucifixi memoriam piè, ac sanctè retinendam. Sunt enim homines plane prophani. *In c. 3. Matt.*



CAPVT XXXII.

De continentia & abstinentia Ethnicorum quid à Christiana differat.



VÆ hactenus recensita sunt veterum exempla, qui vltra biduum, triduum, quatriduum, imò, octiduum, ieiunia produxere non modo magis admiranda, quam imitanda; verum, & speciali quodam instinctu diuino suscepta, quis verè dixerit ad nostram tepiditatem excitandam vt si ad ea extrema non attingeremus, in medijs certè officijs consisteremus. De ijs veteribus Anachoretis dici posset, quod de Stoicis Catoni Tullius; etenim videntur vestri præceptores, & virtutis magistri fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulisse, vt cum ad vltimum animo contendissemus, ibi tamen, vbi oporteret, consisteremus. Narrat non absimilia D. Hieronym. antiquorum Æpypti sacerdotum, aliorumque ethnicorum abstinentiæ, ac continentiæ perquam admiranda exempla, quibus non Epicurei modo confundantur hæretici, sed & probi Orthodoxi, de suâ quamuis exactâ, ac rigidâ non tantum non glorientur, verum & humilientur abstinentiâ. Adijci possent ex Romanâ historiâ, consimilia; nam prisci illi Romani adeo erant continentiæ attenti, inquit Valerius, vt frequentior apud eos pultis vsus quam panis esset, ideoque in sacrificijs mola quæ vocabatur,

cabatur, ex farre & sale constat, exta farre sparguntur, & pullis, quibus auspicia petuntur, puls obijcitur, primitus ex libamentis victus sui Deos eò efficacius, quò simplicius placabant.

Verum cum virtutes non tam officijs, quam finibus distinguantur, ob quas earum virtutum officia suscipiuntur, longissimè distat omnis externorum continentia quamuis honesta & ex honesto fine suscepta, à Christianorum hominum continentia. Quantum discriminis inter naturam & gratiam est, statum naturæ congruentem humanæ, & diuinum supernaturalem, qui limites & vires eius transgreditur: tantum interest inter vtramque continentiam moralem, & Christianam, acquisitam & infusam, nihil dico plerumque vitiatam fuisse peruerso fine Philosophorum continentiam, vt inanis glorię & superbię, vt idololatriæ, superstitiosi cultus, mali dæmonis, qui dictus à veteribus Dei simius multas ex legitimo Dei cultu, ad suum pestiferum imitatione, traduxit res ac ceremonias.

Triplex in nobis spectari potest vitæ ratio, animalis rationalis, Christiana pro triplici lumine quo potest ea dirigi atq; institui, sensuum externorum, rationis ac fidei. Ac prima quidem animalis si continentiam aliquam seruat, tacito instinctu naturæ, non est ea tamen laude ac pręmijs digna, neque multum brutis pecudibus antecellemus, si sensuum ductu quæ sunt eis iucunda consectemur, noxiaque & acerba repellamus si voluptates appetamus, si dolores fugiamus, omniaque ad corpus referamus, ex Epicuræorum disciplina. Deteriores erimus brutis si ratione atque iudicio in persequendis voluptatibus doloribusque fugiendis abutamur. At si prout pręscribit recta ratio honéstasque virtutum, sensuum appetitus moderemur ad eamque regulam continentiæ studia referamus nihil admittamus indignum atque alienum ab honestate quæ est ipsa ratio, vitam viuemus hominum & Philosophorum non pecudum. At superior longè gradus atque

ordo virtutis à nobis exigitur, vitam agamus Christianam ex fidei diuinitus infusę lumine, ex præscripta nobis à CHRISTO Domino norma ac regula, ad finem maximè sublimem promerendæ beatitudinis sempiternæ, ad claram Dei visionem fruitionemque in cœlis aliquando comparandam. In hac ipsa Christiana vita gradus sunt & ordines diuersi laicorum, Ecclesiasticorum sacris ordinibus initiatorum, Presbyterorum, Episcoporum, Religiosorum, quibus sua respondet austerior & seuerior continentiæ ratio, pro cuiusque ordinis ac gradus dignitate. Et quidem Ecclesiasticos & qui diuinis Eucharistiæ sacrosanctæ mysterijs crebrius perfruuntur exactior quædam decet continentia, & abstinentia, ieiuniorum, ad quam hortatur Ambros. Indictum est ieiunium caue ne negligas, etsi te fames quotidianum vrget ad prandium, vt intemperantia declinet ieiunium, tamen cęlesti magis te seruato conuiuio, non epulę paratæ extorqueant, vt cœlestibus sis vacuus sacramentis, differ aliquantulum, non longè finis est diei. Cæterum commune est vinculum Christianæ Religionis, quo omnes ad continentiæ studium obstringimur, vt Christianis præceptis & institutis consentaneam vitam traducamus. Non igitur spectat continentia nostra solius istius virtutis honestatem, quod ita congruat homini recta ratione vtenti, quod hominem deceat, atque oporteat moderatè agere, neque tantum ad carnem edomandam spirituique subijciendam refertur, aut ad vacandum contemplationi & sapientiæ animo liberiori & defœcato.

Sed pręcipuè ad ipsius veri Dei cultum religiosius exhibendum, ad eius supremi numinis gratiam beneuolentiamque promerendam, ad præstandos dignos pœnitentiæ fructus, ad obedientiam exercendam aduersus Deum, & superiores eius in Ecclesia vicarios & voluntatis interpretes, ad cælestia dona gratiarum impetranda, sempiternamque cælestem hæreditatem promerendam. Eadem enim est, & filiorum

rum

rum hæreditas, & tamen ex Dei gratia bene operantium merces amplissima. De quibus eximijs fructibus & totidem finibus continentiæ iam antea dictum est. Igitur continentiam moralem, honestam Philosophorum, Christiana progreditur immenso quodam spatio & interuallo, quod sit continentia filiorum & amicorum Dei, qui in eo virtutis genere voluntati atque honori obsequantur amantissimi Patris, seruorum fidelissimorum, qui præceptum traditum & promissum à Deo liberalissimo præmium attendunt. Negotiatorum cælestium, qui maximè gratiarum lucra ac compendia faciunt hoc abstinentiæ pœnitentiæ mercatu: peregrinorum aspirantium ad cęlestem patriam, magnis ieiunij pœnitentięque passibus incedentium; militum in arce & pugnâ aduersus hostes cacodæmones his eisdem armis potissimum dimicantium, quæ defensiua sint & offensiua, quibus nos tueamur, & ipsos hostes impetamus & prosternamus. Ægrorum & malè habentium, qui hac tenui dięta salutaribus ieiuniorum pharmacis percurentur. Reorum qui mortis sententiam prematurè auertant ac deprecentur apud æquissimum eumdem, & modo indulgentissimum iudicem. Denique vno verbo continentia sit CHRISTI discipulorum & sectatorum, qui ad eius monita & instituta continentiæ suæ rationes dirigant, qui eius exempla sectari studeant imitando, qui passionibus eius aliqua ex parte conformare se nituntur, qui iter hoc idem, quod ille pręiuit ad cęleste regnum crucis & mortificationis, inire pergant. Nam *qui sunt* CHRISTI *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, non in commessationibus & ebrietatibus* monebat Apostolus, sed *induimini Dominum* IESVM, & *carnis curam ne feceritis in desiderijs*. Christiana continentia est eorum qui CHRISTO capiti tanquā viua membra cohærent & ne quid indignum tali capite & corpore committant elaborant, qui viua sunt Dei templa in quibus inhabitat & inambulat Deus quem decet omnis sanctitudo, à quibus longissimè debet abesse omnis labes & lues incontinentiæ.

Ad Gal 5. 24.
Ad Roman. 13 13.

In præsentiarum nauigamus, luctamur, atque pugnamus vt in fine per eniamus ad portum, coronemur, triumphemus. Hieron.



CAPVT XXXIII.

De conuiuijs Christianorum vt oratione, pia & colloqutione condiantur & de fugienda eorum frequentia maximè à Clericis.



RIMITIVI Christiani Saluatoris exemplum secuti, qui communi cœnæ sacram Eucharistiam adiunxit, consuerant à percepta Eucharistia, ἀγάπας instituere communia conuiuia, quibus tum inter se, tum aduersus tenuiores & pauperes charitatem suam proderent; de qua vtraque cœna tractat Apostolus ad Cor. Statis diebus, inquit Chrysostomus, mensas faciebant communes, & peracta synaxi post Sacramentorum communionem, inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, vocatis, omnibus communiter vescentibus. Ex eodem plura refert Baronius. Illud celebre est Tertulliani de solo Christianorum triclinio. Cœna nostra de nomine rationem sui ostēdit; vocatur enim ἀγάπη, id quod est penes Græcos dilectio: quan-

1. Cor. 11. Homil. 627.

Ad ann. 543. & 571.

quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris, inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta est causa conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis vtile est: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, & qui sciant Deum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest prouocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit æque oratio conuiuium dirimit: inde disceditur non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum; sed ad eandem curam modestiæ & pudicitię, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quam disciplinam. Illustre monumentum & exemplar disciplinæ Christianę. De eisdem conuiuijs Minutius Felix: Conuiuia non tantum pudica colimus, sed & sobria; nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, sed grauitate hilaritatem temperamus. Conuiuium Christianorum Alexandriæ sub Essenorum nomine à Philone descriptum refert Baronius. Item ex Nazianzeno triplicia triplici de causa celebrari consuesse conuiuia ad quę & Episcopi vocarentur; vel Natalitia in festis SS. Martyrum & dedicationis Ecclesiarum; vel funebria in egenos largissima ad opem defunctis ferendam; vel denique connubialia. Ad Anisium ab eo inuitatus ad nuptias filię, excusat se ab ęgritudine qua tum distinebatur Nazianzenus. Priuata si quando fierent conuiuia necessitudinis & familiaritatis tuendæ causa semper & illa muniebantur oratione, pręmissa benedictione mensę & consecuta gratia-

Apoc. 39.

In Octa.

P. 541.

rum actione. Mensa namque ab oratione sumens initium & Hom.79
in orationem desinens numquam deficiet, ait Chrysostomus, ad pop. Antioc.
& qui hoc orationis freno sese suosque sensus cohibebit, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, & multa quidem animam multa verò benedictione corpus implebit. Quemadmodum Tobiæ iunioris ac Saræ conuiuium nuptiarum cum timore Domini exercebatur: ita Christianorum & publica & priuata conuiuia non sine pietatis sensu ac memoria Dei præsentis omnia contuentis inibantur; eueniebatque illud quod est in psalmo: *& iusti epulentur & exultent in conspectu Domini, & delectentur in lætitia.* Quod Apostolus monet: *siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Id cuique Christiano maximè debet esse cordi: Manducat quis & bibit ad gloriam Dei; quando diuinorum erga se beneficiorum memoriam conseruat; & eiusmodi animi affectionem retinet quæ ex compositione etiam corporis declaretur, vt non tamquam securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habet Deum: & quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, vt non tamquam ventris mancipium propter voluptatem manducet; sed tamquam operarius Dei, vt in operibus ijs quæ sunt ex mandato CHRISTI exequendis esse firmior possit: ita exponit D. Basilius. Idem in Martyrem Iulittam; accumbens mensę, ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; suffulciens firmansque infirmas corporis vires cibo, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit, ad inserendam cordi tuo lętitiam & ad multiplicium infirmitatum non mediocre leuamen. Nulla tibi est sumendi edullij necessitas? caue ne prætereat eius memoria, cuius liberali beneficio ventrem explesti. Cyprianus eadem monet: Sonet psalmos conuiuium sobrium, & vt tibi tenax memoria est, vox canora, aggredere hoc munus ex more; magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio. His similia calamo consono perscribit Hieronymus: nec cibi sumantur nisi oratione præmissa, nec recedatur

Ps. 67. 4. 1. Cor. 10. 31. In Regular. breu. interrog. 196. Ad donat. ep. 2. Ep. 22.

recedatur à mensa nisi referatur Creatori gratia. Monitum fuit Epicteti: Considera inter epulandum duos tibi excipiendos conuiuas, corpus & animam. De Attico Cornelius Nepos: nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit quam anagnosten, neque vnquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est; vt non minus animo quam ventre conuiuæ delectarentur. D. Augustinus hęc ad quemlibet Christianorum: Non eum pigeat in conuiuiolo suo aliquid de diuinis scripturis relegere, vt quomodo caro pascitur cibo; sic reficiatur anima Dei verbo. Eginardus in vita Caroli Magni, ait; inter cœnandum aut aliquod acroama aut lectionem audijsse: additque lectas illi fuisse historias & libros S. Augustini. Quo pertinet & illud Chrysologi: epulis nostris intersit CHRISTVS; Cum facie prandeatur auctoris. Tridentina porro Synodus Episcopos hortatur, imo iubet exemplo Patrum in Concilio Chartaginensi, modesta suppellectili ac mensa, ac frugali victu contenti sint: seruent in mensa sobrietatem moderationemque ciborum: & cum eo in loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, diuinarum scripturarum lectio admisceatur. Quod ipsum in Conc. Nanent. & Tolet. 3. pręscriptum erat. Maiore cum delectatione debemus audire quæ ad mensam nobis accumbentibus leguntur, quam cum quanta aut edimus, aut bibimus; idque vt appareat mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates, sed maiorem in modum se verbis Domini oblectare; quod ille faciebat qui dixit: *dulciora super mel & fauum*, Laudat Nepotianum Hieronymus, quod ieiunia in aurigæ modum pro lassitudine & viribus corporis attemperaret. Mensę auunculi sic intererat; & sic apposita quæque libabat, vt & superstitionem fugeret, & continentiam seruaret. Sermo eius per omne conuiuium de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecunde, recta suscipere, praua non acriter confutare, disputantem contra se magis docere quam vincere: & ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid cuius esset simpliciter

Stob. Ser. 3. — Ser. 56. de temp. — Ser. 127. — Sess. 2. & 25. c. 1. de reform. — C. 11 12 dist. 44. c. 7 dist. 44. — Basil in regul. breu. resp. 180. — Ps. 18. — In Epitaph ad Heliod.

ter confiteri: atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditissimus habebatur: illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij est; sic Minutius Felix, ita Victorinus; in hunc modum est locutus Arnobius: me quoque quia pro sodalitate auunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque assidua & meditatione diuturna pectus suum Bibliothecam fecerat CHRISTI. Et vt idem Hieronymus alibi dicit: seruabat Nepotianus pura, casta simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia: quotidianus eius victus perpetuum erat ieiunium, cũ à mensa semper esuriens abscederet. Vt & ille senex, de quo Cassianus, hospitalitatis & continentiæ peræque studiosus, qui cum Cassianum paululum quid ederet, hortaretur, & ille negaret se posse; Ego, inquit sexies iam aduenientibus fratribus mensam posui, hortansque singulos cum omnibus cibum sumpsi & adhuc esurio; quam laudem Isidoro quoque Presbytero tribuit Palladius, quod numquam satur à mensa surrexisset. Quæ sanè temperantiæ ratio præcipuè est commendanda. Melior est rationabili cum moderatione quotidiana refectio, quam per interualla arduum longumque ieiunium. Parcus cibus & venter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur, & multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere: Pluuia illa optima est quæ sensim descendit in terram; subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. Præterire non debeo quid de conuiuijs Nepotiano suadeat Hieronymus. Conuiuia tibi vitanda sunt sæcularium, & maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est ante fores Sacerdotis CHRISTI crucifixi & pauperis & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare, iudicemque prouinciæ melius apud te prandere quam in palatio. Consolatores nos potius in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis nouerint; facile contemnitur Clericus qui sæpè vocatus ad prandium ire non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus

[Margin notes: modi. — 2. In Iou n. — L. 5. c. 15 — Lans. 1. — L. 5 cū coll. 2. c. 22. & 23. — Hier. ep. 10. — De vita Cleric.]

mus rogati. Nescio enim quomodo etiam ipse qui deprecatur vt tribuat; cũ acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Hieronymus tametsi Paulam, Eustochium, aliasque primarias Romæ matronas, ad sanctioris vitæ religiosæ perduxisset institutum numquam tamen cum eis cibum se sumpsisse testis est: Nulla me potuit delectare, nisi quam manducantem numquam vidi. Fugiamus itaque conuiuia omnia sed maxime fœminarum sæcularium. Non omittam & illud Augustini & Ambrosij præclarum documentum vtriusque exemplo confirmatum. Monebat Augustinus Ambrosium secutus tria homini Dei seruanda, primum vt vxorem cuiquam numquam posceret; secundum vt militare volentem ad hoc non commendaret; tertium vt in sua patria petitus, ad conuiuium non iret: causamque singulorum dabat. Primi, ne dum inter se coniugati iurgantur eum maledicant, per quem coniuncti sunt: secundi, ne militię commendatus malè agens suam culpam suffragatori tribueret: Tertij; ne per frequentiam in patriæ conuiuijs constitutus temperantię amitteretur modus. Hęc Augustinus. Ambrosius autem: quam prudenter conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officijs arbitror, declinare extraneorum conuiuia. De S. Epiphanio Ticinensi Episcopo narrat Ennodius; cum ab Eurico Tolosatum Rege in palatium inuitaretur ad conuiuium: excusatione vsum, & dixisse sibi non esse in more positum alienis aliquando prandijs vesci. Denique Chrysostomus non exiguum esse virtutis signum, si quis fugiat conuiuia sæcularium, idque Dauidi Regi propositum fuisse cum diceret: *Non communicabo cum electis eorum*: quod alius vertit; neque vnà comedam dulcia eorum: idque sanctissimè obseruabat ipse Chrysostomus, vt nullius conuiuium adiret, nisi Reges quidem diu multumque inuitassent. Verum præsertim fugiendas in conuiuijs inuitationes ad haustus æquales grauissimis verbis monent SS. Patres. August. Per inimicam

Ep. ad Asellã.

Poss. in vita S. August.

1. Offic. 20.

In eius vita.

Psalm. 140.

Serm. 231. de temp.

amicitiam adiurare homines non erubescunt, vt potum amplius accipiant quam oportet. Quod peius est, aliqui etiam Clerici qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere aliquos plusquam expedit. Addit: qui cogit alterum vt bibendo se inebriet, crudelius illius animum lacerare quam si cor-
Dist 44 c. 4. de consecr. & dist. 5. cap. null. pus gladio conficeret. Quo pertinet quod in Concilio Nannetensi prohibetur Sacerdos ne se ingurgitet aut bibendo rationis limites excedat: ne si quidem inuitetur in amore sanctorum & ipsius animæ: qua item in Synodo statuitur vt vltra tertiam vicem non bibant, Aduertit Ambrosius, quod hodieque factitatur, eas inuitationes in honorem Principum fieri consuesse: bibamus inquiunt pro salute Imperatorum; & qui non biberit, sit reus indeuotionis; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit: bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtu-
L. de Elia c 17 te, pro filiorum sanitate; quem morem S. Præsul merito damnandum censet. Nam pro valetudine Imperatoris manu pugnandum aut pie precandum potius quam bibendum; nec illius salus meliore loco futura est, si meam ebrietate perdidero. Egregiè eosdem bibones atro carbone depingit eodem
C. 3. libro: Deinde procedente potu, inquit, longiùs contentiones diuersæ & magna certamina quis bibendo præcellat: nota grauis, si quis excuset; si quis temperandum forte vinum putet: & hęc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummatę fuerint epulæ, & putes iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum, & cum consummauerunt, tunc inchoare se dicunt; tum deferuntur phialæ, tum maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur; Agonothetes illic furor est; stipendium, debilitas; victoriæ præmium, culpa. Iterum: quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad iucunditatem, rogas ad mortem, inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina

prætendis,

prætendis, venena suffundis, omne enim quod nocet, venenum est. In conuiuijs olim hodieque cum quis bibisset, solebant acclamare; viue : at vbi immanes cyathi proponuntur, non potest dici, Viue; sed potius, crepa, vel, morere. In capitularibus Caroli Magni habetur : neminem liceat cogere ad bibendum, nisi quantum ei sufficit; eamque legem Salicam fuisse tradit B. Renanus. Sanè videtur malus Dęmon eam consuetudinem inuexisse vt haberet velamentum ebrietas.



Cap. XXXIV.

De Conuiuio Brederodiano quo primum heretici Belgæ Geusij nuncupati.



QVANQVAM multorum litteris ea res æternæ memoriæ est commendata, tamen & hîc paucis repetere, cuiusmodi hæreticorum è Belgio Epicuræorum inter calices inauguratio extiterit, quam fœda, quam pudenda toti sectę, non erit alienum. Conspirationis infaustissimæ Nobilium quorundam aduersus Religionem orthodoxam & Regem suum, quæ tot Iliades malorum Belgio peperit non postremus auctor ac dux fuit Henricus Brederodius, qui in ædibus Culemburgianis hoc deinde nomine ęquatis solo coniuratos circiter trecentos peramplo conuiuio excepit. Hîc inter pocula quæri cæptum est de eâ societate nominanda, placuitque vniuersis illi nomen imponere Nobilis cōcordiæ, ducē verò Instauratorem amis-

Surius in comment. 1566. Strada l. 5.

sæ

sę libertatis appellare: quæ tamen cognomina nunquam deinceps post conuiuium audita. Et erant sanè aliena, planeque mendacia, nisi per antiphrasim accipias. Sed admiranda diuinæ prouidentię ratio, quæ nec inter improbos, eorumque flagitia dormitat à qua priori ista nuncupatione, quam delegerant, repudiatâ. seditiosæ atque hæreticæ factioni, noua Gheusiorum, propria, & accommodata appellatio vltro ab ijs delecta est atque vsurpata. Pridie eius diei ad SS. Gubernatricem adierant ferè ducenti, publicâ viâ, tota ad spectaculum effusa ciuitate, & nouum hoc genus legationis obstupescente. Nam nec supplices videbantur homines arrogantes, ac cõtumaces, qui nemini supplicare consuerãt; nec tamẽ vim vllam præferebant, simplici agmine bini ferme plerumque ętate compositi procedentes. Claudebant agmen Brederodius atque Nassouius Ludouicus Orangij frater: sed obseruatum alterum eorum qui ordinem ducebat claudum exstitisse, idque cum omine malo, nec sine risu exceptum. Aderat fortè Gubernatrici Carolus Comes Barlemontius, qui vt eius animum firmaret, nihil ab istiusmodi hominibus Gheusijs, mendicis, nebulonibus, & hominibus nihili metuendum asseuerauit. Pupugit ea vox plena contemptus Brederodium, atque in sequenti die super mensam Culemburgio & Bergensi, qui tum absfuerant, narrauit vniuersam illam nobilium virorũ coronam à Comite Barlamontio Gallicâ voce contemptim Geusios appellatos, se libenter appellationem illam, quæ eacumque esset, accipere, ac Regis patriæque causa Geusios se mendicosque reipsâ futuros. Falso Regis nomen ac patriæ causam hęresi, quâ iam infecti erant, ac nefandæ coniurationi prætendebant. Quanquam Culemburgio, cæterisque qui non adfuerant, nec Berlamontij vocem audierant, ęgerrimè esset, contemptui ac derisui se habitos: tamen omnibus placuit nomen illud proprium factioni facere, atque ex eo initæ conspirationis insignia petere. Itaque compotantes (& aderat fortè illac præteriens Comes Hochstratanus) inuitare se per-

alacrite r

alacriter, ac Gheusios inuicem compellare, tum vniuersi sumptis maioribus poculis Gheusio nomini feliciter apprecari, Viuant Gheusij magno strepitu ac plausu conclamare.

An non Epicuręorum verè nepotum, ac decoctorum ne dicam furiosorum hominum id conuiuium fuit? an non adiungere poterant: Viuant Epicurei, viuant Asoti, viuant nebulones, ac decoctores Gheusij? Sub finem conuiuij Brederodius mantica, quę fortè domi reperta est, ad collum more mendicantium suspensa, ligneoque poculo vini pleno conuiuis simul omnibus propinat, agitque gratias quod se ad eam diem tanta consensione essent comitati, sperare se conseruaturos hoc idem voluntatis propositum ac studium, sibi eandem profectò mentem perpetuò futuram; quin & pro societate, ac singulis sociorum mortem si opus sit lubentissimè subiturum. Ad ea verba magnis clamoribus ingeminatum: viuant Gheusij. Inde Brederodius exhausto vino cyathum ac manticam propé assidenti tradit; à quo in alios atque alios poculo illo ac sacculo circumlatis, cùm singuli resalutato Brederodio inter bibendum consimili ratione caput suum deuouissent, è mensa surrexere. Brederodio ligneum vasculum ac manticam parieti affigente, cæteri sequuntur exemplum, & suum quique clauum parieti pangentes ex vno in alium locum insignia illa transmouent, deridiculis & plane Epicurçâ sectâ dignissimis initiati cæremonijs. Quo tépore superuenientibus à Mansfeldij domo, vbi pransierant, Orangio; Egmondano, Hornano, resumpti denuo calices, ac redintegrata potitatione, eadem pro Gheusijs vota magnis acclamationibus innouata. Et erant hi sanè duces ac principes infelicissimæ huius conspirationis. Addunt aliqui conuiuas iam madidos sese vino indecorè perfudisse, galeros permutasse, inuersos capitibus imposuisse, mente iam de statu dimota, atque alijs id genus intemperijs animum laxasse, quæ de multitudine & numero & mero corrupta haud difficile est credere. Hæc origo nominis Gheusij fuit: quod nomen Deo, opinor, instigante

Gallicè viuét le Gueux.

gante, per contemptum à Barlamóntio ſupplicantibus accommodatum, tanquam cateruę ex decoctoribus ac mendicis collectæ, ab ipſis in conuiuio temulentis agnitum, acceptumque, ác factioni ſuę fuit impoſitum, inter inconditas vociferationes ac deuotiones hominum ebrioſorum ac verè Epicurçorum, poſtea à factione ad hęreſim, quæ eius erat factionis cauſa, nutrix, ac parens, tradúctum, hæreticorum, rebelliumque Belgarum ita proprium manſit, vt quemadmódum per Galliam Hugonoti, ita per Belgium Gheuſij dicantur hæretici. Ad veſperam eiuſdem diei cænantibus apud Orangiæ Principem Ludouico fratre, Brederodio, alijſque compluribus fæderatis eadem pro Gheuſijs vota repetita, perſonante toto conuiuio: viuant Gheuſij. Inde confidentiores effecti ſtatuunt Gheuſiorum nomen extra priuatos parietes efferre, atque ex eo etiam populi plauſum captare, vt vulgo ſunt nouitatis amantes, inſerto præſertim per fraudem Regis nomine. Itaque per inſequentes dies totâ vrbe volitant coniurati veſtibus è panno cineracei coloris induti; alij ligneas lagunculas ſcutellaſque, & caliculos, quę pauperum ſupellex eſſe ſolet, pileis affigunt, alij caudas vulpium diſſimulationis hæreticæ ſymbolum aptum geſtant, plerique nummum exſculptum primo cera vel ligno, poſtea excuſum ex auro argentoue inſtar bullæ ſuſpendunt è collo, in cuius alterâ parte Philippi Regis cælata erat effigies cum hac inſcriptione Gallica: *fideles au Roy*, in altera videbatur mantica duarum complexu manuum intercepta, circumſcriptis his Gallicè verbis: *iuſques à la beſace*, vſque ad manticam. Poſtremò genas ac mentum raſitare incipiunt relictis in ſuperiore tantùm labro, intortiſque vtrimque myſtacis Turcarum more nimirum vt vilem eam mendicantium ſpeciem ferocitate oris attollerent, ſeque ſimul ſupplices, ſimul metuendos oſtenderent. Imò vt ſe verè Gheuſios, Epicuræos, decoctores, nebulones ad mendicitatem redigendos ipsâ hęreſeos profeſſione demonſtrarent, vt non voce tantum,

ſed &

ſed & habitu eſſent Gheuſij, homines maleſani, ebrioſi, non tam multo vino quam hæreſeos veneno dementati. Qui poſſint Regi eſſe fideles, qui Deo fidem abnegarant, perfidi Deo, perfidi Regi ac patriæ, mendaces, adſimulatores egregij?

Ante biennium vſurparant hi coniurationis principes non abſimilia, nec aliena ab Epicuræa ſecta, famulorum veſtibus appoſita ſymbola, picta hominum capita, ac verſicolores cucullos, quales apponi ſolent centonibus fatuorum ac ſcurrarum. Alij cucullos ad Cardinalem Grauellanum transferebant tum mirè inuiſum, qui more ordinis ampliſſimi amiculum huiuſmodi geſtabat in humeros retortum. Capita verò dictitabant Cardinalis eſſe & eius aſſeclarum, inter quos Ducem Arſchotanum, Comitem Barlamontium, Præſidem Viglium numerabant, conficiebantque per eas ambages ſignificare Nobiles Belgas non ſe inſana capita, vti illos interdum Grauellanus appellauit, ſed ipſum Grauellanum ſocioſque eo nomine digito monſtrandos eſſe. Alij potiùs opinabantur ijs capitibus, fatuorumque cucullis ſe tantummodo Proceres indicare, quaſi illud acciperent Inſani cognomentum, ſed intelligeret Cardinalis quàm concors ea eſſet inſania; timeretque proinde ne ex illo nnmero Brutus exiſteret. Indicabat ſanè diuina prouidentia neſcientibus quàm verè eos dementaſſet hæreſis, ad quam eos ſectam traductura eſſet hæreſis cauſſa conciliata factio, quam ad inſaniam mendicitatemque complures nobilium familiæ perducendæ, quas iuſto Dei iudicio pleraſque funditus intercidiſſe, ac diuinitus extinctas eſſe videmus. An poteſt in poculis atque eiuſmodi delicijs locus vllus eſſe religioni, pietati, veritati, modeſtiæ, paci ac tranquillitati? An non ibi regnat falſitas, impietas, intemperantia, ſuperſtitio, omniſque improbitas? An non eadem ſunt exordia atque incunabula hæreſeos atque impietatis, quæ aſoticæ vitæ atque Epicureæ quam velut in ſpeculo expreſſam hac in Gheuſiorum Ann. 1564.

 factione

tactione contuemur. Sed de his iam abundè. Non omittam vt ex hisce Gheusiorum peruersis symbolis numismatum sacrorum religio sit enata, ac toto Belgio, imò toto orbe proseminata. Ita Deus è malis bona cum fænore ac copiosiore mensura semper elicit.

Visitur Hallis oppido Hannoniæ sacratissima Virginis Dei Matris imago, quam S. Elisabeth Sophiæ filiæ in Belgium nupturæ tradidit, quæ & ab ea Hallis collocata summa popularium omnium religione colitur. Ad eam suppliciter adorandam profectus Arschoti Dux Philippus Croius pro eâ quam à maioribus hæreditariam habebat in Virg. Hallensem pietate (nam ad S. Elisabeth, Regesque Hungariæ suum illi genus ac stemma referunt) eius imaginem SS. Matris Dei filium IESVM sinu fouentis exprimendam argenteis aliquot numismatis curauit, atque illa, vt se recenti Gheusiorum factioni opponeret, ipse, quique cum eo erant complures nobiles, in galeri spiram inseruere, symbolum piæ peregrinationis & Catholicæ Nobilitatis. Non caruit eà res imitatione, multique Bruxellis pro sua in Dei Matrem pietate huiusmodi capitis insignia prætulerunt, gauisaque inprimis Gubernatrix Pio V. Pontif. perscripsit, isque ad augendam Belgarum religionem numismata illa consecrauit, atque ea piè gestantibus aut similia cælitum imaginibus notata peccatorum cōdonationem atque indulgentiam est impertitus. Inde nata quæ tam hodie toto orbe latè dispersa est sacrorum numismatum religio ac celebritas, quæ inter præcipua gentis Croyæ decora meritò recenseri debet.

Brederodius ante discessum ex vrbe & summates Gheusianæ factionis Bergensis, Nassouius, Culemburgius biduo post vltimum congressum nouo libello vetera postulantes Gubernatricem adiere. Sed illa blandis verbis exceptos & sui officij commonitos dimisit. Brederodius Antuerpiam abijt cum 43. equitibus ad cuius cauponam ex plebe supra quatuor hominum millia conuenisse feruntur. Vbi eam frequentiam

quentiam affusam hospitio conspexit, à prandio surrexit, atque ingenti cum patera conspicansè fenestra subiectam in impluuio multitudinem est alloquutus. Antuerpiani adsum hîc ego, vt vos vel cum fortunarum mearum vitęque discrimine tegam, liberosque afferam ab inquisitionis, edictorumque tyrannide. Vos, si mecum in hoc præclaro opere consentitis, agite, & qui vestrum saluam libertatem me duce volunt, propinatum hoc sibi poculum beneuolentię meæ significationem genialiter accipiant, idque manus indicio contestentur his dictis, haustaque patera, ipse ante omnes manus exhibet, &, vt suspicor, vel ipse, vel aliqui turbæ ab eo admixti, ad quos Bruxellensis epuli rumor delatus erat, conclamarunt: Viuant Gheusij, viuat Gheusiorum Princeps Brederodius, tum & ille nummus ęreus in vulgus sparsus, ex vno latere legebantur hęc: Nummus Viannensis, (erat Viannæ Dominus Brederodius) in altero: flammâ, ferroque. cum insculptis symbolis domus Burgundicæ, quam nempe cum orthodoxa Religione. flamma ferroque persequuturus erat; sed in suam & cæterorum coniuratorū certam perniciem infeliciter incurrerunt deplorandi sempiternum in Orco damnati Gheusij.



CAPVT XXXV.

Octo Regulæ S. P. Ignatij ad victum rectè temperandum.

Collat. 5. c. 21.



VIDAM è patribus Eremi apud Cassianum philosophis hoc problema proposuit: multis creditoribus pater meus me dereliquit obnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni conuentionis eorum molestiâ liberatus sum, vni satisfacere quotidiè soluendo non possum. Apud palladium Serapion Sidonites Athenis hoc idem, aut simile proposuit ænigma, de tribus fæneratoribus, quorum duo iam abscessissent, tertius ab eo non recederet; Is tertius fœnerator est venter semper esuriens, importunus creditor, cui quottidie, vt loquitur, Cassianus inexplebilẽ indictionis vectigal inferre cogimur; cui satisfaciendo quottidie, nunquã plene satisfacimus, nec debitum exhaurimus. Simile debitum debito Charitatis, de quo Apostolus, *nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* (Rom. 13. 8.) Cætera vitia, Auaritiam, & luxuriam velut à radice, atque vltimis fibris conuellere possumus, at gulam penitus extinguere, ac præfocare non possumus, vt nihil cum eâ commercij supersit. De se fatetur vir omnium maximus August. (10. Cõfess. 31) Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. In his tentationibus positus certo quottidiè aduersus

uersus concupiscentiam manducandi, & bibendi. Non enim est quod semel pręscindere, & vlterius attingere decernam, sicut in concubitu potui. Itaque freni gutturis temperatâ relaxatione, & constrictione tenendi sunt. Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas necessitatis? quisquis est, magnus est, ego autem non sum, quia homo peccator sum. Narrat possidius S. Præsulem fere leguminibus vsum, & oleribus, & si & carnes in mensam eius inferrentur hospitum gratiâ, sic me docuisti, aiebat, vt tamquam medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam, sed hoc interest, quod hæc alimentorum medicamenta non sunt acerba, & iniucunda sensibus, à quibus abhorreamus, sed suauia, expetita. In ipsis medicamentis maximâ opus est cautione, ne mensura minuatur, aut excędatur. In cibis dum ad quietem satietatis ex indigentiâ transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius qua transeatur, quam qua transire cogit necessitas & cum salus sit causa edendi, & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa iucunditas, & plerumque pręire conatur, vt eius causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel puto. Nec idem est modus vtriusque, nam quod saluti satis est, delectationi parum est: nempe salus suos habet circunscriptos terminos; delectatio est infinita; sed ne omnia transcribam, ad orationis præsidium sibi confugiendum censet, quo nullum est oportunius ad temperantiæ virtutem assequendam; Cum adeo sit occulta, & implicita necessitati voluptas, faciendum quod scriptura docet. Cum ignoremus quod agere debemus, ad te sunt oculi nostri ne pereamus. His tentationibus quottidie conor resistere, & inuoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hâc re nondum stat. Da quod iubes, & iube quod vis, continentiam iubes &c. Temperantiam iubes &c. Habemus pręclaras B. P. S. Ignatij regulas octo, ad victum ritè moderandum, quas erit operæ pretium frequentius commentari.

Prima

Prima quod à pane minus abstinendum sit, quam à reliquis alimentis, cum neque gulam adeo irritet, nec tentationi æque obnoxios nos reddat: si quod periculum est in defectu, quamquam id rarius est, ne minus, quam par est, corpus sustentetur, existimet quisque sui curam gerendam, tanquam vnius è CHRISTI pauperum grege, aut operarij, cui strenuè sit laborandum, & tum certè panem esurienti non negabit, nec immodica abstinentia vires corporis atteret, aut imminuet. Memini me audire ex P. Eleutherio Pontano, cum quidam è nostris S. Patrem adijsset, anxius semper an temperantiæ limites excederet; respondisse B. P. non videri excessisse, quoties aridi panis sapor eum delectaret, eiusque adhuc esurie teneretur.

Secunda. Quod circa potum attendenda sit magis abstinentia, cautè obseruando quæ prosit mensura potus, vt semper sumatur, quæ rursum noceat, vt tollatur. Dictum ab Habacuc: *quomodo vinum potantem decipit*; haustus haustum pellicit, ac trahit, & primus quidem calix necessitatis dicitur, alter voluptatis, tertius ebrietatis. Primus sitim explet, alter hilaritatem adfert, tertius plerunque confusionem.

Habac. 2. 5.

Tertia. Quod circa pulmenta, & edullia potissimum abstinentiæ ratio versatur, cum per illa tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum maior subministretur occasio. Temperanda sunt igitur vitandi excessus causâ, quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur, atque assuescimus; vel dum parce delicatis vtimur. Optandum & ipsis grossioribus parcè vteremur. Certè varietatem, ac copiam ferculorum, quę hodie mensis inferuntur, condimentorumque diuersitatem, quam coquorum ars excogitat, nemo non damnarit superfluitatis luxus, & amentiæ, vt quid perditio hęc? valetudini magis obest hæc ciborum varietas, ac copia. Nos tales, inquit Hieron. accipiamus cibos, quos haud difficulter digerere, & comesos magno partos ac perditos labore doleamus, holerum, pomorum, ac legumi-num,

2. In Iouin.

num, & facilior apparatus est, & arte, impendisque coquorum non indiget, & sine curâ sustentat corpus humanum, moderateque sumptus leuiori digestione concoquitur. Epicurus voluptatis assertor omnes suos libros repleuit oleribus, & pomis, & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti curâ, & miseriâ præparantur.

Quarta. Quod quanto plus de conuenienti victu sibi quis ademerit; vitato interim valetudinis aduersę graui periculo, tanto celerius mensuram cibi, & potus iustam reperiet. Cum quia hoc modo melius se disponens, & obnixius tendens ad perfectionem sentiet interdum quosdam cognitionis internę radios, & consolatorios motus sibi cælitus infusos, ex quibus facilius poterit rationem victus commodiorem discernere; tum quoniam si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quam vt exercitia spiritualia peragens commode valeat, sic facilè aduertet quam mensuram victus naturæ necessitas requirat. Huic regulæ seruiet Æternitatis, aut consimilis trutina, cuius in alterâ lance victus quantitas, in alterâ valetudinis ratio, & cura ponderetur; in alterâ vires corporis, in alterâ conscientiæ puritas appendatur.

Quinta. Quod expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus Dominum IESVM-CHRISTVM vescentem cum discipulis suis, obseruando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo, vsu enim veniet, vt occupato magis intellectu circa meditationem talem, quam circa corporalem cibum, discamus facilius victum moderari. Ipse CHRISTI Domini conspectus animi compositionem, & moderationem adferet, atque intra temperantiæ limites nos cohibebit, neque modò cum discipulis, sed cum publicanis, & peccatoribus, in ędibus S. Matthæi, apud Simonem Pharisæum Magdalena ad eius pedes prostrata, & sæpe aliàs in

Prima quod à pane minus abstinendum sit, quam à reliquis alimentis, cum neque gulam adeo irritet, nec tentationi æque obnoxios nos reddat: si quod periculum est in defectu, quamquam id rarius est, ne minus, quam par est, corpus sustentetur, existimet quisque sui curam gerendam, tanquam vnius è CHRISTI pauperum grege, aut operarij, cui strenuè sit laborandum, & tum certè panem esurienti non negabit, nec immodica abstinentia vires corporis atteret, aut imminuet. Memini me audire ex P. Eleutherio Pontano, cum quidam è nostris S. Patrem adijsset, anxius semper an temperantiæ limites excederet; respondisse B. P. non videri excessisse, quoties aridi panis sapor eum delectaret, eiusque adhuc esurie teneretur.

Secunda. Quod circa potum attendenda sit magis abstinentia, cautè obseruando quæ prosit mensura potus, vt semper sumatur, quæ rursum noceat, vt tollatur. Dictum ab Habacuc: *quomodo vinum potantem decipit*; haustus haustum pellicit, ac trahit, & primus quidem calix necessitatis dicitur, alter voluptatis, tertius ebrietatis. Primus sitim explet, alter hilaritatem adfert, tertius plerunque confusionem.

Habac. 2. 5.

Tertia. Quod circa pulmenta, & edullia potissimum abstinentiæ ratio versatur, cum per illa tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum maior subministretur occasio. Temperanda sunt igitur vitandi excessus causâ, quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur, atque assuescimus; vel dum parce delicatis vtimur. Optandum & ipsis grossioribus parcè vteremur. Certè varietatem, ac copiam ferculorum, quę hodie mensis inferuntur, condimentorumque diuersitatem, quam coquorum ars excogitat, nemo non damnarit superfluitatis luxus, & amentiæ, vt quid perditio hęc? valetudini magis obest hæc ciborum varietas, ac copia. Nos tales, inquit Hieron. accipiamus cibos, quos haud difficulter digerere, & comesos magno partos ac perditos labore doleamus, holerum, pomorum, ac legumi-

2. In Ieiun.

num,

num, & facilior apparatus est, & arte, impendiisque coquorum non indiget, & sine curâ sustentat corpus humanum, moderateque sumptus leuiori digestione concoquitur. Epicurus voluptatis assertor omnes suos libros repleuit oleribus, & pomis, & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti curâ, & miseriâ præparantur.

Quarta. Quod quanto plus de conuenienti victu sibi quis ademerit; vitato interim valetudinis aduersę graui periculo, tanto celerius mensuram cibi, & potus iustam reperiet. Cum quia hoc modo melius se disponens, & obnixius tendens ad perfectionem sentiet interdum quosdam cognitionis internę radios, & consolatorios motus sibi cælitus infusos, ex quibus facilius poterit rationem victus commodiorem discernere; tum quoniam si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quam vt exercitia spiritualia peragens commode valeat, sic facilè aduertet quam mensuram victus naturæ necessitas requirat. Huic regulæ seruiet Æternitatis, aut consimilis trutina, cuius in alterâ lance victus quantitas, in alterâ valetudinis ratio, & cura ponderetur; in alterâ vires corporis, in alterâ conscientiæ puritas appendatur.

Quinta. Quod expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus Dominum IESVM-CHRISTVM vescentem cum discipulis suis, obseruando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo, vsu enim veniet, vt occupato magis intellectu circa meditationem talem, quam circa corporalem cibum, discamus facilius victum moderari. Ipse CHRISTI Domini conspectus animi compositionem, & moderationem adferet, atque intra temperantiæ limites nos cohibebit, neque modò cum discipulis, sed cum publicanis, & peccatoribus, in ędibus S. Matthæi, apud Simonem Pharisæum Magdalena ad eius pedes prostrata, & sæpe aliàs in

Euangelio vescentem licebit intueri. Licebit & infantem IESVM intueri in gremio matris amantissimę, inter eius brachia cum lacte cor illi exsugentem, aut grandiusculum cum eâdem, & S. Iosepho frugalissimæ mensę accumbentem, sed hæc ad sequentem regulam pertinent.

Sexta, quod gratiâ varietatis alię adhiberi possint meditationes inter vescendum, vt sunt de sanctorum vitâ, de piâ quâdam doctrinâ, vel de spirituali aliquo negotio agendo, vnde sic abstractâ mente cibus ipse, ac vescendi delectatio parum sentietur. Plures eiusmodi meditationes passim se offerunt, quæ in singulos hebdomadæ dies diuidi queant.

Die Lunæ. De epulo naturę in pascendis animalibus propemodũ infinitis, cuiusque generis mortalibus, Dei etiam hostibus
Ps. 144. quo referri possunt versus è Psalmis. *Oculi omnium in te spe-*
Ps. 103. *rant, &c. Qui dat iumentis escam ipsorum. Omnia à te expectant*
Ps 146. *vt des illis escam &c.*

Die Martis. De epulo gratiæ diuinarum consolationum inspirationum, atque illustrationum cælestium. *Quam magna multitudo dulcedinis tua, signatum est super nos lumen vultus tui.*

Die Merc. De epulo S. Scripturæ nullius non ingenio, & captui ac-
Ps. 118. commodatæ, nemini, non ad cor loquentis: *Reuela oculos meos, & considerabo, quam dulcia faucibus meis eloquia tua.*

Die Iouis. De epulo sacrosanctæ Eucharistiæ. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem &c.*
Prou 9. *Sapientia ædificauit sibi domum.*

Die Veneris. De epulo SS. Crucis, & passionis. *Sub vmbrâ eius quem*
Cant. *desideraueram sedi. Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ*
Ps. 68. *potauerunt me aceto. Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me*
Ps. 3. *absinthio.*

Die Sabbat. De epulo Inferni damnatorum horribili, in stagno ignis,
Ps. 10. & sulphuris. *Ignis, grando, spiritus procellarum pars calicis*
Mar 9. *eorum. Vermis eorum non moritur, & Ignis non extinguitur.*
Apocal. 14. *Bibent de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius.*

Denique

Denique de epulo cælestis mensæ beatorum. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Satiabor cum apparuerit gloria tua.* *Die Dominico. Lu. 22. Ps. 16.*

Septima, quod cauendum sit præcipuè ne super sumendos cibos animus quodammodo totus effundatur, & ne auidè vescamur, aut festinè, sed appetitui semper dominantes tum mensuram victus, tum sumendi modum temperemus. Hoc quoque monet Bernardus: nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat. *Ad fratres de monte Dei.*

Octaua. Quod plurimum conducet ad tollendam cibi, potusque immoderantiam, si ante prandium, aut cænam, & quâcunque horâ nulla sentitur esuries, prçuiâ deliberatione, victum proximè sumendum definiamus ad mensuram certam, quam deinde nullâ, vel propriâ auiditate, vel instigatione inimici vnquam excedamus, sed potius vincendi vtriusque causâ, de illâ nonnihil etiam subducamus; Audeamus non tantum temperantiæ, verum, & pœnitentię, & cum CHRISTO conuiua in suis egenis cibum partiamur, partem obsonij, nec eam viliorem in vsum pauperum cedamus, maximè cùm ea benignitas referri possit in subsidium animarum purgatorij carcere detentarum, stipem aliquam exspectantium, quâ de re Paulinus Tobiæ consilio. *Panem tuum cum esurientibus & egenis comede. Panem tuum, & vinum super sepulturam iusti constitue.* *Tobiæ 4. 17. 18.*

Concludamus præclaro dicto S. Basilij ventris moderatio, animi perturbationum compressio est, perturbationum autem compressio, animi pax est, atque tranquillitas, animi verò tranquillitas nihil aliud, quam virtutum fœcundissimus fons. *In constitu.*



CAPVT XXXV.

De Lutheri gulâ, & ebrietate, & Caluini Lautiore victu, vtriusque tetrâ, & horribili morte.



1. *De finibus.*

DVo reperiuntur Asotorum, & Epicureorum genera; vnum sordidorum, qui palam se ventris ac gulę mancipia profiteantur, qui quottidie vacent ebrietati, & calicibus epotandis, qui quandoque in mensam vomant, & de conuiuijs auferantur ebrij, ac semimortui, crudique postridie rursus se ingurgitent, qui solem, vt aiunt, neque occidentem vnquam viderint, nec orientem, qui denique consumptis patrimonijs egeant.

Alterum genus mundorum, elegantium, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis vitantium cruditatem, quibus vinum diffusum è pleno sit œnophoro qui nihil prætereant earum voluptatum, quæ corpus suaui motu perfundant, & tamen earum se vehementer apperentes dissimulent, suasque comprimis occultent cupiditates, ne turpiter illis inseruire videantur. Ex hoc posteriore genere fuit Caluinus ex priore Lutherus, sed vterque verè Asotus Epicuręus, Atheus. Lutherus ebriosus quottidie vini præstantis sextarium hauriebat, nec sibi

parem.

parem præstantissimus hic heros in eo genere ducebat. Nihil enim occultabat, aut dissimulabat, sed ebrietatem summis laudibus efferebat, magnorum virorum esse propriam, nec immemor hymnorum sacrorum, quos aliquando monachus decantarat, illam quoque celebrabat hymno ab se composito; cuius hi sunt primi versiculi.

Si vino te impleueris,
Dormire statim poteris.
Et post somnum, ventriculum
Vino implere iterum,
Nam Alexandri regula
Præscribit hęc remedia.

Nempe si depingendus sit Diuus Lutherus zelo plenus, vt eum appellat liber concordantiæ Protestantium, quemadmodum alij pinguntur sancti, D. Laurentius cum ardente ferreâ crate, S. Stephanus cum aceruo lapidum, Hieronymus, aut potius Gerasimus Anachoreta cum Leone &c. non posset commodior nota, ac tessera denotando S. Luthero apponi, quam poculum Catechisticum optimi vini plenum, de quo Rebenstoch testatur gloriari solitum Lutherum vno se illud spiritu exsorbere, nec pari virtute virum alterum inueniri, qui poculum istud vno exhauriret anhelitu. Vt nemo de Herculis manu clauam excutere poterat, sic nemo par Luthero fuit in exhauriendo poculo Catechistico, viniq; sextario. Præclaram sane laudem! cum rogaretur à suis, cur semper de cibis, de poculis, de mensâ, vino, lagenis, vitris sermonem haberet, ridiculè, & blasphemè respondebat, oportet primum hęc fieri, sed nondum statim finis, non nisi ipsâ die, & ebrietate comessationem, ac potitationem definiens. Verum erat illud CHRISTI responsum, ex abundantiâ cordis os loquitur. Huius insignis Dei prophetæ venalis aliquando prostitit Imago, mirum ni cantharum Catechisticum manu gestantis in nundinis Francofortiensibus cum hâc inscriptione: diuinum, & admirabile va-

 ticinium

Calui-no Tur-cismus c. 2. c. 15. ticinium D. Ambrosij, & Augustini de tempore, & aduentu S. Lutheri, qui contra Antichristum Romanum scribere cæpit, vt ex litteris huius versiculi numerum anni repræsentantibus continetur, quod est apud CHRISTI fideles admiratione, & notatu dignum: Tibi Cherubin, & Seraphin incessabili voce proclamant, quę simul iunctæ efficiunt annum 1517. quo primum anno Lutherus prędicare est adorsus, & consentaneam vitæ suę doctrinam Epicuræam de solâ fide iustificante, de negligendis meritis, & bonis operibus, propalare. Nempe celebrandus erat à Cherubinis vultu rubescente Cherubino, inflammatus ardore bacchico, igneus totus in Dei laudes efferuescens Lutherus, quem potius ab Horatio descriptum dixeris.

Me pinguem, & nitidum, & bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Lib. de scand. p. 131. Caluinus Heluetios ministros vocat ignauos ventres, qui vt omni molestiâ valere iussâ, otio, delitijsque suis consulant, cælum passuri sunt terræ misceri. Non id passurus fuisset Caluinus homo turbulentissimus, sed ex altero genere erat Asotorum, qui suas voluptates non negligebat, magnâ curâ, ac diligentiâ prouidebat, nihil haberet in mensâ, nisi egregium, & singulare, panem ex optimo frumento, *Boss. c. 14.* admisto saccaro, cinnamomo, & aquâ rosaceâ confectum, qui antonomasticos panis Caluinianus dicebatur, vinum item maximè selectum, & nobile, carnes lautissimæ, quocunque pretio comparatæ pręter Salgama, & compositiones ex aromaticorum officinis depromptas. In orbem illi conuiuia summo sumptu apparabant eius deuoti conquisitis vndequaque delitijs, atque omni genere lautitiarum, certabantque inter se quis in magistro tractando delicate, atque opipare superior euaderet. Ad ea Caluinus vinum suum in lagenâ argenteâ circunferri curabat, quod vulgo dicebatur, *le vin de Monsieur.*

Hæc forma est pœnitentiæ Caluinianæ, hâc viâ cæleste regnum

regnum initur, sic itur ad astra, Caluino duce, acpręeunte. Nihil iam miror, si ex hâc intemperantiâ nata sit, aut ad eam hâc etiam in vitâ castigandam immissa diuinitus ea morborum vis, & copia, quâ Caluinus extinctus perijt. Scribit Beza Caluinum laborasse calculo, & podagrâ, phthisi, colicâ, astmate, seu respirandi difficultate, hæmorroide, hemicraniâ, fluxione erodente, & sanguinis excreatione. Sed non addit morbum pedicularem de quo Bolserus, scribit eum pediculis, & vermibus toto corpore exesum, præcipuè in fundamento, & verendis, quibus fœtidissimum vlcus inerat, ex quo vermes scaturientes totum corpus peruaserat, quos cruciatus non ferens Caluinus, dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, blasphemans miser expirauit, detestatus diem, & horam, quam vnquam studijs, ac scriptioni impendisset, cum ex vlceribus, & toto corpore grauissimus fœtor emanaret, ex quo, & sibi, & toti familiæ erat intolerandus, quam ob causam visitationes omnes abnuebat. Cuiusmodi mortem Herodis infanticidæ describit Iosephus sempiternæ ac secundæ mortis pręludium, eiusmodi diram mortem pati Caluinum oportuit, à quo tot innocentium animæ sempiterno datæ sunt exitio.

C. 12.

17. antiquit. 1. De bello 21


Mitior in speciem, sed coram Deo tetra æque, & horribilis extitit mors Lutheri, nam cum vesperi bene potus hilariter, ac scurriliter, vt solebat iocis, ac dicterijs exactâ cenâ decubuisset, postridie mane mortuus in lecto est deprehensus, copiâ forte vini, & ciborum pręfocatus, aut potius à Cacodęmone extinctus familiari suo, quod ipse, Oecolampadio, & alij ministri de Carolostadio tradunt. Sane si quis ab exordio nascentis Ecclesiæ repetat hęresiarchas omnes, horribili supplicio diuinâ iustitiâ hâc etiam in vitâ summum illud hæreseos crimen vindicante, plexos, ac sublatos è viuis comperiet: quemadmodum dux omnium, & antesignanus Iudas proditor laqueo se suspendit, & crepuit medius ipse suæ pœnæ, & vindictæ exequtor dignissimus. Si pecca-

peccatorum mors pessima, qualis hæreticorum, & hæresiarcharum, quæ mors, est corporis, & animæ secunda, aut tertia, damnatioque sempiterna.



CAPVT XXXVII

De S. Caroli Boromæi singulari abstinnetiâ, & pœnitentiâ, fœlicique ad Deum transitu.



ON inscitiæ modo me, verum, & grauissimæ iniuriæ ac contumeliæ condemnarim, si vel in mentem mihi venisset S. Carolum cum Luthero, aut Caluino vllâ ex parte comparare. Quid enim id sit aliud, quam cum tenebris lucem, cum mendacio veritatem, cum vitio virtutem, cum petulantiâ modestiam, cum intemperantiâ, atque luxuriâ castimoniam, ac sanctitatem ipsam componere, ac conferre? vt prætercam quod ab hominibus seculi magni solet ęstimari, nihilque dicam de Lutheri, & Caluini genere abiectissimo, qui duo terræ filij nomina sua cõmutarunt, ille ignominiosum Ludder quod derisorem, ac furem significat cum specioso Lutheri, quod purum designat; hic autem Nouioduno liliatus abscedens ex Cauuino Caluinum se fecit; apte per anagramma Lucianum, & alias Carolum Happeuilleum: fami-

lia vero Borromęa omni genere splendoris illustrissima, ex quâ tot orti principes, religione, militiâ, rebus domi, forisque gestis, & fortunis amplissimi, an me sanæ mentis, & iudicij compotem existimem, si S. Caroli vitam innocentissimam, virtutibus omnibus, & Dei donis ornatissimam, tum & sanctissimam mortem eius vitæ consentaneam cum Lutheri, & Caluini impurissimâ, flagitiosissimâ, contaminatissimâ vitâ, & morte non absimili tetrâ, tartareâque comparare cogitauerim? Absit hæc à me tam iniqua, & peruersa comparatio, sed tamen vt hosce pudeat Lutheri, & Caluini discipulos Epicuræos turpitudinis, ac fœditatis suorum magistrorum, qui non modo omni sese intemperantiæ dediderunt vitamque Gallonij vixerunt in omni luxu, verùm insuper cum esset vterque sacris ordinibus initiatus, ac castimonię voto religatus, ad Dei cultum, & obsequium Lutherus sacerdos, & professus Augustinianus, Caluinus è clero seculari curatus pagi cuiusdam prope Nouiodunum ausi sunt incestas contrahere nuptias, Luther cum Catharinâ Bureâ, sanctimoniali è monasterio Monicæ abreptâ; Caluinus cum Idiletâ Bureâ, non absque graui suspicione tentati sæpius alieni thori, ne dicam alterius quoque nefandi criminis, quod appellari non decet. Ad horum, inquam, de scholâ Epicuri Magistrorum & discipulorum erubescentiam, & confusionem, vtinam & emendationem, non grauabor de S. Caroli Pontif. ac Card. integritate vitę, & castitate virginali, omnique sanctitate clarissimi nonnulla virtutum exempla commemorare, quæ & ad ipsam veram Ecclesiam denotandam, orthodoxam religionem prodendam, tot inter impias hæreticorum Synagogas ac sectas ab intelligentibus referri poterunt. Cum esset S. Carolus, S. Pontificis Pij. IV. ex sorore Medicęâ nepos primo ipso ętatis flore sub annum 20. ab eo allectus in Collegium Eminentissimorum Cardinalium, amplissimis ornatus beneficijs, nihil de continentiæ, atque omnis virtutis excolendæ studio remisit, cum ad eius

tentandam, ac labefactandam pudicitiam ab ijs, à quibus minimè oportuerat, impudicæ mulieres clam in eius cubiculum immissæ fuissent, eas ipse inuictâ constantiâ non semel fugauit, eosque homines mane insalutatos non sine iustâ, sanctâque animi commotione deseruit. Cum vero frater eius maior natu Fredericus Vritanus dux intempestiuâ morte fuisset è medio velut honoris, ac gloriæ cursu, stadioque sublatus, nemo non amicorum, ipse etiam Pontifex Auunculus auctor erat S. Carolo statum Ecclesiasticum commutaret, & ad nuptias se dignas assumpto principatu transiret. At ille, vt spem omnem præscinderet, Deoque sese arctius illigaret ad castitatis firmiorē obseruantiam, sacrum presbyterij suscepit ordinem, acceptissimasque diuinæ maiestati primitias obtulit, vrbe, & curiâ Romanâ non sine causâ vehementer admirante, ac collaudante. Archiepiscopus deinde Mediolanensis creatus nihil habuit prius in votis, nihil egit studiosius, adeoque peregit, quam vt in suâ Ecclesiā, suo pastor inuigilaturus gregi resideret: Et quos non exhausit labores, quas non molestias exsorbuit, quas ærumnas non pertulit lubens? Quas non obiectas euicit difficultates? Vt Ecclesiam suam repurgaret, incultam atque optimis excoleret institutis, legibusque, ac moribus stabiliret ad Concilij potissimum Tridentini regulas, ac normam ex arte compositis, quod Concilium eius potissimum operâ, diligentiâ, atque industriâ fuerat absolutum? Quo zelo, quâ sollicitudine, quâ charitate, complexus omnes suæ diœcesis partes, ac regiones perlustrare, omnium ordinum tum Ecclesiasticorum, tum secularium mores reformare, & in antiquum splendorem virtutis reuocare studuit, tum præcipuè in profligandis hæreticis in partibus Rhętorum, & Heluetiorum suæ iurisdictionis, quorum plurimos ad Christianam fidem conuertit, quam strenuè, constanterque laborauit? Non modo nulli labori, sed nec impensę parcens siue in erigendis, dotandisque monasterijs, & seminarijs, siue in alijs pietatis

operibus

operibus ſtabiliendis. Quid quod diuendito principatu Vritano pretium vniuerſum ad quadraginta aureorum millia, ne nummo quidem ſibi retento, vnâ die in pauperes erogauit? Eâdem charitate altera 20. millia ſibi legata in eoſdem egenos diſtribui curauit, omneſque Eccleſiaſticos cenſus, & prouentus quibus cumulate erat ab Auunculo ditatus dimiſit paucis retentis in ſuos, & pauperum vſus neceſſarios. Quo tempore peſtis Mediolani graſſabatur, domeſticam quoque ſuppellectilem ne relicto quidem ſibi lectulo in illorum alimenta, ac commoda contulit, ſuper nuda in poſterum tabulâ decumbens, ac parciſſimum ſomnum capiens. Inuiſebat ipſe laborantes peſte, ſuiſque manibus diuina illis ſacramenta miniſtrabat, paterno, ac pluſquam paterno in eos affectu, atque vt diuinam mitigaret iram, plebique ſuæ Deum offenſum conciliaret, publicâ ſupplicatione indictâ, fune ſibi ad collum religato, nudis pedibus etiam offendiculo cruciatis, ac cruentatis crucem ingentem baiulans, ſemet hoſtiam pro ſui populi peccatis offerebat. Sed non eſt mihi propoſitum egregia tanti viri facinora commemorare omnia, de continentiâ dumtaxat, & morte paucis adijciam. Abſtinentia fuit admirabili, ad cuius ſummum apicem continuo mortificandi ſe ſtudio peruenit cum nullo non die multa non ad voluptatem, ſed iuſtam prope neceſſitatem ſiue de victu, ſiue de ſomno detraheret. Eoque tandem attigit, vt continuum toto anno ieiunium duceret, & non niſi pane, & aquâ vitam toleraret; quin & à pane etiam abſtinuit, ſorbitiunculis contentus exiguis, vt plurimum ſolis lupinis, oleribuſque famem depellens. Quid de nocturnis vigilijs, aſperrimo cilicio, aſſiduis flagellis, quibus innocentiſſimum corpus ad Dei gloriam macerabat? Non poterat in hâc ſummâ abſtinentiâ, ac pœnitentiâ vita eſſe productior, quare Gregorius 13. Pontif. Max. breui ad eum dato ſummam illam diſſuaſit auſteritatem. Duo preterea præſtantes viri, quorum maxima erat apud S. Carolum opinio, atque authoritas datis ad ipſum literis;

 idem

idem præstiterunt Ludouicus Granatensis & Archiepiscopus Valentinus Ribera, vterque celebris doctrina & sanctitate. Sed egregium fuit Cardinalis ad vtrumque responsum; & Granatensi quidem inter alia reposuit: Nam sanctissimos viros Nicolaos, Chrysostomos, Spiridiones, Basilios qui cũ maximarũ Ecclesiarum Episcopi essent, perpetuis vigilijs ieiunijsq́; vitam traduxerunt, & ad summam tamen senectutẽ peruenerunt, tibi cõmemorare superuacaneum est. Episcopo Valentino sibi etiam in votis esse accelerata morte defungi, dum suo muneri non deesset. Quod si etiam dum Ecclesiæ, pro qua CHRISTVS acerbissimam mortem pertulit, opera nauatur, virium quas debilitari, vitæ, quam interire necesse est, iactura fiat; id maximi lucri atque emolumenti loco ponendum est. Nimis delicati hominis est, nedum Episcopi à muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est administratione & cura, aut valetudinis studio retardari aut mortis formidine deterreri. Nec fortius locutus est quam egit S. Carolus vitâ tot accisâ ieiunijs, pœnitentijs ac laboribus sui gregis causa susceptis, cum eius exitũ, ac finem prope iam adesse præsagiret in solitudinem Montis Viralli secessit, vt sese ad mortem velut innouato feruore compararet. Visuntur in eo templo sculptis imaginibus mysteria Dominicæ Passionis ad viuum expressa, quorum contemplationi erat addictissimus: hîc spiritales S. P. Ignatij meditationes & exercitationes aggressus dirigente P. Adorno asperrimam agere vitam voluntaria castigatione, sed CHRISTI cruciatuum meditatione suauissimam, in febrim incidit, non adeo vehementem, vt mors timeri posset. Quam tamen ille diuino spiritu præsentiens Mediolanum Arona reuerti voluit ac summo mane discessit sub sacrum Nouitijs multisque externis prius impertita diuina Eucharistia. Ingrauescente sensim morbo plenus desideriorum cœlestium, cum cinere & cilicio voluisset operiri; defixis in crucifixum oculis, ore ac vultu renidenti sanctissimam efflauit animam in cœleste domicilium beatorum mox ab Angelis deportan-

dam anno ætatis 47. Domini 1584. pridie Nonas Nouemb. Quem Deus innumeris mox Italia tota ac orbe Christiano miraculis illustrauit, summusque Pontifex Paulus V. in SS. numerum maxima omnium quæ vnquam fuit celebritate omniumque Ecclesię Mediolanensis ordinum gratulatione detulit; cuius ad aram non semel ex itinere supplex fui, & quoad vita supetet absens supplex ero, sit nobis apud Deum supplex Patronus & quotquot è clero sumus illius vestigia longo licet post interuallo consectemur.



CAPVT XXXVIIJ

Hæretici Epicuræi describuntur ab Apostolorum Principe D. Petro & D. Juda.



SIT hoc caput Epilogus huius libri ac proëmium insequentis, quo verbis Apostolorum Petri & Iudę suis apte coloribus depingantur internoscendi; tum & emendandi causa commoneantur hæretici Epicuræi. Conuenit argumentum Epistolæ D. Iudæ cum ijs quæ D. Petrus scribit. At tametsi velint PP. atque interpretes ab vtroque Apostolo Simonianos pręcipue denotari, tamen eisdem veluti maioribus ac progenitoribus se dignis Lutherani & Caluiniani pestes, viuę eorum imagines, qui eadem dogmata de 2. Epist. c. 2. & init. 3.

 sola

sola fide iustificante sectantur, & eodem incontinentię atq; impudicitiæ cœno volutati atque implexi tenentur, haud obscurè descripti recognoscentur. Auctorem habeo S. Hieronymum, qui de Iouiniano eundem Principis Apostolorum locum interpretatur. Describit sermo Apostolicus Iouinianum (adde Lutherum Caluinum &c.) loquentem buccis tumentibus & inflata verba trutinantem, repromittentē, in cœlis libertatem cū ipse corruptionis seruus sit atq; luxuriæ, canis reuertens ad vomitum suum. Nam cum Lutherus Monachum se esse iactitet, & post sordidam tunicam & nudos pedes & cibarium panem & aquæ potum; ad candidam vestem & nitidam cutem, ad mulsum & elaboratas carnes, ad iura Apitij & Paxami, ad balneas quoque & fritillas & popinas se conferat; manifestum est quod terram cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat CHRISTO, & quod aliàs CHRISTVM Zenone vel Epicuro commutet. *Fuerunt & pseudoprophetæ in populo Hebræorum; similiter & in vobis erunt magistri mendaces* ψδδοδιδάσκαλοι.

2 Petr. 1. 1.

Tempus nouæ legis & Magistrorum vt antiquæ Prophetarum; hi prędicebant, isti explicant fidei mysteria, sed vtrobique veris falsi & mendaces admiscentur, *qui* ab eodem *illusores* alibi dicuntur, duplici de causa; & quod pro ludo habeant CHRISTI religionem eiusque cultores derideant homines Athęi, quamquam externa specie vel maximè velint haberi Christiani, & quod varia instructi sint arte fallendi, quos Latinè dicimus impostores, Hebræi linguæ suæ proprietate illusores, *iuxta proprias concupiscentias ambulantes*, obsequentes suis carnalibus desiderijs, gulæ & libidini seruientes, qui facile abijciunt & impugnant spem spiritalium ac cœlestium bonorum, quæ à Deo nobis promittuntur. Notat eosdem illusores Apostolus hîc iterum quod scripturas deprauent indocti & instabiles in suam perditionem, cœci & duces cœcorum, qui scripturas omnibus è plebe legendas promiscuè proponunt, vt apertissimas & intelle-

C. 3. v. 3.

Pet. 3. 16.

ctu facillimas, & pluribus tamen easdem & prolixioribus commentarijs onerant; dumque fictitias è suo cerebro alienas adhibent interpretationes, fidem illis omnem atque auctoritatem detrahunt. Sed ne à 2. capite abeamus: *Qui introducent sectas perditionis, & eum qui eruit eos, Dominum negant.* Saluatorem suum qui diuino est eos cruore mercatus, abnegantes; vt de Caluinistis superiore libro demonstratum est. Similis sententia est S. Iudę: *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc iudicium) impij*: Hęreticorum est obliquis se vijs insinuare: *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*, ἀσέλγειαν lasciuiam, libertatem à lege, peccatis & diabolo vertunt in occasionem omnis luxuriæ, hic enim eorum omnis sectę ac disciplinæ scopus est: *Et solum dominatorem ac Dominum nostrum* IESVM *negantes*; qui diuinam illi tum naturam, tum personam detrahunt, meritumque eius infiniti & inexhausti pretij, quo mundus est redemptus non agnoscunt. *Superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias*, seu lasciuias: hic potissimum escâ in eam Libertinorum sectam pellecta testantur agmina Monachorum & Presbyterorum abnegatorum, qui claustris continentiæ perruptis ad veneris castra transuolarunt: *per quos via veritatis* orthodoxæ *blasphematur*: malè audiunt religiosę domus ab Apostatis. Difficile est hæreticum inuenire qui diligat castitatem; sunt enim omnes voluptatum magis amatores quàm Dei, *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*, quęstum de vobis facient fallacibus & compositis verbis, *quibus iudicium iam olim non cessat*; non tardat, certa manet eos pœna & damnatio diuino iudicio infligenda: *& perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Non posse prauorum dogmatum inuentores diuinum effugere iudicium quatuor confirmatur exemplis; & commode primum est Angelorum, reproborum qui superbia peccarunt, quæ omnium hęresum extitit parens ac nutrix. *Sed rudentibus inferni* detractos

C. 2. 1.
Ep. Iud. 1. 4.
2. Pet. 2. V. 1. 2.
V. 3.
V. 4.

detractos in Tartarum tradidit cruciandos in iudiciũ reseruari: quo extremo die summa eorum superbia & malitia toti mundo patescet; interim in abyssum tormentorum carceribus ac rudentibus infernalibus addicti ac præcipitati pœnas luunt. Platoni Tartarus est Thesaurus aquarum quas tellus euomit ac resorbet aptè ad tormentorum æternorum abyssum & lo-
V. 5. cum vox traducta est. *Et originali mundo non pepercit*: alterum
Ex Genes. 6. 7. exemplum. *Sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit*: Octauum non ab Adam, à quo est decimus, sed inter octo
V. 6. animas reseruatas primum & caput. *Diluuium mundo impio-*
Ex Genes. 19. *rum inductũ. Et ciuitates Sodomorum, & Gomorræorum in cinerem redigens mersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens.* Tertium exemplum cum Adama & Seboim (quinta Segor Pentapolim complens data fuit precibus Loth) vtinam exemplo hoc sapiant Lutherani & Caluiniani, quos animarum corruptores manet æterna flamma, Go-
V. 5. morræâ longè formidabilior. Quartum addamus exemplum quod est primum apud Iudam. Petrus tria habet, de Angelis, de mundo originali, de Sodomis; primum & tertium afferuntur etiam à Iuda, loco secundi de diluuio profert de
Exod. 12. 13. 14. perditis ob incredulitatem Israelitis. *Quoniam* IESVS *populum de terra Ægypti saluans secundo eos qui non crediderunt*
Num. 14. 26. *perdidit*. Historia nota est. Et vero Moyses fatetur & refert quotquot numerati fuerant à viginti annis & supra, exceptis Caleb & Iosue, ob inobedientiam & murmurationem con-
1. Cor. 10. sumptos fuisse in deserto. Quo respexit Apostolus: *Sed non in pluribus eorũ beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.* Omitto quod loquitur de Loth imaginem Catholicorum inter hæreticos versantium proferente. Quod autem sequitur
2. Pet. 2. v. 7. 8. 9. color est viuus quo Princeps Apostolorum Epicuræos graphice depingit. *Magis autem eos qui post carnem in concu-*
V. 10. *piscentia immunditia ambulant dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere blasphemantes*: maximè punientur desideria carnalia sequentes &

vitam

vitam agentes in omni genere turpitudinis; dominationes contemnunt (Hieronymus in plurali) tum sacras tum prophanas, ciuilem & Ecclesiasticum Magistratum; noua quottidie dogmata spargentes, in sectas innumeras dispertiti, quod hodieque probat experientia. Consonat his S.
Iudas: *Similiter & hi carnem quidem maculant, domina-* V. 8.
tionem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant: Græcè somniantes & errantes; *dicentes quæ non sciunt.* Et aper- V. 10.
tius paulò pòst. *Hi autem quæcunque ignorant blasphemant*. Ea est hæreticorum indoles mordere & blasphemare ea quę non intelligunt; vt Manichęi vetus testamentum, Ariani mysterium Trinitatis, Caluiniani & Zuingliani sacrosanctę Eucharistiæ sacramentum. *Quæcunque autem tamquam muta animalia norunt in his corrumpuntur*; quasi solis sensibus ducerentur expertes rationis, in ijs quę gustu tactuque percipiuntur, per comessationes & ebrietates, variasque libidines corrumpuntur, ea dedecora admittunt quibus dignitas humanæ naturæ dehonestetur ac
deturpetur, quibus consonat D. Petrus. *Vbi Angeli, for-* 2. Petr.
titudine & virtute cum sint maiores, non portent aduersum 2.
se execrabile iudicium. Boni in malos quamuis execratione V. 11.
dignos; prout Iudas de Michaele scripsit in altercatione
super Moysis corpore: *Non est ausus inferre satanę iudicium* V. 9.
blasphemiæ, sed dixit; imperet tibi Dominus. At hæreticorum intolerabilis est audacia adeo multa horribiliaque blaterantium & blasphemantium in Deum, in Deiparam, in sanctos, de Doctoribus Ecclesiæ, Magistratu Ecclesiastico & ciuili, vt ea referre exhorreat animus. Lutherus non dubitauit Reges appellare lentes capitis sui, Parisiensem Academiam, Sodomam, Louaniensem, Gomorrham; sedem Romanam, regnum Antichristi; Episcopos ac Sacerdotes capita rasa & oleata; S. Thomam vnum de septem phialis iræ Dei. Conuitia Caluinianorum in Reges & Principes continet liber Gallicus, cui titulus, Excitatorium matutinum. *Hi*

V. 12. *vero velut irrationalia pecora naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.* Blasphemia etsi plurimum est contra Deum, est etiam contra alios cum aliqua mala dicantur de bonis: Augustinus: maledictorum plaustra tum in Orthodoxos, tum in seipsos conferunt, & quæ non intelligunt, instar brutorum dentibus maledicentiæ lacerant; & se voluptatibus immergunt, in praua & perdita vita peribunt. *Percipientes mercedem iustitiæ, voluptatem existimantes diei delitias coinquinationis & maculæ, delitijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum.* exuto omni pudore palam commessationibus & impudicitijs vacant, quorum ea vox est: *Manducemus & bibamus cras enim moriemur:* ἐντρυφῶντες insultantes Orthodoxis. *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti:* in oculos gestantes adulteras explendę libidinis causa, insatiabiles ad videndum id, quod ad libidinem prouocat. *Pellicientes animas instabiles,* inescantes per voluptates carnis, quas promittunt vnà cum conscientiæ libertate, & certissimâ spe salutis, eos, qui parum firmi sunt in fide. *Cor exercitatum auaritiâ habentes,* plurale auaritijs, sæpe Apostolus sumit pro inexplebili voluptatum turpium auiditate, *maledictionis filij,* maledicti, in ignem æternum ablegandi; potest & de auaritia pecuniæ sumi, quę tanta est in hæreticis, vt vsuram licitam esse non vereantur asserere, in quo simul & magia conueniunt egregiè cum Balaam Pseudopropheta. Vulgatus est liber Serrarij nostri de magistro Lutheri, dicebat cum eo plusquam vnum modium salis se comedisse, ab eoque argumenta didicisse, quibus Missæ sacrificium impugnaret. Caluinus scribit se à genio quodam impulsum, vt siue concionaretur; siue scriberet, semper malediceret, atque conuitiaretur. Sed his prętermissis compendij causa transeo ad versum 17. *Hi sunt fontes sine aqua,* fontes sicci sine bonis operibus, *& nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur,* tenebrę exteriores apparantur, similis sententia S. Iudæ. *Hi sunt in epulis*


De moribus Manichæo. c. 2. — *1. Cor. 15.* — *Ad Ephes. 4* — *Epist. ad Buceru.* — V. 17. — *Aug. de fide, & oper. c. 13.* — *Matth. v. 2. 15.* — V. 12.


epulis suis, macula, conuiuantes sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circunferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, relapsę in infidelitatē, *fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Hi sunt mur-* V. 16.
muratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba. Quò pertinet sequens versus apud D. Petrum. *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desiderijs,* V. 18.
carnis, luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, indoctos, & instabiles in fide illecebris irretiunt, *libertatem eis promittentes*, qua nihil est optabilius, ex sola V. 19.
fide certam salutem nullis obstantibus peccatis, *cum ipsi serui sint corruptionis* prauæ concupiscentiæ, quæ in omnem eos inducit peccati corruptionem, vel significantur corruptelæ libidinum, quibus se in seruitutem addixerunt; *à quo enim quis superatus est, huius & seruus est*; incontinentiæ, intemperantiæ, luxurię mancipium. *Si enim refugientes coinquinatio-* V. 20.
nes mundi in cognitione Domini nostri, & saluatoris IESV-CHRISTI *tam magistri, quam discipuli hæreseos, his rursus impliciti superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post* V. 21.
agnitam retrorsum reuerti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Potest omnino quod negant aduersarij via veritatis agnita deseri, fides, & charitas semel adepta deperdi, neque vllus de sua salute certus existit; fidei certitudine sciens illa, peccat per ingratitudinem, ab eo quod illi traditum est sancto mandato, recedens retrorsum, grauissimo peccato vel hęreseos, vel apostasiæ. *Contingit cum eis, illud veri prouerbij,* V. 22.
Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Caluinus canis ad vomitum reuersus, Lutherus sus ad volutabrum suum. Caluinus rabie canina, Lutherus impudentia porcina, aut vterque canina luxuria, porcina gula, atque ingluuia infamis. Quisquis ab vtrouis propinatum Circæum poculum hæreseos stultus, cupidusque hauserit.

Hor. 2. ep. 2. *Sub dominâ meretrice futurus, turpis, & excors*
Seruus, aget Canis immundus, vel amica luto sus.

Sanè si non alios mihi lectores proposuissem, quam Caluini, Lutherique discipulos obstinatos, ab hâc me pridem omni scriptione CHRISTVS Dominus absterruisset, cū monuit.
Mat. 7. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Vtinam oues esse malint, & agni CHRISTO pastori, eiusque vicario in terris summo pontifici in fide, & moribus obsequentes, tum cætera inter alimenta doctrinæ, quibus abundat ouile CHRISTI, hoc etiam à me collectum pabulum salutare fore confido.

Liber





Liber Tertius

DE ALTERA PARTE CONTINENTIÆ IN REPVDIANDIS OMNINO, AVT MODERANDIS VOLVPTAtibus venereis.

CAPVT PRIMVM.

De eximia laude Castitatis, quæ sit eo nomine digna.



QVOD Castitati potissimum continentiæ tribuatur appellatio, ea potest esse causa, quod Venereæ voluptates sint omnium vehementissimę, profusissimæ, ac molestissimæ; in quibus frænandis ac coërcendis pręcipua adhibenda est contentio. Deinde quod perfecta continentia quæ eadem est perfecta

Castitas, eo nomine digna, penitus eas voluptates abijciat, non tantum ex parte reprimat, sed plane refugiat atque abhorreat id comprimis honestum, illustre, ac homine Christiano dignum existimans. Cæteræ cupiditates cibi ac potus extirpari semel ac penitus non possunt; cum ad indiuidui conseruationem pertineant, nulloque non die cibus ac potus sit repetendus, quia nemini speciatim incumbit speciei conseruatio, & propagatio, potest rescindi funditus & amputari ab vnoquoque seorsim rerum venerearum concupiscentia. Atque hæc est eximia laus continentiæ & castitatis, quæ iuste sibi vindicet hanc appellationem. Si generoso quis animo à se longissimè, quoad cum diuina gratia poterit, omnem venereæ voluptatis voluntatem cogitationemque propellat; si rerum cœlestium meditatione, ac diuina charitate, prauam planè consopiat atque restinguat concupiscentiam. Est quędam generalis Castitas, metaphoricè sic dicta, quà sic adhęret animus Deo summo bono, & vltimo fini suo, vt ab eo nullius rei creatæ delectatione possit auocari. De qua Paulus

2. Corinth. 11. 2. Apostolus. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere* CHRISTO, huicq; respondet fornicatio spiritualis in quouis lęthali crimine, potissimum in idololatria sita, dum veri

Ierem 3. 1. Dei cultus ad creaturā traducitur. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Est Castitas præterea maritalis, quæ honestos intra coniugij limites, ad procreationem prolis, Veneream illam voluptatem moderatur, ac continet, ne sese efferat effusius habita temporis, loci, modi & aliarum circumstantiarum ratione, verum ea est imperfecta, & vix eo nomine digna cum isti voluptati sese substernat, & submittat, tametsi intra coniugij legitimum & honestum vsum. Non eam omnino euincat ac prosternat: certè distinctam quamdam honestatis speciem propositam habet ea castitas, longè inferiorem ei, quæ in repudiandis omnino atque ablegandis voluptatibus elucet.

Prima Castitas dicatur Innocentia, puritasque vitę Christianæ.

ſtianæ. Secunda cum adiunctione Caſtitas coniugalis. Tertia quæ perfecta eſt abſolute Caſtitas virginum aut continentium ſine vlla reſtrictione ab omni Venerea contagione puritas, cum altera maritatorum non omnimoda ſit nec integra, nec abſoluta puritas, ſed reſtricta & limitata, quā præſcribit honeſtus coniugij thorus, quam lex maritalis exigit, ac depoſcit. Hæc comparatione coniugum, qui eam amplectuntur, in præcepto eſt; At quæ proprie perfecteque caſtitas dicitur, eo nomine digna, puritas perfecte continentium eſt in conſilio perfectionis. Quare quod inter præceptum & conſilium quadruplex diſcrimen ſtatui ſolet; inter hanc vtramque caſtitatem, licet obſeruare; ex parte materiæ, ſubiecti, formæ & finis.

1. Nam materia præcepti facilior eſt; conſilij, difficilior; caſtitas coniugalis haud longè abeſt à principijs naturæ, ſed illi eſt conſentanea: at virginitas & perfecta continentia naturæ limites excedit, præſtantia & dignitate ſupergreditur naturę curſum, atque ordinem. Quis humano eam poſſit ingenio comprehendere, inquit Ambroſ. quam nec natura ſuis incluſit legibus, aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturę ſit? è cælo accerſiuit, quod imitaretur in terris. Tum materia pręcepti bona eſt: conſilij melior, quamquam nemini præceptum coniugij ſpeciatim impoſitum eſt, ſed omnibus generatim permittitur & indulgetur, quod ſi quis tamen ineat matrimonium, caſtitas illi maritalis pręcepta eſt. Caſtitas virginalis aut vidualis melior dignior, excellentior, offertur, non pręcipitur. Illæ autem amantes quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, qui terrenos amplexus non deſiderauerunt, vſque adeo acceptarunt præceptum, vt non recuſarint conſilium: vt plus placerent, plus ſe ornauerunt.

L. 1. de Virginibus.

S. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli.

2. Ex parte ſubiecti, quod præceptum commune ſit omnium: conſilium non omnium ſed paucorum. Matrimonium vulgo patet, omnibuſque proponitur, quæ nullam ſibile-

bi legem ab eo continendi priuatamque necessitatem induxerunt; de Virginitate dicitur, Qui potest capere capiat, de iustitia non dicitur, qui potest facere faciat, sed omnis arbor &c.

Matth. 19.12.

Matth. 3. 10.

3. Ex parte formæ, quod pręceptum vi sua obliget, ac necessitatem inducat; maritatis non licet non seruare castitatem coniugalem; extra limites egredi, sui coniugij inhibitum est. At virginitatis consilium est. Hieron. ad Eustoch. Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium, vbi præceptum datur, ibi necessitas seruientis. S. Aug. de S. Virg. c. 32. Non enim sicut non męchaberis, non occides, ita dici potest non nubes, illa exiguntur, ista offeruntur, si fiant ista laudantur, si non fiant illa damnantur.

4. Itaque ex parte finis, seu effectus quod præceptum seu castitas coniugalis si obseruetur, habet præmium, si non obseruetur pœnam. At castitas absoluta si seruetur maius habet prœmium, si non seruetur dummodo ad honestum matrimonij confugiatur vsum, nullam habet pœnam, quod si consecrata Deo sit, & obligata voto, tum & maiorem pœnam habet si violetur, maioremque laudem ac mercedem, si obseruetur. Solet cælibatus pro continentia sumi, trite magis quam propriè. Nam Latinis cælibes quasi cælites. Qui cælebs est, non litigat. Cęlibes sunt qui nec mariti sunt, nec fuerunt; at vulgò ijdem sunt qui continentes.

CAPVT.



CAPVT II.

De triplici castitate coniugali, viduali, virginali.



AM quidem dictum est castitatem maritalem, aut impropriè dici castitatem, aut aliam sibi ab absoluta puritate & castitate, propositam habere speciem honestatis moderatè vtendi rebus Venereis, intra honestos coniugij limites; aliam inquam & diuersam ab ea quæ ab se velut alienas & puritati repugnantes, abiudicat omnes eiusmodi voluptates; hæc autem eximia & perfecta castitas duplici in subiecto potest inueniri; tum in eo homine qui sit aliquando expertus eas voluptates, tum in eo qui nullum vnquam earum sensum habuerit, qui purus sit & intaminatus ab omni earum experimento. In hoc postremo dicitur virginitas, in priore vidualis aut continentiæ castitas, quæ tamen ad eum excrescere gradum potest & tam esse firma, constans, heroica vt virginitati nihil de laude ac præmio concedat. Esto continentibus viduis non debeatur aureola, quæ Virginibus, tamen in illis nihil inferior potest esse puritatis affectus æque aut magis intensus amor integritatis, æque firmũ propositum & votum, nullius vnquam experiendæ voluptatis venereæ. Nihil disputo qui plus in tuenda castitate molestiæ & difficultatis

habeant vidui continentes, an virgines, his enim inexperta voluptas maior apparere potest quam sit reipsa & curiositas ipsa, tentandi & experiendi cupiditas vehementer allicit. At ipso vsu & experimento solet quoque vehementer accendi, augeri & exagitari concupiscentia, cumque præstantissimum aduersus eā præsidium in fuga sit situm, ad eam compescendam magis expediti sunt, qui nunquam sunt experti, qui nullis vinculis vnquam alligati fuerunt. Vtvt sit communis opinio fert tres esse gradus seu species castitatis: eaque opinio SS. PP. testimonijs confirmari potest. D. Ambrosius sic ait: est autem triplex castitas, coniugalis, viduitatis, virginitatis, quorum nullam professionem sic prędicamus, vt alias excludamus. Habet Ecclesię disciplina quam cui pręferat, non quam reijciat: sic virginitatem prædicans, vt viduas non reijciat; ita viduas honorans, vt suum coniugio honorem reseruet; Mariam, Annam, aptè laudans atque reperiens nuptam in paradiso, viduam in templo, virginem in secreto. D. Hieron. Virginitati tribuit centesimum fructum. Viduitati sexagesimum, Matrimonio trigesimum. Et 1. aduersus Iouinianum centesimus & sexagesimus & trigesimus fructus, quamquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, nam & ipsa digitorum coniunctio quasi molli se complexans osculo & fœderans, maritum pingit & coniugem. Sexagesimus vero ad viduas, quod in angustia & tribulatione sint positę. Vnde vt superiori digito deprimuntur, quantoque maior est difficultas expertę quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porro centesimus numerus, diligenter, quæso lector, attende de sinistra transfertur ad dextram, & ijsdem quidem digitis, sed non eadem manu quibus in læuâ nuptæ, significantur & viduæ; circulum faciens. Exprimit virginitatis coronam quæ tanto est excellentior, quanto numerus centesimus trigesimum & sexagesimum excellit. Idem apologia ad Pammachium, certè, inquit, clementiores erga con-

Ep. 27. l. de Viduis.

In Matth. c. 3.

iugia fuimus, omnibus pœnè Latinis, & Græcis tractatoribus, qui centesimum numerum ad martyres referunt, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad viduas, atq; ita sit iuxta illorum sententiam, vt de bona terra & de Patris familias semine excludantur Maritati. Non meminit viduarum S. August. sed centesimum Martyribus, sexagesimum virginibus, trigesimum tribuit coniugatis. Recte triplicem hanc castitatem compararis plumbo, argento & auro metallis dignitate ac pretio disparibus. Qua de re D. Anthelmus Occidentalium Saxonum Episcopus: Cum tres sint status in Ecclesia virginitas, Cælibatus, & coniugium: ex reuelatione Angelica didicimus, si meritorum ratio habenda esset, cum has inter virtutes constituendum ordinem, vt sit virginitas aurum, cœlibatus argentum: coniugium æramentum. Virginitas diuitiæ, cœlibatus mediocritas, coniugium paupertas. Virginitas pax, cœlibatus redemptio, coniugium captiuitas. Virginitas sol, cælibatus lucerna, coniugium tenebræ, virginitas regina, cœlibatus Dominus, iugalitas ancilla. Hæc ille quo discrimine inter se distant, hi tres castitatis ordines & gradus! S. Martinus, vt in eius vita describit Seuerus Sulpitius, alia quadam vsus comparatione, præclaram de virginitate, matrimonio & fornicatione sententiam tulit, nam ex itinere forte se campus obtulit, in quo boues ex parte prata depauerant, porci etiam partem suffoderant; pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat speciem, inquit, gerit illa pars coniugij quæ pecore depasta etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero quam porci pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterum illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fœcunda luxuriat; fœni in ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. Beata species, & Deo digna. Nihil enim virginitati est comparandum. Ita

& illi qui coniugia fornicationi comparant vehementer errãt, & illi qui coniugia virginitati æquanda existimant, miseri penitus & stulti sunt. Verum hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad culpam, & pœnam æternam, nisi satisfactione purgetur. Non comparamus (absit) fornicationi coniugium, hoc enim licitum est & honestum, illa plane illicita, & damnanda. Si tamen culpam demas, quam remouet honestas coniugij, nihil differt admodum ea voluptas, quæ ex actu coniugij licito, ab ea quę ex illicito fornicationis vsu percipitur.

Castitas certè maritalis, non euitat illa mala, & incommoda; sed in ea planè incurrit, quæ commemorat Apostolus dum à coniugio dehortatur, quæ ad tria capita reuocantur.
1. Cor. 7. Ad seruitutem. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir &c.* Instar mancipiorum fugitiuorum eadem compede ac catena sunt alligati, mutuamque sibi seruiunt molestam sanè seruitutem. Ad tribulationem, *tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*: variam & multiplicem, qua breuis eorum voluptas cumulatissimè compensatur. Ad animi diuisionem. *Qui cum vxore est sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat vxori & diuisus est &c.* At per con-
10. Cõ. tinentiam, ait D. Aug. colligimur & redigimur in vnum, à
fess. 29. quo in multa defleximus. Hoc vnum Deus est summum ac solum bonum, cui inhærendo boni, quo fruendo beati sumus. Quod caput est & quæ præcipua continentiæ laus est quam non assequitur castitas maritalis; vim prauæ concupiscentiæ non extinguit. Nemo nescit quam voluptas venerea mentem hominis eneruet, atque emolliat, atque à sublimi illo & erecto statu, quo ad Deum Angelosque accedit, proximo gradu deijciat, & in brutarum animantium velut ordinem ac classem redigat. Est enim ea voluptas cum belluis communis, eadem corporis functio, qua velut cum carne permiscetur animus, hebetatur atque obtunditur; si præsertim

assuetudo


assuetudo, ac crebrior vsus accedat, vt nihil altum, nihil sublime, nihil diuinum suscipere possit. Nihil esse sentio, ait Aug. quod magis ex arce virtutis deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminarum, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest, quamobrem nihil magnopere interest, sitne licita an illicita voluptas; an intra coniugij limites honestos concessa; recteque responsum est à S. Ægidio, vno è primis socijs S. Francisci; cuidam sæculari glorianti se caste viuere, quod vxori fidem seruaret; An ex suo quoque ipsius dolio non potest quis ebrius fieri? Maritalis igitur castitas cōcupiscentiæ morbum quem ex primæuo peccato contraximus, non tam sanat ac depellit, quam vt illi sine grauiori peccato indulgeatur, materiam præbet; altum hoc vlcus magis honestate coniugij matrimonij contegit, quam percurat. Longe facilius sit omnem penitus eam voluptatem præscindere radicitus, quam ex parte cohibere, ac sperare belluam istam mitiorem futuram, si ei fueris obsecutus, ac vires ipso vsu, veluti pabulo crebriore præbueris. 1. Soliloq.




Hor. 1. ep. 2. *Sub dominâ meretrice futurus, turpis, & excors*
Seruus, aget Canis immundus, vel amica luto sus.

Sanè si non alios mihi lectores proposuissem, quam Caluini, Lutherique discipulos obstinatos, ab hâc me pridem omni scriptione CHRISTVS Dominus absterruisset, cū monuit. Mat. 7. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Vtinam oues esse malint, & agni CHRISTO pastori, eiusque vicario in terris summo pontifici in fide, & moribus obsequentes, tum cætera inter alimenta doctrinæ, quibus abundat ouile CHRISTI, hoc etiam à me collectum pabulum salutare fore confido.

Liber





Liber Tertius

DE ALTERA PARTE CONTINENTIÆ IN REPVDIANDIS OMNINO, AVT MODERANDIS VOLVPTAtibus venereis.

CAPVT PRIMVM.

De eximia laude Castitatis, quæ sit eo nomine digna.



VOD Castitati potissimum continentiæ tribuatur appellatio, ea potest esse causa, quod Venereæ voluptates sint omnium vehementissimę, profusissimæ, ac molestissimæ; in quibus frænandis ac coërcendis pręcipua adhibenda est contentio. Deinde quod perfecta continentia quæ eadem est perfecta

Castitas, eo nomine digna, penitus eas voluptates abijciat, non tantum ex parte reprimat, sed plane refugiat atque abhorreat id comprimis honestum, illustre, ac homine Christiano dignum existimans. Cæteræ cupiditates cibi ac potus extirpari semel ac penitus non possunt; cum ad indiuidui conseruationem pertineant, nulloque non die cibus ac potus sit repetendus, quia nemini speciatim incumbit speciei conseruatio, & propagatio, potest rescindi funditus & amputari ab vnoquoque seorsim rerum venerearum concupiscentia. Atque hæc est eximia laus continentiæ & castitatis, quæ iuste sibi vindicet hanc appellationem. Si generoso quis animo à se longissimè, quoad cum diuina gratia poterit, omnem venereæ voluptatis voluntatem cogitationemque propellat, si rerum cœlestium meditatione, ac diuina charitate, prauam planè consopiat atque restinguat concupiscentiam. Est quędam generalis Castitas, metaphoricè sic dicta, qua sic adhęret animus Deo summo bono, & vltimo fini suo, vt ab eo nullius rei creatæ delectatione possit auocari. De qua Paulus Apostolus. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere* CHRISTO, huicq; respondet fornicatio spiritualis in quouis lęthali crimine, potissimum in idololatria sita, dum veri Dei cultus ad creaturā traducitur. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Est Castitas præterea maritalis, quæ honestos intra coniugij limites, ad procreationem prolis, Veneream illam voluptatem moderatur, ac continet, ne sese efferat effusius habita temporis, loci, modi & aliarum circumstantiarum ratione, verum ea est imperfecta, & vix eo nomine digna cum isti voluptati sese substernat, & submittat, tametsi intra coniugij legitimum & honestum vsum. Non eam omnino euincat ac prosternat: certè distinctam quamdam honestatis speciem propositam habet ea castitas, longè inferiorem ei, quæ in repudiandis omnino atque ablegandis voluptatibus elucet.

2. Corinth. 11. 2.

Ierem 3 1.

Prima Castitas dicatur Innocentia, puritasque vitę Christianæ.

ſtianæ. Secunda cum adiunctione Caſtitas coniugalis. Tertia quæ perfecta eſt abſolute Caſtitas virginum aut continentium ſine vlla reſtrictione ab omni Venerea contagione puritas, çum altera maritatorum non omnimoda ſit nec integra, nec abſoluta puritas, ſed reſtricta & limitata, quā pręſcribit honeſtus coniugij thorus, quam lex maritalis exigit, ac depoſcit. Hæc comparatione coniugum, qui eam amplectuntur, in præcepto eſt; At quæ proprie perfecteque caſtitas dicitur, eo nomine digna, puritas perfecte continentium eſt in conſilio perfectionis. Quare quod inter pręceptum & conſilium quadruplex diſcrimen ſtatui ſolet; inter hanc vtramque caſtitatem, licet obſeruare; ex parte materiæ, ſubiecti, formæ & finis.

1. Nam materia præcepti facilior eſt; conſilij, difficilior; caſtitas coniugalis haud longè abeſt à principijs naturæ, ſed illi eſt conſentanea: at virginitas & perfecta continentia naturæ limites excedit, præſtantia & dignitate ſupergreditur naturę curſum, atque ordinem. Quis humano eam poſſit ingenio comprehendere, inquit Ambroſ. quam nec natura ſuis incluſit legibus, aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturę ſit? è cælo accerſiuit, quod imitaretur in terris. Tum materia pręcepti bona eſt: conſilij melior, quamquam nemini præceptum coniugij ſpeciatim impoſitum eſt, ſed omnibus generatim permittitur & indulgetur, quod ſi quis tamen ineat matrimonium, caſtitas illi maritalis pręcepta eſt. Caſtitas virginalis aut vidualis melior dignior, excellentior, offertur, non pręcipitur. Illæ autem amantes quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, qui terrenos amplexus non deſiderauerunt, vſque adeo acceptarunt præceptum, vt non recuſarint conſilium: vt plus placerent, plus ſe ornauerunt.

L. 1. de Virginibus.

S. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli.

2. Ex parte ſubiecti, quod præceptum commune ſit omnium: conſilium non omnium ſed paucorum. Matrimonium vulgo patet, omnibuſque proponitur, quæ nullam ſibile-

bi legem ab eo continendi priuatamque necessitatem indu-
Matth. 19. 12. xerunt; de Virginitate dicitur, Qui potest capere capiat, de iustitia non dicitur, qui potest facere faciat, sed omnis arbor &c.

Matth. 3. 10. 3. Ex parte formæ, quod pręceptum vi sua obliget, ac necessitatem inducat; maritatis non licet non seruare castitatem coniugalem; extra limites egredi, sui coniugij inhibitum est. At virginitatis consilium est. Hieron. ad Eustoch. Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium, vbi præceptum datur, ibi necessitas seruientis. S. Aug. de S. Virg. c. 32. Non enim sicut non męchaberis, non occides, ita dici potest non nubes, illa exiguntur, ista offeruntur, si fiant ista laudantur, si non fiant illa damnantur.

4. Itaque ex parte finis, seu effectus quod præceptum seu castitas coniugalis si obseruetur, habet præmium, si non obseruetur pœnam. At castitas absoluta si seruetur maius habet prœmium, si non seruetur dummodo ad honestum matrimonij confugiatur vsum, nullam habet pœnam, quod si consecrata Deo sit, & obligata voto, tum & maiorem pœnam habet si violetur, maioremque laudem ac mercedem, si obseruetur. Solet cælibatus pro continentia sumi, trite magis quam propriè. Nam Latinis cælibes quasi cælites. Qui cælebs est, non litigat. Cęlibes sunt qui nec mariti sunt, nec fuerunt; at vulgò ijdem sunt qui continentes.

CAPVT.



CAPVT II.

De triplici castitate coniugali, viduali, virginali.



IAM quidem dictum est castitatem maritalem, aut impropriè dici castitatem, aut aliam sibi ab absoluta puritate & castitate, propositam habere speciem honestatis moderatè vtendi rebus Venereis, intra honestos coniugij limites; aliam inquam & diuersam ab ea quæ ab se velut alienas & puritati repugnantes, abiudicat omnes eiusmodi voluptates; hæc autem eximia & perfecta castitas duplici in subiecto potest inueniri; tum in eo homine qui sit aliquando expertus eas voluptates, tum in eo qui nullum vnquam earum sensum habuerit, qui purus sit & intaminatus ab omni earum experimento. In hoc postremo dicitur virginitas, in priore vidualis aut continentiæ castitas, quæ tamen ad eum excrescere gradum potest & tam esse firma, constans, heroica vt virginitati nihil de laude ac præmio concedat. Esto continentibus viduis non debeatur aureola, quæ Virginibus, tamen in illis nihil inferior potest esse puritatis affectus æque aut magis intensus amor integritatis, æque firmū propositum & votum, nullius vnquam experiendæ voluptatis venereæ. Nihil disputo qui plus in tuenda castitate molestiæ & difficultatis

habeant vidui continentes, an virgines, his enim inexperta voluptas maior apparere potest quam sit reipsa & curiositas ipsa, tentandi & experiendi cupiditas vehementer allicit. At ipso vsu & experimento solet quoque vehementer accendi, augeri & exagitari concupiscentia, cumque præstantissimum aduersus eā præsidium in fuga sit situm, ad eam compescendam magis expediti sunt, qui nunquam sunt experti, qui nullis vinculis vnquam alligati fuerunt. Vtvt sit communis opinio fert tres esse gradus seu species castitatis: eaque opinio

Ep. 27. l. de Viduis.

S S. P P. testimonijs confirmari potest. D. Ambrosius sic ait: est autem triplex castitas, coniugalis, viduitatis, virginitatis, quorum nullam professionem sic prędicamus, vt alias excludamus. Habet Ecclesię disciplina quam cui pręferat, non quam reijciat: sic virginitatem prædicans, vt viduas non reijciat; ita viduas honorans, vt suum coniugio honorem reseruet; Mariam, Annam, aptè laudans atque reperiens nuptam in paradiso, viduam in templo, virginem

In Matth. c. 3.

in secreto. D. Hieron. Virginitati tribuit centesimum fructum. Viduitati sexagesimum, Matrimonio trigesimum. Et 1. aduersus Iouinianum centesimus & sexagesimus & trigesimus fructus, quamquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, nam & ipsa digitorum coniunctio quasi molli se complexans osculo & fœderans, maritum pingit & coniugem. Sexagesimus vero ad viduas, quod in angustia & tribulatione sint positę. Vnde vt superiori digito deprimuntur, quantoque maior est difficultas expertę quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porro centesimus numerus, diligenter, quæso lector, attende de sinistra transfertur ad dextram, & ijsdem quidem digitis, sed non eadem manu quibus in læuâ nuptæ, significantur & viduæ; circulum faciens. Exprimit virginitatis coronam quæ tanto est excellentior, quanto numerus centesimus trigesimum & sexagesimum excellit. Idem apologia ad Pammachium, certè, inquit, clementiores erga con-

iugia fuimus, omnibus pœnè Latinis, & Græcis tractatoribus, qui centesimum numerum ad martyres referunt, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad viduas, atq; ita sit iuxta illorum sententiam, vt de bona terra & de Patris familias semine excludantur Maritati. Non meminit viduarum S. August. sed centesimum Martyribus, sexagesimum virginibus, trigesimum tribuit coniugatis. Recte triplicem hanc castitatem compararis plumbo, argento & auro metallis dignitate ac pretio disparibus. Qua de re D. Anthelmus Occidentalium Saxonum Episcopus: Cum tres sint status in Ecclesia virginitas, Cælibatus, & coniugium: ex reuelatione Angelica didicimus, si meritorum ratio habenda esset, cum has inter virtutes constituendum ordinem, vt sit virginitas aurum, cœlibatus argentum: coniugium æramentum. Virginitas diuitiæ, cœlibatus mediocritas, coniugium paupertas. Virginitas pax, cœlibatus redemptio, coniugium captiuitas. Virginitas sol, cælibatus lucerna, coniugium tenebræ, virginitas regina, cœlibatus Dominus, iugalitas ancilla. Hæc ille quo discrimine inter se distant, hi tres castitatis ordines & gradus! S. Martinus, vt in eius vita describit Seuerus Sulpitius, alia quadam vsus comparatione, præclaram de virginitate, matrimonio & fornicatione sententiam tulit, nam ex itinere forte se campus obtulit, in quo boues ex parte prata depauerant, porci etiam partem suffoderant; pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat speciem, inquit, gerit illa pars coniugij quæ pecore depasta etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero quam porci pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterum illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fœcunda luxuriat; fœni in ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. Beata species, & Deo digna. Nihil enim virginitati est comparandum. Ita

assuetudo, ac crebrior vsus accedat, vt nihil altum, nihil sublime, nihil diuinum suscipere possit. Nihil esse sentio, ait Aug. quod magis ex arce virtutis deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminarum, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest, quamobrem nihil magnopere interest, sitne licita an illicita voluptas; an intra coniugij limites honestos concessa; recteque responsum est à S. Ægidio, vno è primis socijs S. Francisci; cuidam sæculari glorianti se caste viuere, quod vxori fidem seruaret; An ex suo quoque ipsius dolio non potest quis ebrius fieri? Maritalis igitur castitas cōcupiscentiæ morbum quem ex primæuo peccato contraximus, non tam sanat ac depellit, quam vt illi sine grauiori peccato indulgeatur, materiam præbet; altum hoc vlcus magis honestate coniugij matrimonij contegit, quam percurat. Longe facilius sit omnem penitus eam voluptatem præscindere radicitus, quam ex parte cohibere, ac sperare belluam istam mitiorem futuram, si ei fueris obsecutus, ac vires ipso vsu, veluti pabulo crebriore præbueris.

1. Soliloq.

Hhh 3 CAPVT





CAPVT III.

De virtute virginitatis, eiusque excellentia.

S. Tho. 2.2.qu. 152. a. 1.
L. de Virg.
L. de Virg. c. 13.



Irginitas à virore dicta, quod nullam concupiſcentiæ carnalis aduſtionem ſenſerit, expers omnis contagionis, integritas vt eā deſcribit Ambroſ. & vt Aug. in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio, cuius formalis ratio ſita ſit, auctore S. Tho. in conſtanti & firmo propoſito abſtinendi ab omni delectatione venerea, quæ ſeminis reſolutione perficitur, cum ſignaculi virginalis violatione hoc vtrumque ex parte corporis ait S. Thom. habere ſe per modum materiæ, & obiecti, ſeu per accidens adiungi virginitati, quæ propriè in animo ſita eſt, in conſtanti propoſito, nullam vnquam ſentiendi, patiendi aut procurandi ſeminis reſolutionem; quam membri, & ſigilli virginalis apertio comitatur. Meditatio incorruptionis in carne corruptibili, nihil eſt aliud, quam hoc deliberatum certumque propoſitum abſtinendi ab omni corruptione, ſeu venerea voluptate. Hæc immunitas omnis corruptionis obiectum eſt virtutis, virginitatis, quæ in illa rationem quamdam honeſtatis ſibi præſtituit.

Quandoque virginitas accipi ſolet, pro ipſa membrorum integri-

integritate; sed materialiter, nam formaliter sita est in animi proposito, in meditatione & resolutione continendi se ab omni venerea voluptate si lumen naturæ ac recta ratio consulitur; dictat illa; fortunæ bona externa, referenda ad corporis bona, sanitatem, & incolumitatem procurandam, & hæc velut inferiora animæ bonis inseruire oportere. Item, quæ spectant ad vitam actiuam, famulari debere, officijs & functionibus vitę contemplatiuæ. Bona item naturę certum est obsequi debere ad tuenda & augenda bona gratię. Quare nemo dubitarit quin virginitas, & voluntas deliberata cohibendi se ab omni voluptate corporea, si referatur ad animi bona, & actiones vitæ actiuæ aut contemplatiuæ; ad spiritualia pietatis exercitia; ad vacandum Deo, & ad illi placendum; ad eius gratiam amplius promerendam; quin sit omni laude digna, & vehementer expetenda. Quin vero & ad ipsius quoque corporis sanitatem & valetudinem robur, vires, speciem ac formam, pulchritudinemque videtur referri posse: quamquam hæc postrema forte non sint tanti; & ipsa per se virginitas, atque integritas honesta est & decora, propter se appetenda. Castitati decor antonomasticè tribuitur & pulchritudo, quæ mihi nihil differre videtur ab honestate, quę summè amabilis est, & intuentes ad sui excitat amorem. Quare cum virginitas sit excellentissima castitas, quę sola nomen id quodammodo mereatur antonomasticè puritas, illi tribuitur honestas, & pulchritudo excellentissima. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est & apud homines à Deo, hominibusque celebrata.* Sapien. 4. 6. Pulchritudinem quis potest maiorem æstimare. Decore Virginis ait S. Ambros. quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, quia tamen à multis non attenditur hęc pulchritudo, & aliunde, summa eius tuendæ per omnem vitam difficultas absterret, quia summopere eget ope diuina qua supra seipsum quodammodo sub natura corrupta, seipsam vincat

vincat & contineat, inde fere alius sublimior finis adhiberi potest, qui maiorem vim habeat ad permouendum, quique Deum ipsum, ad opem diuinæ gratiæ crebrius & largiore mensura conferendam demereatur, nempe, quatenus per eam Deus colitur; hac maximè intermedia virtute qui nos in suum templum consecrare atque habere non dedignatur. Ob eam causam S. Thomas virginitatem dumtaxat asserit esse virtutem quatenus importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo seruandæ, allegatque non semel S. Aug. definientem virginitatem continentię virtutem qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis vouetur, consecratur, seruatur. Hęc sane præstantissima est virginitas, quæ tum ad virtutem ręligionis pertinet, duplici ratione, Deoq́; per modum sacri cultus exhibetur, tum quod illius numini perquam grata est & accepta, tum quod voto insuper adiuncto firmetur & stabiliatur. Potest virginitas imperari à charitate, ad eamque vnam præcipuè referri, qua ratione dicitur à S. Ambrosio. Principalis virtus, nec ideo laudabilis, quia in martyribus reperitur, sed quod ipsa Martyres faciat; hac informata atque inflammata charitate lubens vitam pro sponso ponat, sanguinemq́ue profundat. Aliòquin per se seorsim sumpta, nec ad virtutum Theologicarum, nec ad Religionis excellentiam dignitatemq́ue pertingit. Etenim potior est semper ratio virtutum, quibus ipsum finem attingimus, atq; assequimur quam earum quæ medij duntaxat vicem atque vtilitatem obtinent. Quod ait S. Thomas virginitatem se habere ad castitatem, quemadmodum se habet magnificentia ad liberalitatem; quod hæc communem pecuniarũ vsum, illa magnos sumptus attendat, castitas moderationem aliquam venereæ voluptatis; virginitas omnem eius extinctionem atque abdicationem postulat. Commode est intelligendum; cum dictum sit virginitatem specie distinctam esse à castitate coniugali; non differre autem à castitate quę nomen illud iure quodam perfecto sibi vindicet; à viduali autem

1. De Virgin.

aut

aut post lapsum, perinde se habet voluntas abstinendi se ab omni voluptate venerea, quomodo se habent innocentia & pœnitentia. Charitas nunquam amissa, & per Dei gratiam postliminio recuperata. At quemadmodum fieri potest vt cum fœnore & augmento per pœnitentiam instauretur charitas, quamquam illud non peccasse nunquam restituitur; ita potest heroica castitas post lapsum restitui, quæ nihil ipsi virginitati de laude & præmio concedat, quamquam desinit esse & appellari virginitas. Quæ doctrina traditur à S. Thom. a. 3. ad 3. Virtus per pœnitentiam reparari potest, quantum ad id quod formale est in virtute, non quantum ad id quod est materiale, neque siquis magnificus consumpserit diuitias illæ per pœnitentiam restituuntur, sic quem pœnitet violatæ virginitatis, non illam recuperat, quo ad materiale; sed quo ad formale; firmum propositum abstinendi ab eiusmodi deinceps omni delectatione. Est aliquid in materiali quod miraculo potest reparari, integritas membri seu signaculi virginitatis, est aliud quod non potest, nec per Dei omnipotentiam, vt quis expertus non sit veneream voluptatem; non enim quæ facta sunt, possunt infecta fieri. Quo sensu dictum est à S. Hieron. Cum cætera Deus possit non potest virginem post ruinam reparare, perit innocentia & intaminata puritas in genere venereorum, succedere tamen potest haud absimilis parisque meriti continentia, & heroica castitas. Laudat præcipuè Hieron. in altero sexu infirmiore aduersus Iouinian. pudicitiam ac virginitatem. Doctissimi viri vox est pudicitiam imprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram, bene meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiua sobole non vitiat, de liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum est. Bene imprimis de se quàm à contumelia ex-


Ad Eustoch.

1. Aduers. Iouin.

terni corporis vindicat. Captiuitatis nulla maior calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi. Viros consulatus illustrat, eloquentia in nomen ęternum effert, militaris gloria triumphusque nouas gentis consecrat. Multa sunt quæ præclara ingenia nobilitent, mulieris virtus propriè pudicitia est. Hæc aliaque plura Hieron. à gentilibus auctoribus mutuatus. At mihi in viris pudicitia virginitasque præstantior omnino videtur, quam in mulieribus, quod in viris ardentiores existant libidinis impetus, neque verecundiæ vt in fæminis, fræno ac repagulo cohibeantur, quod plures se offerant violandæ castitatis occasiones, nisi diuinus timor ac puritatis amor inhibeat, quod firmiore proposito votoque concepta castitas viros apud Deum certè & Angelos si non æquè apud homines, reddat illustriores & cœlesti præmio digniores. Vtvt sit præstantissima est virtus cum ex charitate ac religione ad Dei cultum honoremque suscipitur; De cuius laudibus ex SS. Patrum dictis iustum volumen confici possit, sed non hic locus est ea persequendi encomia, verùm cum Epicuræis hæreticis decertandi.


CAPVT





CAPVT IV.

Quinam hæretici Matrimonium Virginitati prætulerint aut exæquarint.



TRES sunt præcipui errores Hæreticorum aduersus sacrum cœlibatum, vnus statum cœlibatus viduitatis aut virginitatis neque nobiliorem, neque acceptiorem Deo esse statu coniugij. Alter matrimonium omnibus imperatum esse & necessarium. Tertius Sacerdotes & Religiosos posse ac debere coniugium inire, quocumque tandem continentiæ perpetuo voto teneantur obstricti. Quos errores ordine coarguemus ac conuincemus. Et ad primum quod attinet. Heluidius non tantum perpetuam Deiparæ virginitatem est insectatus, verùm insuper asseruit virginitatem non esse maioris meriti quam coniugium. Idem asseruere Vigilantius & Iouinianus huius temporis Epicureorum præclari duces, & antesignani furiosi. Proponam breuiter aduersarij sententias & de tenebrosis libris eius, quasi de foueis serpentes, protraham, neque sinam venenosum caput spiris maculosi corporis protegi: pateat quod noxium est vt possit conteri quod patuerit. Dicit virgines, viduas & maritatas quę semel in CHRISTO lotæ sunt, si non discrepant cæteris operibus, eiusdem esse meriti. De eodem Iouiniano S. August. Virginitatem etiam *De Iouiniano Hieron.*

 sancti-

sanctimonialium, & continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cœlibem vitam, coniugatorum castorum atque fidelium meritis adæquabat, ita vt quędam virgines satis prouectę iam ætatis, in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur.

In Epi-tal In eamdem sententiam Lutherus etsi quandoque virginitatem coniugio præferat, tamen mulierem coniugatam ait *Assert. 16.* meliorem esse coram Deo quam sit virgo; & alias nunquam sibi constans: matrimonium virginitate multò præstantius est. *Assert. 30.* Eam CHRISTVS, eam Paulus Christianis hominibus dissuaserunt. Qua in re superat Magistrum suum Iouinianum qui tantum æquabat matrimonium virginitati; At Lutherus pręferendum esse contendit. Admisit aliquando vnicum consilium perfectionis de virginitate seruanda, sed mox mutata sententia negat esse possibilem nisi ijs qui sciant se habere peculiare Dei donum, quod adeò rarum est, vt nemi-*In Epi-tal.* nem dicat posse continere, nisi diuino miraculo. Certè vbi vnus est continens, vbi plusquam centum millia quibus matrimonium est necessarium. Caluinus secum ipse pugnat ac dissentanea pronuntiat. Prioris ad Corinth. c. 7. scribit: Pręclarum est donum virginitas, fateor: at paulò supra vocat peruersam superstitionem appetere cœlibatum, qui radix & caussa fuit ingentium malorum; in æstimanda atque extollenda virginitate errasse veteres, in eoque periculosum esse *Inst. 55 41.* errorem. Alibi iterum; virginitas, fateor, virtus est non contemnenda. At alibi, stulta imaginatio est cœlibatum esse *In Harm. Matth. 19. 22.* virtutem. Quem secuti passim sectarij etsi virginitatem pręferant matrimonio, tamen cœlibem vitam & virginitatem negant assumi posse cum opinione diuini cultus, sed dumtaxat tanquam vtilem ad expeditius obeunda Euangelij munera, quod ipsum asserebat Iouinianus propter molestias quas secum adfert matrimonij status ob præsentis vitæ commoda, non ob futuram gloriam præferendam virginitatem. Neque sanè ipse vel habebat vel habere valebat vxorem, ait

August.

August. quod non propter aliquod apud Deum maius meritum, in requie vitę perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesset necessitatem. Hoc est ne homo coniugatus patiatur molestias disputabat: cito tamen ista hæresis extincta est & oppressa, sed à Luthero eiusque sectatoribus Epicuræis exsuscitata denuo grassatur ab inferis reuocata, qui ad eam exemplo stabiliendam longius Magistro progressi sunt, nam Iouinianus cælebs mansit non ducta vxore. At Lutherus Sanctimonialem è claustro abstractam palam sibi copulauit, idque cæteri eius discipuli factitarunt, non modò nullo pudore, sed de sua velut impudicitia gloriantes. Quod Iouinianus obijciebat, hoc idem sectarij nobis opponunt deprimere nos ac damnare matrimonium, & per impudentem calumniam veterum hęreticorum damnatas pridem ac sepultas hęreses affingunt; quibus cum Hieronymo, Hieronymique verbis respondemus. Non est detrahere nuptijs cum illis virginitas antefertur, nemo malum bonó comparat, glorientur & nuptæ cum à virginibus sint secundæ. Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptijs detrahimus, nec Tatiani Principis Encratistarū errore decepti omnē coitum spurcum putamus (qui non solum nuptias, sed & cibos, quos Deus ad vtendum creauit) damnat & reprobat, scimus in domo magna non solum vasa esse aurea & argentea, sed & lignea & fictilia &c. Maiore sanè apud nos in honore est matrimonium quàm apud sectarios, nam illi Sacramentum nouæ legis esse pernegant inter fideles, nec vllum gratię signum efficiens esse, nec Symbolum CHRISTI cōiunctionis cum Ecclesia, Imo Caluinus illud agriculturæ tonstrinæ aut sutoriæ arti comparandum ait, neque magis habere rationem sacramenti. Nos, inquit S. August. secundum scripturarum sanctarum fidem, sanamque doctrinam nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum non solum infra virginalem, verum etiam vidualem continentiam constituimus præsentemque necessitatem coniugatorum; non quidem so-

L. 4. c. 19. §. 34.

Ex S. Virgin.

lum ad vitam ęternam verùm etiam ad excellentem gloriam & honorem,qui perpetuæ continentiæ reseruatur, impedire
C. 22. eorum merita dicimus, & rursum nec in diuinarum scripturarúm euidentissimis testimonijs clarius appareat, non propter præsentem huius sæculi vitam, sed propter futuram quæ in regno cęlorum promittitur perpetuam continentiam diligendam,quam suam assertionem varijs diuinarum scripturarum testimonijs toto illo de sancta virginitate libro confirmat quorum quædam à nobis suo loco commodius inserentur. Vrget Caluin. l. 4. Institu. c. 13. §. 18. 19. Apostoli vaticinium licet in veteribus hęreticis Montano Tatiano Encratitis completum sit tamen in eos etiam competere qui coniugium ini[illegible]tis ordine sacro prohibent. Nec auditu digna est,inquit, puerilis ista argutiola quod prohibere se negant, quia omnibus non prohibent. Perinde enim est ac si Tyrannus iniquam non esse legem contendat, cuius iniquitate pars dumtaxat ciuitatis prematur, sed laborat ipse Caluinus inscitia puerili, ne dicam hæretica impudentia, nam quemadmodum superiore libro probatum est de cibis, eos minimè ab Ecclesia immundos censeri, quod eos quibusdam personis etiam in Quadragesima, & extra eam passim omnibus concedat; ita probatur ab Ecclesia nuptias minimè immundas & malas haberi quod eas non omnibus prohibeat; dictum est eos argumentari à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, vt si quis ratiocinetur: Ecclesia prohibet coniugium inter fratres & sorores & propinquos primi gradus, ergo absolutè prohibet; Ergo iniqua lex est, qua pars ciuitatis prematur. Prohibet inter frigidos & Eunuchos,qui vel à natura,vel ab hominibus effecti sunt, quid ni & prohibeat Eunuchis qui se ipsi sponte castrauerunt propter regnum cęlorum? An iniqua & Tyrannica lex est, cui se sponte quis subdit? Quam volens lubensque sibi imponit atque vt ab Ecclesia imponatur summis votis ac precibus contendit? Et sanè coniugium nemini prorsus inhibet Ecclesia, sed omnibus permittit & indulget

dulget si velint illud ordini sacro ac cælibatui præferre, liberum est cuique fidelium, aut ad Matrimonij statum honestum transuolare aut ad eminentiorem cœlibatum ac sacri ordinis gradum aspirare. Neque coniugium ipsum improbat aut rescindit in ijs qui ante ordinem sacrum illud inierint, sed eius vsum, vt isti gradui indecorum & indecentem inhibet qua de re pluribus *infra*. Hæretici quos denotat Apostolus vt cibos natura sua immundos, ita & nuptias per se malas & immundas esse censebant à malo Deo seu Cacodęmone. Quare quod quis obijcere possit ex Augustino 2. de Moribus, Manichæo 18. & ex 74. ad Deuterium, Manichæos non inhibuisse nuptias nisi electis suis qui erant instar sacerdotum, & religiosorum vt hic eorum error videatur ad Catholicos pertinere, haud difficulter dissoluitur ex eodem S. Augustino. Manichæos nuptias damnasse tanquam ortas à malo principio, à principe tenebrarum, etsi permitterent eas suis auditoribus à quibus aliud obtinere non possent. Nec ideo vos dicatis non prohibere quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes, aut non valentes salua amicitia toleratis, quibus tamen ipsis etsi matrimonium permitterent, ad explendam libidinem; tamen quod erat execrabilius, vt conceptum & liberorum procreationem euitarent summo studio monebant. Quod erat nuptias, & eorum fructum ob quem illę vnicum sunt expetendæ, diabolico spiritu detestari. At Catholici nuptias ea maximè de causa probant & laudant, quod ad liberorum procreationem & educationem sint institutæ; Aperta ergo est ea calumnia qua nobis veterum hæreticorum errorem hunc affingunt. Cæteras rationes ob quas virginitati matrimonium exęquant aut præferant, ordine persequemur. Auspicemur ab Erasmo.

30. Contra Faustū c. 6.

CAPVT

CAPVT V.

Erasmus Lutheri prodromus Epicuræorum patronus in exæquando Virginitati matrimonio.



SCRIPSIT Erasmus declamationem de laudibus matrimonij, non tam ad exercitationem ingenij quam vt persuadeat etiam ipsis sacerdotibus vtile esse & permittendum coniugium. Eadem illa argumenta profert quæ pridem Iouinianus ingerebat, deducta tum à diuersitate sexuum & membrorũ in eum finem efformatione, tum à propensione quę omnibus inest à natura ad generandum; tum à difficultate cœlibatus, qui quodammodo ipsi naturæ repugnare videtur, tum quod mundus periclitetur & breui finiendus sit, si omnes se contineant, certè Christianorum numerus imminuatur, tum denique quod continentia plurimos creet ac pariat morbos. Non sit autem virginitas per se virtus expetenda, nisi ad aliud maius bonum referatur, nullum vero maius esse videtur honesta liberorum procreatione & educatione. Ad extremum plures adfert similitudines in colloquio proci, & puellę ab hominis Christiani, ne dicam sacerdotis pudore ac modestia, integritate ac grauitate prorsus abhorrentes. Iam antea in his eisdem Epicuri castris Erasmum non exploratorem sed pro-

ditorem

ditorem agnouimus. Hæ sunt igitur elegantes eius similitudines Pomœrium melius est quod post flores fructus parturit, vitis fęcunda melior est quę palum vel vlmum complexa vuis grauida est, quam quæ serpens humi computrescit, rosa felicior quę benignâ manu decerpitur atque atteritur oculos & nares suaui voluptate demulcens, quam quæ spinis circumsepta consenescit in stipite; vinum fœlicius quod antequam arescat hauritur & potantes exhilarat, ex quibus efficere id nititur vt coniugium cœlibatui pręferendum videatur. Addit si virgo puella nubat, posse multas virgines parere, & largo fœnore suæ virginitatis compensare iacturam.

Ad has ratiunculas Epicuræorum abundè responsum est à S. Hieron. & August. & è recentioribus à Bellarmino; nos tamen easdem breuiter ordine retexemus. Primò sexuum diuersitatem membrorumque, quibus inest generandi vis, formationem ac differentiam effectu suo, qui non vnus, sed multiplex est non carere dicimus, tametsi non omnes mortales omnibus & singuli planè ijs vtantur. Nam quæ sunt ad conseruationem speciei generisq; propagationem instituta, nihil est necesse à singulis indiuiduis in vsum effectumque reuocari. Nullę sunt herbæ, nulla poma, aut pyra quę cum seminibus non nascuntur, & quota pars eorum seminatur.

2. Propensio ad generandum inest quidem homini quâ est animal cum brutis inferiorem hunc naturę gradum participans; at non qua est homo par & similis Angelis intelligendi vi prędi tus; multoque minus qua Christianus ad Angelorum societatem beatamque adspirans æternitatem. Spectari potest liberorum procreatio velut res honesta & expetenda ad Dei gloriam, Reip. Christianæ conseruationem. At eadem alijs rationibus vestita potest attendi vt vilis & abiecta, non nihil exitu fœda, vt magno est ad virtutem Christianam impedimento, vt minimè hoc quidem tempore necessaria, cœlibatus autem vt maioris apud Deum meriti liber & expeditus

ad ei obsequendum multisque de causis coniugio præferendus. Quare mirum non est si homines ratiocinantes illustrati fide diuina ac potissimum ex ea fide Christiana rationum momenta diiudicantes maiore in cælibatum propensione ferantur, & priorem illam animalis naturę denegent dominante Charitate, cui virginitas amicitior, ac quodammodo vim afferente, diuina gratia naturam exsuperante. Coniugium ad præsentis vitæ fructum pertinet dumtaxat, at cœlibatus ad sempiternam cœlestem fœlicitatem; coniugium tempori, cœlibatus æternitati deseruit. At quæ comparatio temporis cum ęternitate? Maior quoque vis est diuinæ charitatis cælitus infusæ, quam concupiscentię naturâ corruptâ progenitæ. Hanc igitur charitas euincit, quę morte fortior est.

3. Hinc in Deum inflammata charitate virginitas ac cœlibatus non adeò difficilis est. Etenim amanti nihil est difficile & voluptatem vicisse maior est voluptas; si ieiunio moderato, crebra precatione, Sacramentorum vsurpatione, commentatione rerum diuinarum, occasionum omnium fuga muniatur, Castitas erit & inexpugnabilis & haud adeo difficilis obseruatu, si tolerare cœlibatum possunt Eunuchi vel à natura, vel ab hominibus effecti, quid ni tolerent eumdem qui se propter regnum cœlorum castrauerunt, qui gaudijs ac solatijs Deo cęlitus immissis perfruuntur certissima spe & expectatione præmij cælestis animantur. Quot coniuges vel maritorum absentia, & longinqua peregrinatione, vel vxorum ægritudine perpetua, aut alia ex causa continere se debent, nullo tamen fructu, nullo solatio & pręmio spiritali.

Ad 4. si omnes fuerint virgines quomodo stabit genus humanum. Hieron. noli metuere ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideò rara, quia est difficilis. Facilis amantibus qui spiritu Dei incitantur. At difficilis terrenis & animalibus hominibus, qui non percipiunt ea quę Dei sunt; in quibus viget & dominatur caro, extincto propemodum

S. In Iouin.

ac

ac ſepulto ſpiritu. D. Auguſt. Noui quoſdam qui murmurant, quod ſi omnes velint ab omni concubitu abſtinere, vnde ſubſiſtet genus humanum? Vtinam omnes hòc vellent dumtaxat in charitate, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; multo citiùs Dei ciuitas compleretur, & accelararetur terminus ſæculi. Hoc erat Apoſtoli votum. *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*. Ad illud quod numerus Chriſtianorum imminuatur Ambroſ. lib. 30. de virginitate. Nonnullos dixiſſe audiui quod perijt mundus, deficit genus humanum, coniugia labefactata ſunt. Quæro quis tandem quæſiuit vxorem quam non inuenerit? Addit in Eccleſia Orientali & Africana plures conſecrari virgines, quam Mediolani & in Italia naſcantur homines, inde tamen non minui genus hùmanum, ſed multiplicari. Non patitur Deus liberalitate ſe ſuperari; ſi parentes vnam alteramue prolem ei offerant, alias ipſe plures reponit, vt Annæ Matri Samuelis pro eo oblato, quinque alias proles ſuffecit. Quod infideles multitudine Chriſtianos ſuperant, afferri cauſa poſſit eorum polygamia, ſed longè eis ſuperior exiſteret paucitas & virtus Chriſtianorum, niſi noſtrorum principum inteſtina obſtaret diſcordia.

Nulli quod attinet ad 5. caput oriri ſolent morbi ex continentia, quæ ad confirmandam valetudinem & corporis robur egregiè confert ex omnium medicorum ſententia, ſed plurimi ex immoderato veneris vſu, quos illi enumerant, & difficillimè aiunt percurari. Teſtis vna Venerea lues, quâ videtur flagitium iſtud iuſtiſſimè plecti; præter alia corporis incommoda quæ ſolet Venus afferre. Certum eſt animalia prona in venerem exiguo ſpatio viuere, quæ ſeſe continent eſſe admodum longæua; Valet hic illud Eccl. 37. 34. quoque, *Qui abſtinens eſt adyciet vitam*. S. Bonauenturæ & aliorum ſententia eſt, nunquam licere ob vllius morbi, vel imminens periculum mortis, continentiæ votum infringere, quia nullus eſt morbus qui non poſſit alia ratione curari ex peritorum

medicorum prescripto, tamen esto non possit curari, præstantior est continentiæ virtus quam vitę huiusce ad tempus aliquod prolongatio. Qui sacris meditationibus, & austeriori vitæ dant operam haud dubie vitam imminuunt, sed non tanti illam iacturam faciunt. Laudatur S. Casimirus apud Cromerum l. 29. de rebus Polon. qui mori maluit quam fœminæ permisceri.

6. Adeo est virtus virginitas vt auctore S. Fulgent. à virtute nomen acceperit, quatenus perfecta est refrænatio omnis concupiscentiæ carnalis, abnegatio & abdicatio omnis venereæ voluptatis ob honestatem quæ in ea elucet, aut alium altioris ordinis suscepta finem ad Deo vacandum, ad eius cultum & honorem vt à Religione vel à charitate imperatur; Absque voto non est specialis virtus ex quorumdam sententia, nimirum à perfecta castitate distincta. Actus est maximè prestans & heroicùs summæ temperantiæ. Quemadmodum licet, mortem oppetere non sit actus virtutis, tamen illam oppetere ad tuendam fidem, castitatem, aut aliter ad Dei cultum & honorem præstantissima est virtus, ita de virginitate ratiocinari licet, sed iam ad Erasmi similitudines veniamus quę planè sunt hominis Epicuræi bruta magis pecude quam homine dignæ; sanè ab eo profectę, qui præsentis vitæ spatio & fructu definiat omnia nihil de futura altera sempiterna cogitet. Si possent equi, muli, canes & sues omnia ad corporis voluptatem referentes ratiocinari & loqui non alijs omnino similitudinibus vterentur. Ab homine Christianis moribus ac legibus instituto, profecto sunt alienę cui Regnum Cælorum patria est, vita præsens exilium, qui CHRISTVM suæ religionis & doctrinæ sectatur auctorem, qui virginitatem in sua sanctissimæque Matris persona consecrauit, atque eius capessendæ omnibus consilium dedit.


Non est Virgo Christiana sine fructu tum spiritali in hac vita cælestium solatiorum, & ardentium desideriorum, plu-

rimorum

rimorumque gratiæ meritorum; tum in altera gloriæ, fœlicitatis, ac mercedis præmio sempiterno. Non habet, Virgo carnales proles; at spiritales habet CHRISTVM Dominum in egenis & personis illius cultui consociatis.

Non est virgo Christiana vitis serpens, & putrescens, sed vlmo nobilissimę CHRISTI crucis, CHRISTO ipsi Domino suo, ac sponso adhærescens, illi desponsa, eius spiritu grauida ac fœcunda. Qua de re S. Fulgent. epist 3.

Non est Virgo Christiana rosa consenescens in frutice, aut vinum in dolio marcescens, & acrescens, sed perpetuo vigens ac florens. Coniugatæ mox à partu, & concubitu vt externa specie ac forma plerumque demonstrant, penitus exarescunt ac marcessunt. Elucet in virginis vultu decor, ac species, vt non difficulter à maritata ac vitiata discernatur, sed quid erit in altera vita in qua virgines similes erunt Angelis Dei, & sequentur Agnum quocumque ierit, Angelorum pręmio & sponso perfruentur, ęternum. Quod ait Erasmus in nuptijs virgines nasci non latuit S. August. Nam non illo quidem debeant continentium merito se conferre coniugia, quod ex eis virgines procreantur. Hoc enim non coniugij bonum est, sed naturæ, quæ sic diuinitus instituta est, vt quolibet humano vtriusque sexus concubitu, siue ordinato, & honesto, siue turpi & illicito nulla fœmina nisi virgo nascatur. Ita fit vt virgo etiam nascatur de stupro, sacra autem virgo nec de coniugio. *L. de S. Virgin.*



CAPVT VI.

De oneribus, & incommodis matrimonij, oppositisq; bonis & vtilitatibus Continentiæ.



LVBET Erasmo Hieronymum opponere, haud paulò maioris opinor auctoritatis, siue sanctitatem, siue doctrinam spectes; aut potius, quem Hieron. allegat Theophrastum gentilem Philosophum, vt qui Christianæ pudicitiæ despiciũt fidem, discant saltem ab Ethnicis castitatem. Fertur aureolus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quærit an vir sapiens ducat vxorem? Et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus & diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium; statim intulit; hæc autem in nuptijs raro vniuersa concordant. Non est ergo vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia Philosophiæ, nec posse quemquam libris & vxori inseruire. Multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sint, pretiosæ vestes, aurum, gemmę, sumptus, ancillæ supellex varia, lecticæ & esseda deaurata. Deinde per totas noctes garrulæ conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu fæminarum misella despicior.

1. In Iouin.

Cur

Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur. Pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum. Pulchra cito adamatur, fæda facile concupiscit. Difficile custoditur quod plures amant molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Quod si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores; multo melius seruus fidelis dispensat, obediens auctoritati Domini & dispensationi eius obtemperans quam vxor, quæ in eo se existimat dominam, si aduersum viri faciat voluntatem, id est, quod placet, non quod iubetur; Assidere autem ægrotanti magis possunt amici, & vernulæ beneficijs obligati, quàm illa quæ nobis imputat lachrymas suas, & hæreditatis spe vendit illuuiem, & solitudinem iactans, languentis animum desperatione conturbat. Quod si ipsa languerit, coægrotandum est, & nunquam ab eius lectulo recedendum. Aut si bona fuerit & suauis, quæ tamen rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem nunquam solus esse potest. Habet secum omnes qui sunt, quique vnquam fuerunt boni, & animum liberum, quocunque vult, transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Nunquam minus solus erit, quàm cum solus fuerit. Porro liberorum causa vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur hæredibus, stolidissimũ est. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, si nomine nostro alius nominetur, cùm & filius non statim patris vocabulum referat, & innumerabiles sint qui eodem appellentur nomine? Aut quæ senectutis auxilia sunt, enutrire domi, qui aut prior te fortè moriatur, aut peruersissimis sit moribus? Aut certè cùm ad maturam ętatem venerit, tardè ei videaris mori? Hæc & eiusmodi Theophrastus dissertus,

quem

quem non suffundat Christianorum, quorum conuersatio in cælis est? Hæredem desiderabit hominem cohæres CHRISTI? qui CHRISTVM ipsum in pauperibus habere potest, hæredem ac largissimum suæ beneficentiæ remuneratorem? Quæ mihi incumbit necessitas venire in dubium, vtrum bona an mala futura sit quam duxero? Et hoc, vt cum Chremete dicam, periculum immemor fieri, graue est. Si odiosam duxero, ferri non potest: si amabilem amor eius inferno, terræ arenti & igni æstuanti comparatur: quo loco amorem mulieris generaliter vult accusari, quod sit insatiabilis. Quæ nuper ex Apostolo onera atque incommoda connubij tria perstrinximus, mutuam seruitutem, tribulationem carnis, animi diuisionem ea nunc ex eodem Hieronymo plenius explicare atque illustrare erit operæ prætium. Qui vxorem habet & debitor dicitur & esse in præputio, & seruus vxoris, & quod malorum seruorum est alligatus. Qui autem sine vxore est, primum nullius debitor est, deinde circumcisus, tertio liber, ad extremum solutus. Quanta fælicitas est, non vxoris seruum esse, sed CHRISTI? non carni seruire, sed spiritui? Redempti sumus pretioso sanguine CHRISTI; Immolatus est pro nobis agnus, & aspersi calidissimo rore hissopi, omnem pituitam noxiæ voluptatis excoximus. Hæc seruitus perpetua præsertim, tum per se durissima est, tum multo durior redditur, si quod sæpissimè contingit, in Dominum incidat molestum & morosum, & quod omnium intolerabilius est, insipientem. Id quoque notat Theophrastus apud Hieronym. Adde quoniam nulla est vxoris electio, sed qualiscunque obuenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcunque vitij post nuptias discimus? Equus, asinus, bos, canis & vilissima mancipia, vestes quoque, & lebetes, & sedile, ligneum, calix & vrceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur, sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat quàm ducatur. Attendenda semper eius est facies & pulchritudo laudanda, ne si alteram

In Iouin. 4

Prou. 30

alteram aspexeris, se existimet displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem eius &c. Mutua hęc seruitus inde grauissima est, quod neuter coniux sui corporis potestatem habet, sed alteri eam tradidit, ad eos vsus quod apertè profari pudor vetat, qua de seruitute Chrysostomus.: Videsne, inquit, rei necessitatem, & inexorabilem seruitutem? Vides vtrumque funiculis constrictum? Est enim connubij necessitudo instar vinculorum non solùm propter curarum turbam quotidianasque molestias, sed quod vsque adeo coniuges deuincit modo seruitutis, vt nulla mācipia magis in cuiusquam dominatu sint, quàm ipsi alter in alterius potestate. Dominetur, ait Dominus, vir vxori; sed quæ viro vtilitas ex eo dominatu, cùm rursum eiusdem, quæ ei subiecta est, mutuæ subijciatur seruituti. Hæc Chrysost. qui scitè adiungit virum & vxorem perinde esse, vt par aliquod seruorum fugitiuorum qui sint inter se catena colligati, vt etiam si hero suo se eripiant, tamen alter alterum sequi cogatur, nec inuicem digredi possint, quod indicat Apostolus, alligatus es vxori, noli quærere solutionem, intelligens de eo qui consummato matrimonio perfecto ligatus est indissolubili nexu. Alterum onus & incommodum coniugij, quod appellat Apostolus tribulationem carnis; per se omnium oculis patet, ipsoque vsu & experimento quotidiano comprobatur. Nulla enim est domus, nulla familia in quam si introspicias, non plena sit infinitis curis & molestijs, si diuitiæ suppetant ad eas gubernandas, si inopia premat ad propulsandā; si sint filij ad eos alendos, aut promouendos, si filię, ad eas collocandas, si orbitas mœroris ac litigij seminarium. Quid deinde calamitates incidentes, & detrimenta rei familiaris? quid liberorum casus? quid reliquos angores atque animi æstus commemoremus, qui perpetui sunt & ex omni parte irruentes? Nos ignari rerum, inquit, Hieron. Putabamus nuptias saltem carnis habere lętitiam, si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videban-

Gen. 2.

tur habere delitias? quid erit reliquum, propter quod nubant, cùm & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit? Grauius inde id onus existimandum est, quod sit carnis tribulatio. Nam laborare pro rebus spiritualibus, pro sua salute, pro Dei obsequio, magnam habet adiunctam consolationem, & certissimam spem præmij cælestis. At cruciari in terrenis, carnalibusque negotijs, si nihil aliud spectetur, omni prorsus caret, & condimento solatij, & spe remunerationis æternæ. D. Chrysost. in eum Psalm. 44. Versum adducentur Regi virgines post eam in lætitia & exultatione. Vide, his, inquit, Apostoli dictum resplendere, tribulationem carnis habebũt qui nubunt, quemadmodum illæ afflictionem, ita hæ lętitiam & exultationem. Illæ enim filios & maritos & domum & famulos, & agnatos, & generos, & soceros & nepotes, liberorum multitudinem, eorumque vel defectum, & orbitatem, deflere coguntur. Virgo autem crucifixa & à pręsentibus liberata, & curis huius vitæ superior effecta, vt Euripo traiecto, in cælum quotidie suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione; quare vt Chrysost. Basiliusque vocant coniugium dolorum officinam, ita cælibem vitam paradisum ac beatæ vitæ prægustationem quondam dicere licebit. Æquissimum autem est quæ Angelorum vitæ rationem æmulantur, Angelicis quoque gaudijs ac cælestibus solatijs perfruantur.

Tertium incommodum, animi diuisio in multas sollicitudinum partes miseriasque, ait Hieron. vt pax seruetur inter coniuges, alter alteri placere studeat oportet, & multis se concilient officijs. Curare debet ea quæ Domini sunt tanquam Christianus, & quæ mundi tanquam coniugatus, velut duorum dominorum seruus ad diuersa vocantium.

1. Cor. 7 29. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi quo modo placeat viro.* Vt nihil aliud esset, vt nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret ibi hæc sola prælatio, co-

tio, cogitare quæ Domini sunt. Statimque docent quæ sit ipsa cogitatio vt sit sancta & corpore & spiritu. Nonnullæ quippe sunt virgines carne non spiritu, quarum corpus integrum est, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia CHRISTI est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculauit. Et alio libro, virginis definitio, sanctam esse corpore & spiritu, quia nihil prosit, carnem habere virginem, si mente quis nupserit. Quæ vero nupta est &c. Idem tu putas esse diebus & noctibus vacare orationi, vacare ieiunijs, & ad aduentum mariti expolire faciem, gressum frangere, simulare blanditias? Illa hoc agit vt turpior appareat, & naturæ bonum infuscet iniuria. Hæc ad speculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quàm nata est. Inde infantes garriunt, familia perstrepit, liberi ab osculis & ab ore dependent, computantur sumptus, impendia præparantur; Hinc cocorum accincta manus carnes terit; hinc textricum turba commurmurat; nuntiatur interim vir venisse cum socijs; Illa ad hirundinis modum, lustrat vniuersa penetralia, si thorus rigeat, si pauimenta verrerint, si ornata sint pocula, si prandium præparatum: Responde quæso inter ista vbi sit Dei cogitatio? Et hæ felices domus. Cæterùm vbi tympana sonant &c. Quis ibi timor Dei? Est quidem ista diuisio curarum ac sollicitudinum permolesta; de qua & D. Gregor. quoque pluribus agit in Ezech. tam varia ac multiplex quanta est multitudo & varietas earum rerum quibus curandis cogitatio impartienda est. Sed est alia periculosior ac nocentior affectus & amoris diuisio, cuius partem sibi coniux, partem liberi, partem domestica administratio, si non totam sibi vindicat; vt perexiguam ac propè nullam Deo relinqui necesse sit. At continentes id agant vt expediti curis cæteris, & affectibus vni Deo, se totos impendant, illum toto corde, tota animâ, totis viribus diligant, atque omni contentione, quæ ad eius cultum, obsequiumque pertinent exequantur. Appositè

In Iouin.

Aduersus Heluid.

In Ezech. hom. 16

positè Nazianzenus: vt aqua quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multum comprimitur, & conglobatè voluitur, in altum erumpit, supra naturæ suæ pondus; sic si anima per continentiam totum suum amorem constrinxerit, nec in creaturas diffluere patiatur, sed in Deum totum effundat, sursum tendet, nec vnquam humi prolabetur. Hinc alia deduci possunt matrimonij incommoda, quæ & Apostolus indicat, cũ iubet ad tempus coniuges ab vsu coniugij sibi temperare, vt vacent orationi & ieiunio. Quod ipsum monet Apostolus Petrus, vt non impediantur orationes vestræ. Verosimile est vtrumque Apostolorum agere de oratione publica, Dominicis & festis diebus, quibus fideles sacram percipiebant Eucharistiam; ad quam digne cum fructu, ac sensu pietatis vsurpandam plurimum confert virginitas & continentia, magno autem impedimento est vsus coniugij, cùm præsertim voluptatis causa appetitur & exercetur. Denique ad omnem profectũ spiritalem, ad vitę præsentis contemptum; ad futuræ alterius beatæ desiderium, quo flagrare nos oporteret, non parum retardat coniugium; valde autem promouet ac iuuat Continentia. Quo fine cupit nos Apostolus sui esse imitatores, &
1. Cor. 7.29 31 admonet. *Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, præterit enim figura huius mundi.* Postremò tale bonum est virginitas, ac continentia vt planè & absolutè suadeatur ab Apostolo, sitque in bonis ac Dei donis eximijs ac planè expetendis numeranda. At coniugium non est absolutè bonum, quod suadeatur nisi ex hypothesi, si periculum sit grauioris lapsus: quo casu nolit quis continere à complexu fęminarum. Tum melius est nubere quàm vri, quàm fornicari, quę Apostoli sententiæ mox plenius explicabuntur. Nunc quid doctrinę Germanus Epicurus afferat, attendamus.

CAPVT



CAPVT VII.

Præclara quædam dicta Lutheri, Epicuræorum Coriphæi, aduersus cælibatum.



VNT homines, quos in summa nequitia non solum libido & voluptas, verum etiam ipsius nequitiæ fama delectat, vt multis in locis notas & vestigia flagitiorum suorum relinqui velint. Ex eo genere fuit Lutherus excucullatus relicto Sacræ Religionis, quam erat professus, habitu & voto continentiæ proculcato, ausus sacrilegas cum Katherina Burea sanctimoniali nuptias contrahere, pariterq; incestas Carlostadij Presbyteri nuptias solemni epithalamio celebrare ac toti mundo propalare, vbi habentur, hæc quæ sequuntur, nisi frontem amisisset erubescenda paradoxa.

Primum. Mulieres non alio fine creatas à Deo quam vt matrimonij & concubitus vsibus inseruirent, nempe vt vitam brutam agerent animalem dumtaxat, non rationalem, non Christianam, nihil sibi in alteram vitam iuris ac spei vindicarent, in quâ coniugia non erunt, nisi malit delirare cum Origenistis, & mulieres in suo sexu non resurrecturas asserere; quem errorem D. Hieron. inter cęteros Ioannis Ierosolimit. confutauit; aut cum Mahometo brutarum pecudum & Epicuræorum voluptatum paradisum stabilire.

2. Non magis deliberandum ac conſultandum, ſitne ducenda vxor, an ſit comedendum aut bibendum quando vrget fames aut ſitis; nempe æquè debet cuique cura eſſe conſeruandæ ſpeciei, vt & indiuidui, aut ęquè concubitus eſt neceſſarius homini Epicuręo; atque famelico eſt cibus & potus. De cibo & potu non niſi ſtulti conſultare poſſunt, at de coniugio plurimi ſapientes Ethnici diſceptarunt. Theophraſtus iam productus & Gellius.

1. Noct. Atti. c. 5

Idem Lutherus ſermone de matrimonio quem habuit anno 1522. Non modo ſcripſit cœlibatum in ſeſe ipſo eſſe multo viliorem matrimonio, verum etiam lenonem appellare non erubuit qui matrimonio abſtineat.

3. Moyſen omnibus Iudæis præcepiſſe matrimonium vt in veteri teſtamento nemini vnquam licuerit vxore carere mirum ni præceperit & ipſum coniugij vſum, vt nunquam ab vxorum complexu diuellerentur.

Qua ratione igitur Helias, Heliſęus, filij Prophetarum Ieremias, Ioannes Baptiſta caruerunt vxoribus vti pluribus probat Hieron. auctoritate ſacrarum litterarum, ſed non tam ea mouetur Lutherus, quam auctoritate Rabinorum, quibus Ra. Salom. in cap. 9. Gen. homicidij reum facit qui liberis non dat operam, & Ra. Dauid Kinski ſententiam eſſe antiquorum, eum qui non relinquat filium, eſſe velut excommunicatum à Deo.

4. De votis monaſticis CHRISTVM nunquam conſuluiſſe virginitatem, ſed potius ab ea deterruiſſe & Apoſtolum verbis illis de virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, voluiſſe dicere non conſulo, ſed abſterreo. O præclarum interpretem. Per antiphraſim locutus ſit Apoſtolus. Quid hac gloſſa lucidius?

5. Vitam cœlibem nihilo meliorem eſſe coram Deo vita coniugali, ſed omnia paria cum Iouiniano, quem D. Hieron. confutarit, vt amicis placeret, & varia ſcripturæ loca vndique congregarit inconſideratè, & ad ſuum propoſitum

detorſerit,

detorserit, ne dicam, inquit, deprauasse. Iouinianum ab eo non solida eruditione, sed sola authoritate superatum, & tandem concludit: Quis scit si Hieron. hac parte fuerit vnus eorum de quibus Ezechiel, dicit Dominus: Propheta iste cum errauerit & mendacium locutus fuerit ego Dominus decepi Prophetam illum. Quî potuit hæc effutire Lutherus nisi bene potus & ebrius? Epicuręo certè & diabolico spiritu planè erat ebrius. Augustino teste qui Iouiniani librum vaniloquia, Hieron. suauissimam planissimamque disputationem appellat, sed præclariora adhuc audiamus dicta huius quinti Euangelistę: Serm. de matrim. ait, vt non est in męis viribus situm, vt vir non sim, tam non est mei iuris vt absque muliere sim. Rursum, vt in tua manu non est vt fœmina non sis, sic nec in te est vt absque viro degas. Nec enim libera est electio, aut consilium, sed res natura necessaria vt marem fœminæ, fœminam mari sociari oporteat.

Quod Deus ait, crescite & multiplicamini Gen. 18. non est pręceptum, sed plusquam præceptum diuinum, puta opus quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur, vel vt omittatur, sed tam est necessarium, quam vt masculus sim, magisque necessarium quam edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno & excubijs intentum esse; insita est naturæ indoles æquè ac membra, quę eo pertinent. Quare vt nemini Deus in mandatis dat, vt sit mas aut fœmina, sic nec vt sese multiplicent pręcipit, sed homines ita condidit. Si non vult vxor, aut non possit, veniat ancilla, cuius dicti aperta est ratio, res vxoria tam est cuique necessaria quam esca, potus, somnus. O turpe mancipium libidinis! ó dictum impudens, quale nunquam somniauit Epicurus, qui summam sapientiam ducebat in contemnendis quandoque voluptatibus aliarum maiorum adipiscendarum causa. Lutherus œstro libidinis percitus nullam putat differendam, etsi forte nec ipsa velit aut possit ancilla, quo desinet illa prurigo tartarea, nisi in naturæ repugnantem fœditatem? Huius tamen vtriusq;

paradoxi

paradoxi dissentionem suscipit Witacherus aduersus Campianum. Non hoc consilij, inquit, maritis dat Lutherus, vt mox ancillam sumerent. Dixit vero, quando vxor pertinax & obstinata induci nullo modo potest, vt debitum beneuolentiæ viro persoluat, eam repudiet, & in vicem Vasthi, Hester surroget; egregiè sanè non mox efferuescente libidine, cui tamen Lutherus vellet vxoris vsu satisfactum, ardore illo sedato, nec vxore, nec ancilla opus habet, sed quantum intermedij spatij statuit Witacherus ad repudium atque diuortium, & hanc censebit iustam causam, si non ad omnem mariti cupiditatem semper expedita sit vxor?

An noua creabitur Hester ancilla vt intemperantis Domini libidinem expleat. Sed quid in hisce sordibus immoror? Witacherus allegato Clementis Romani deprauato textu communitatem vxorum probare videtur. Quasi Clemens ignorasset quod à Tertulliano diserte scriptum est: Omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores. Ad aliud paradoxum: lex vxoria tam est cuique necessaria, quam esca, potus, somnus, Witacherus allegat auctoritatem Apostoli. Iubet Apostolus vt vnusquisque vxorem suam habeat. Cur ipsemet ergo Apostolus non habuit? ipso teste Luthero, qui sæpissimè repetit potuisse quidem mulierem sororem circumducere sed noluisse. Apud Lutherum quæ summa eius inscitia est aut malitia, ducere & circumducere γαμεῖν & περιάγειν nihil differunt. Apostolus matrimonium non quidem consulit, sed ex indulgentia permittit dumtaxat eius vsum ob Corinth. incontinentiam. Si Corinthij id sensissent quod Lutherus tam necessariam esse rem vxoriam quam cibum & somnum, non adeo mentis inopes extitissent vt Apostolum scripto consulerent. An ab vxoribus sibi temperandum esset, verum vti rite Tertull. In matrimonio deprehensi verebantur ne non liceret ijs matrimonio suo ex inde vti, quia in carnem sanctam CHRISTI credidissent, ob quod dixit Paulus: vnusquisque vxorem suam habeat, ea vtatur, & eisdem prope

verbis

verbis Hieronym. Corinthij per litteras quæsiuerunt vtrum post fidem CHRISTI cælibes esse deberent & continentiæ causa vxores quas habebant, dimittere? vnusquisque, inquit, Paulus vxorem suam habeat, non dixit ducat vxorem, ne libidini fræna laxaret, sed habeat & sua vtatur quam habebat, antequam crederet. Oportunum erit antequam longius progrediamur, quoniam Apostolum habemus huius omnis controuersiæ disceptatorem illius textum breuissime commentari.



CAPVT VIII.

Explicatur prima pars capitis septimi prioris ad Corinthios vsque ad versum decimum.



VERVNT Corinthij si qui Græcorum ad voluptatem veneream valde procliues,. de quibus Strabo scribit: fanum veneris Corinthij ita fuit locuples, vt plusquam mille haberet sacrorum famulas, meretrices, quas deæ viri, mulieresq; dedicarunt. Reprehensi in matrimonio verebantur ne non liceret eis illo deinceps vti. Quare quæsierunt ex Apostolo an post baptismum vsus coniugij permittendus esset, an quemadmodum scortatio seuerè esset vetita; ita, & vsus coniugij damnandus? *De quibus autem scripsistis mihi bonum est* Græ- *l.* 2.

cè καλὸν pulchrum, res præclara eximia *mulierem non tangere*, vxori non commisceri, nec cuique mulieri si non vxori, prę-terquam nullam liceret tangere; bonum, non tantum commodum vt vertit Erasmus, sed salutare, conducibile ad pietatem, & salutem vt ex reliquo contextu perspicuum est. Si bonum est homini mulierem non tangere, malum ergo est tangere, vt post Tertull. ratiocinatur Hieron. pro statu hoc naturæ corruptæ quo grassatur & dominatur inordinata delectatio, quod tamen malum bono coniugij purgatur & honestatur, aut potius bonum comparatiuè sumitur ex vsitata phrasi scripturæ. Melius, salutarius, laudabilius est abstinere ab vsu & complexu coniugij, in vno sexu alter intelligitur; vtrumque mox exprimit: Hieron. aduertit ex mulieris quocumque contactu periculum subesse, quasi qui illam tetigerit, non euadat, quę virorum pretiosas animas capit, quæ facit adolescentium auolare corda. Alligabit quis in sinu ignem & non comburetur, aut ambulabit super carbones ignis & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit statim aduritur, ita viri tactus & fæminæ sentit naturam suam. Vnde & Ioseph quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus eius, & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abiecit. *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat & vnaquaque suum virum habeat* Gręcè διὰ τὰς πορνείας, propter fornicationes, plurali numero quemadmodum legunt Hieron. & August. de Adulter. coniugijs 2. vt innueret diuersas libidinis species vitandas, ἴδιον proprium. Apud eosdem Corinthios celebratur Cotijs dœmon præses effeminatorum & impudicorum, siue illi ob turpem quæstum, siue ob fœdam libidinem, aliaue de causa pudicitiam prostituant, cuiusmodi sunt Clisthernes & Timarchi.

Suidas verbo Kotij.

Loquitur de coniugatis quibus habere vxorem est vti vxore, itaque nihil hic deducere possunt hæretici, matrimonium esse in pręcepto. Sed esto generatim loquatur. Non præcipit

vnusquisque

vnusquisque ducat vxorem, vt hoc ipso capite apertum est; mox enim profitetur se dicere secundum indulgentiam, non secundum præceptum; vult omnes homines esse sicut seipsum, Non nuptis & viduis bonum esse si sic permaneant, denique qui virginem suam non iungit matrimonio melius facere, sed sensus est. Etsi melius sit abstinere complexu coniugali, tamen propter fornicationem & omne genus immunditiæ vitandæ permittitur, vt vnusquisque habeat vxorem, & vnaquæque virum habeat, vtatur, illi copuletur vt in simili supra c. 5. Vxorem patris sui quis habeat. Sunt qui exponant, habeat, retineat, sed nondum hic agitur de retinenda vxore de quo v. 10. & deinceps.

Uxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Videtur vsus simplici voce debiti τὴν ὀφειλὴν, etsi duæ dictiones adiunctæ sunt in Græco contextu, debitum honorem, vt Hieron. ad Celant. debitam honorificentiam, vt res verecunda verecunda voce notaretur, & ex amore coniugali reddenda significaretur. Debitum est ex iustitia, sed cessante legitimo impedimento. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier* Græcè ἰδίου proprij. Corpus secundum ea membra quæ sexum distinguunt quatenus vsui coniugali inseruiunt. Augustin. Neutri est liberum continere absque alterius consensu, pares sunt & mutua quadam seruitute obstricti.

V. 3.

V. 4.

5. Contra Iul. c. 5.

Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi & iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Erasmus interpretatur pro temporis oportunitate & exigentia, sed planius est ad tempus, quamquam & ea mutuo consensu perpetua potest esse continentia sed hic agitur de temporaria, orationis causa. Græcè τῇ νηστείᾳ ieiunio & orationi. Vacandi verbum non perinde congruit ieiunio, sed ieiunium famuletur orationi, quod idem monet S. Petrus *vt non impediantur orationes vestræ.* 1. C. 3.
Actus coniugalis quo animus corpori totus quodammodo

V. 5.

 immer-

immergitur, ineptum reddit ad orationem qua mens eleuatur in Deum. Semper quidem Christianis orandum, sed agit Apostolus vterque de oratione publica, diebus Dominicis, & solemnibus, quibus sacrificio Missæ intererant, fideles & sacram percipiebant Eucharistiam. Non ait vt oretis, sed vt vacetis orationi. Theophilact. Non infrequẽter orationis nomine sacrificium Ecclesiæ cuius participes fiebant fideles ijs maximè diebus quibus solemniter ad orationem conueniebant. Hieron. aduersus Pammachium hac ratione defendit quod dixerat, tractans hunc Apostoli locum. Oro te quale illud bonum est, quod orare prohibet? Quod corpus CHRISTI accipi non permittit? Vetus fuit Romę consuetudo, vt post concubitum nocturnum, ad sacra loca ea die non accederent, quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Ecclesias? Quicumque sacrificio

Resp. 10 intererant communicare solebant. Permittit tamen Gregor. ad interrogationem S. Augustini Anglorum Episcopi, Eucharistiam præcipere coniugi, qui solo procreandæ prolis desiderio coniugi miscetur. Quoniam, inquit, nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere si quis hic est? Idem permissurus ei qui tantum debiti reddendi causa coniungitur. Nicolaus ad consulta Bulgarorum, suadet maritis, tota quadragesima ab vxorum vsu se contineant, vt hac continentia, ieiunio, & oratione sint aptiores sacris misterijs celebrandis. Consueuisse fideles primis Ecclesiæ temporibus perpetuam quoque seruare castitatem docent Tertul. & apud Cyprian. auctor libri de singularitate Clericorum, quam rem sibi gratissimam esse Deus editis miraculis confirmarit; cum verum matrimonium non carnalis copula, sed animorum consensus efficiat. Perseuerauit inde & in Ecclesia hæc consuetudo, vt coniugati certis diebus se à coniugio temperarent, de qua tum alij meminerunt, tum August. asserens; si qui suas vxores cognorint in profluuijs positas, aut die Dominica, aut qualibet alia solennitate, qui tum con-

Baron. ad an. 57. Tertul ad vxor l. 1. c. 6, de Resur. car. c. 8. de virg. 13 Gryll. cath. 4. Greg. 1. dial. 10 Aug. ser. 244 de temp.

cepti

cepti fuerint, aut leprosos, aut epilepticos, aut etiam fortè dæmoniacos nascituros. *Ne tentet vos Satanas, reuertimini in idipsum* quod erubescit suo vocare nomine, inquit Hieron. *Proter incontinentiam & intemperantiam vestram.* Ne vos Cacodæmon ad deteriora sollicitet ad alias damnabiles corruptelas. *Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium.* Græcè secundum veniam, non secundum præceptum vt legit Cyprian. Exponit id quod dixerat: Reuertimini in idipsum & supra vnusquisque vxorem suam habeat non ex pręcepto sed ex permissione & indulgentia quadam dixisse, qua nimirum solent minora quædam mala permitti, ad auertendum maiora. Quare S. August. & alij docent ex hoc loco concubitum coniugalem quando fit per incontinentiam, etsi fiat vitandæ fornicationis causa culpa non carere. Euidenter dum tribuit veniam, denotat culpam. Nam quis ambigat absurdissimè dici non eos peccasse quibus venia datur? De bono coniug. c. 10. Et quis esse peccatum neget cum dari veniam facientibus, Apostolica authoritate fateatur. Tunc solum culpa caret quando non expetitur nisi sobolis procreandę causa ad exemplum S. Tobię & honestæ & Christianæ educationis, vt Dei nomen benedicatur, aut si non expetitur, sed tantum redditur debitum, qui actus est iustitiæ; de quo supra, vxori vir debitum reddat. Appositè Hieron. Quamdiu impleo mariti officium non impleo Christiani, & mussitamus adhuc nuptias non vocare indulgentiam sed pręceptum.

L. 3. testim c. 32. *De peccat. orig. 35.* *De bono coniugali 10.* *Enchirid. 78.* *C. 8.*

Volo autem omnes vos esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Volo pro vellem Hebraismus vt legit August. Ambros. volebam, optabam pro optarim, adeo non præcipio coniugium aut cōiugij vsum, vt potius velim atque optem omnes esse, vt ego sum, liberos, expeditos à curis & actibus huius sęculi, quæ impediunt libertatem vacandi Deo, cuiusmodi imprimis est status & actus coniugalis, Loquens infra de innuptis & vi-

V. 7. *De nat. & lib. arbitr. c. 4* *Rom 9. v. 3.*

duis bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, ex quo vtroque loco colligunt SS. Patres Paulum in perpetua castitate vitam egisse atque inter cœlibes & virgines annumerandum. Certè si non vixisset in perpetua continentia, non sese illius exemplum omnibus proponeret, quod non tantum maritati, verum & virgines & cœlibes imitarentur. Beatus qui Pauli similis erit & fœlix qui audit Apostolum præcipiẽ-
1. Cor. 11.1. tem non agnoscentem. Hoc, inquit, volo, hoc desidero, vt imitatores mei sitis sicut & ego CHRISTI, ille virgo de virgine, de incorrupta incorruptus, nos quia homines sumus & natiuitatem Saluatoris imitari non possumus, imitemur saltem conuersationem. Illud diuinitatis est, & beatitudinis, Hoc humanę conditionis est & laboris. Volo omnes homines similes mei esse vt dum mei similes sunt, similes fiãt & CHRISTI, cuius ego similis sum. Qui enim CHRISTO credit debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.

Sed vnusquisque proprium habet donum alius castitatis coniugalis, alius vidualis, alius virginalis. Indicat ijs qui carent continentiæ dono abstinendi ab omni concubitu, nec ad id serio niti volunt patere remedium ex coniugio, dummodo tamen voto sponte suscepto, aut Ecclesiastica lege non impediantur, his enim ad sanctiora remedia confugiendum est. Vt autem consequens non est hominem coniugatum, si non habeat donum continentiæ coniugalis non teneri ad eam seruandam, ita qui non habet donum continentiæ simpliciter, sed petere id à Deo debet, & cum Dei gratia quæ nunquam
v. 8. deest, vt cælitus id donum assequatur, elaborare.

Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego τοῖς ἀγάμοις innuptis, in coniugatis quos cœlibes vocamus qui nunquam nuptias experti. Bonum melius eligendum sicut ego maneo innuptus, inconiugatus. *Quod si non se continent, nubant, melius enim est nubere quam vri.* γαμῆσαι matrimonium inire vtrique sexui commune, si per infirmitatem carnis continere se non possunt, amplectantur remedium nuptiarum Greg. 9. p. curæ Pastor. adm. 28. admo-

nendi sunt cælibes vt si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, coniugij portum petant, quibus nempe coniugium voto vel Ecclesiastica lege, interdictum non est, quibus patet hic portus, de quibus idem Gregorius sine culpa quippe ad coniugium veniunt, si tamen necdum meliora vouerunt, nam quisquis bonum maius subire proposuit, vouit, bonum minus quod licuit sibi illicitum fecit, vt demonstrat Apostolus de viduis quæ primam fidem irritam fecerũt. 1. Timoth 5.
Nec aliter senserunt vetustissimi quique Patres Epiph. hęres. 61. quę est Apostolicorum. Chrysost. lib. de virginit. c. 39. ad quem librum lectorem in commentario remittit, Hier. 1. in Iouin. c. 67. S. Augustinus de bono viduitatis c. 3. 9. 10. de coniugijs adulterin. c. 15. Fulgent de fide ad Petrum c. 3. &c. Vri est per actum aut consensum peccati ab igne concupisentiæ lædi; ita pati libidinis æstum vt adureris, quare vri idem est quod non se continere. Vritur non qui tentatur incentiuo libidinis sed qui tentatione superatur, non qui sentit, sed qui consentit quomodo dicitur vri non qui calorem noxium, aut molestum patitur, sed qui violatur, ac sauciatur ab igne πυροῦσθαι igniri, incendi, comburi, Aug. Vri est occulta flamma concupiscentiæ vastari. Hieron. aperte vri exponit fornicari, nomine fornicationis omne genus impudicitiæ complectens. Quod si vri non plus esset, quàm tentari, & pati motus libidinis, vt volunt sectarij, iam ipse Paulus qui de stimulis carnis alibi queritur. Vxorem ducere debuisset; nec vero valet ea ratio in ijs quibus omnino nubere non licet, quibus ipsum velle nubere damnabile est. Qui peccatum libidinis grauiore peccato inobedientiæ & violati voti cumularent. Duplici sensu potest hoc Apostoli dictum accipi. Melius est nubere quàm vri, primo facta propria cõparatione boni cum malo, qualis illa Ecclesiastes 7. *Melior est patiens arrogante.* Si nuptiæ per se spectentur, quæ sunt per se res honesta à Deo instituta, si nubere sumatur pro solo contactu, seu statu nuptiali non de ipso actu, aut adiuncta

Lib. de S. Virg. c. 34.
Apolog. ad Pãmach.
2. Corinth.

circum-

circumstantia incontinentiæ, quo sensu sumpsit S. Aug. Secundo impropria acceptione melioris vt melius dicatur minus malum, quomodo melius erat olim in excelsis Deo sacrificare quam idolis & quemadmodum melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti. Quem sensum secutus est Hieron. Apolog. ad Pammach. 7. Ideo melius est nubere quia peius est vri. Nubere per incontinentiam, quod per veniam & indulgentiam permittitur minus est malum quàm consentire peccato, quod non permittitur. Non continentibus se melius est nubere. Sic S. Thomas interpretatur melius magis tolerandum. S. Martinus coniugium pertinet ad veniam, virginitas spectat ad gloriam, fornicatio deputatur ad pœnam. Sed reddamus hic verba Hieron. & Tertull. Quibus maximè iugulantur aduersarij. Melius est nubere quàm vri. 1. Melius est maritum ducere quàm fornicari, ideo melius est nubere quia peius est vri. Tolle ardorem libidinis & non dicet, melius est nubere. Melius semper ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni, velut, si dicerent, melius est vnum oculum habere, quàm nullum. Imitatus Hieron. Tertull. ad vxorem. Quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat vt ideo nubere melius sit, quia deterius est vri. At enim quanto melius nec nubere nec vri.


De bono coniug. c. 10.

Aduers. Iouin. de nupt. incont. & Apolog. ad Pammach. 7

Apud Sulpit. dial. 2.

Hieron. Apolog. ad Pammach.

CAPVT



CAPVT IX.

Nullo iure matrimonium pracipitur, imò non consulitur quidem, sed permittitur dumtaxat, & indulgetur.



EPICVREÆ sectæ ministri, quàm sint acres ac strenui incontinentiæ Patroni in ea demonstrant, quod conquisitis vndecùnque, & deprauatis sacræ scripturę testimonijs persuadere conantur omnibus, ijs certè qui continentiæ donum non habent, matrimonium iure naturæ & diuino esse præceptum, qui alter est eorum error præcipuus. In primis allegant quem exposuimus Apostoli locum. *Vnusquisque vxorem suam habeat, qui non continent, nubant. Melius est nubere quam vri, & similia.* Adijciunt 1. Timoth. 5. *Volo iuniores nubere, matres familias esse, filios procreare,* & ad Heb. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus;* Imò altius ab institutione matrimonij repetentes aduersus illud Apostoli: Bonum est mulierem non tangere, opponunt illud Gen. 2. 18. *Non est bonum hominem esse solum, & ingeminant: Crescite & multiplicamini,* quasi de iure naturę & diuino præceptum sit connubium, cui nulla lex Ecclesiastica præiudicare queat. Qua de re Caluinus. Si quis vtile sibi putat vxore carere, atque ita nullo examine habito, cælibatus legem sibi

1 Tim. 5 14.

Calui. Harm. Math. c. 19. v. 11.

sibi edicit, longè fallitur, Deus enim qui pronunciauit bonum est vt viro adiutrix sit mulier contempti sui ordinis pęnam exigit, quia nimis sibi arrogant mortales, dum se à cælesti vocatione eximere tentant. Quemadmodum nulla lex ferri potest de abstinentia cibi omnis & potus contra insitam cuique à naturâ sui conseruandi propensionem, ita non videtur lex ferri posse de abstinentia omnis concubitus aduersus propensionem propagandæ speciei, & præceptum quodammodo naturæ de coniugio ineundo. Huic ratiocinationi, & hisce testimonijs iam pluries responsum est, aliam esse rationem conseruandæ speciei, aliam cuiusque indiuidui: Nam si quæ est obligatio tuendæ speciei ad ipsam speciem generatim pertinet, non ad quodque sigillatim indiuiduum. Sit igitur aliquod præceptum ineundi matrimonij ad generis propagationem, id tamen ad ipsum genus pertinet vniuersim ad hominum multitudinem, non ad quemque speciatim, quemadmodum præceptum est initientur aliqui sacerdotio ad Dei cultum exhibendum sacrificio publico, sed nemo speciatim eo præcepto tenetur, sit præceptum iure naturæ matrimonium, at præceptum id affirmatiuum est, quod tum demum obligat cum vrget extremus casus necessitatis, ne deficiat genus humanum. Ergo vt ordine retrogrado retexamus eorum argumenta, negamus parem esse rationem indiuidui conseruandi, & speciei tuendæ, prior enim obligatio cuique incumbit, non posterior, tamen esto sit par ratio, vti tum demum vrget pręceptum iuris naturæ de cibo potuque sumendo cum indiuidui vita periclitatur, ita tum obstringit pręceptum matrimonij cum periclitabitur genus humanum, & constabit ex Dei voluntate nondum adesse mundi finem & exitum. Verba illa crescite & multiplicamini non continent vllum præceptum, sed institutionem naturę, nam & ad cætera diriguntur animalia quę pręcepti capacia non sunt, & ratio illa, replete terram, habet locum cùm terra erat vacua, nunc cælum replendum est, quod continentiâ potius quàm

matrimonio,

matrimonio perficitur, vt SS. PP. admonent. Tertul. ll. de monogamia. Cyprian. l. de habitu virginum. Hieron. 1. in Iouin. & August. Non repugnat auctoritas illa Gen. *Non est bonum hominem esse solum* Apostoli dicto, *Bonum est mulierem non tangere*, nam in Genesi sermo est de bóno speciei, quo mundus erat vacuus, apud Apostolum de bono indiuidui, quo mundus plenus, & ex mundo in cęlum est transmigrandum. Moses de bono vitæ temporalis agit, Paulus de Spirituali bono conducente ad salutem & vitam æternam. Si caruisset Adam Eua socia non tam facilè ad peccandum inductus esset, seque ipsum in beato illo statu innocentiæ tutius & diutius conseruasset. *Honorabile connubium est omnibus*, qui nec voto, nec lege vlla prohibentur illud inire, in ijs qui inhibentur sacrilegium est, & incestus, non connubium, in omnibus legitimè coniunctis, apud omnes, vt nemo matrimonium condemnet, vel omni ex parte, siue sacramentum spectes, siue fidem, siue prolem, sit licitum & honorabile, non tamen præceptum, vel potius præcipit Apostolus, vt omnes qui in coniugio viuunt, honorem seruent coniugij, & thorum absque macula; *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*, æternæ mortis afficiet supplicio; sacrilegos illos voti Deo nuncupati violatores, qui ad incestas nuptias transuolarunt. Nemo, sectariorum asseuerabit inter ipsos primo aut secundo gradu consanguineos honesta esse coniugia, qui filiorum absque parentum inita consensu condemnant. Quis eosdem non miretur allegare ausos locum Apostoli 1. ad Timo. 5. Vbi de viduis alendis sumptu Ecclesię tractat, & reijciendis ijs, qui aduersus Christum proteruiunt ac lasciuiunt iumentorum instar, quæ bene pasta in Dominos ferociunt, aut vt exponit Hieron. epistola ad Agheruss. Lasciuierunt in Christo, cum in iniuriam viri sui Christi fornicatę fuerint, nubere volunt, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, de quo loco pluribus aliàs. Has non vult Apostolus nubere cum voto non nubendi

Heb. 13.4.

Heb. 13.4.

1. Tim. 5.12.

bendi sint obstrictæ, nam si in damnationem præcipitantur nubere volentes, quanto magis reipsa nubentes: sed ex eisdem iunioribus alias similiter otiosas, curiosas, verbosas, loquentes quę non oportet, siue secreta publicent, siue aliorum famæ detrahant. Quas vult reijci à beneficio sustentationis Ecclesiæ, & has vult nubere, omnibus spectatis, quod illis immineat periculum incontinentiæ, & damnationis, neque volo, est præcipientis sed suadentis & consulentis minus bonum vt aliàs dictum est, secundum indulgentiam, non secundum imperium; Alioquin absolute cupit Apostolus omnes esse sicut seipsum, & ad continentiam omnes hortatur, sed quibusdam coniugium suadet, quod videantur sese continere non posse, aut nolle, ne dent occasionem aduersario maledicti gratia; iam enim quędam conuersę sunt retro satanam lapsę in peccatum fornicationis aut etiam grauius infidelitatis. Quamquam alia ratio est virginum quæ nuptias nunquam sunt expertæ, alia iuniorum viduarum, quarum maius est periculum, si cum virgines essent continere non potuerunt, multo minus voluptatem expertæ, poterunt. Facilius continent virgines vt testatur Hieron. ad Agheruss. de virginibus habemus expressè Apostoli consilium 1. Corint. 7. vt sic permaneant, & qui matrimonio iungit virginem suam bene facere, sed qui non iungit melius facere. Verùm vtvt sit nec ipsis viduis iunioribus omnibus matrimonium non modò non præcipit, sed nec consulit quidem, nisi certo isto statu quo se non continent, quo se grauiori obijciunt discrimini, & in earum adhuc est potestate maritos sumere; à quibus domi contineantur, & in liberorum educatione, familięque & domus occupatione distineantur, vt à vitijs supradictis, otio, discursu, loquacitate, curiositate retrahantur.

Superest locus 1. ad Corint. 7. quem explicuimus, sed vberioris doctrinę causa ad Caluinum refutandum, qui ait hoc certa voce citari omnes ad coniugium qui vruntur,


hoc

hoc est, vt ipse interpretatur qui tentantur, tametsi ten- *L.4 in-*
tationi non planè consentiant, tamen iacula intus pene- *stit.c.*
trant aut sentitur carnis delectatio, & mentis perturba- *13.55.*
tio. Pauca adijciamus. Et in primis fundamentum hoc *17.*
Caluini, quod idem est Lutheri, prauos concupiscentiæ motus cum sentiuntur, etsi non adhibeatur consensus esse peccata & quidem læthalia; nullum enim discrimen est apud eos peccati læthalis & venialis, nec esse debet pleni & integri aut semipleni consensus, planè est erroneum hæreticum & apertè falsum; cum non possit esse peccatum nisi sit voluntarium, vt alio capite est demonstratum. Non citari omnes ad matrimonium ob solum sensum tentationum, sed ob consensum patet ex illis verbis, si non se continent. Quibus eisdem significatur illud ipsum quod est vri & comburi igne pestifero libidinis, quâ ratione SS. PP. Apostolum interpretantur, præter Hieron. & August. quos produximus. Chrys. in eum locum, significat Apostolus quanta sit concupiscentiæ tyrannis, hoc est, quod dicit si magnam violentiam pateris, & libidine incenderis, laboribus te & sudoribus libera ne quando decidas. Theodoret. vstionem non vocat cupiditatis molestiam, sed animi mancipationem. Et ad id quod est deterius, inclinationem. S. Thom. idem confirmat ex ipsa vocis proprietate, vri enim non est calere, quod tentatis conuenit, sed calore labefactari quod conuenit ijs qui tentatione superantur. Atque hic scriptura, comparat iustos *1.Petr.*
1.
in tentationibus positos auro, quod per ignem probatur. *Sap.3.*
Deinde forma loquendi Apostoli non est præcipientis aut imperantis, sed indulgentis, permittentis, aut summum consulentis tanquam minus malum maioris euitandi causâ. Quod omnino licet. Similiter ad illud: Volo iuniores nubere. Chrys. volo, quia ipsę volunt, & infra. An *1.Tim.*
vero matrimonium præcipit, absit, sed neque prohibet *5.14.*
infra. Prohibet igitur ob huiusmodi viduas, atque de-

 terret

CAPVT X.

Christus Dominus omnibus sectatoribus suis cælibem vitam exemplo & verbo consuluit.



E PRÆROGATIVIS nouæ legis Euangelicæ non vltima est virginitatis & vitæ cælibis frequens vsus & cultus; nam in veteri quidem omnes ferè dabant liberis operam, & maledicta censebatur sterilis in Israel. Quis negat, inquit, Ambrosius hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facilè inuenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit, statim vt Dei filius ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet & Angelos in terris. Hoc est angelicâ, cælesti, & diuinâ virtute virginitatis exornatus. Sanctissimam matrem, nutritium Ioseph, Baptistam præcursorem & alterum Ioannem Euangelistam quem ob hanc ipsam virtutem plurimum dilexit. Habeant nuptæ suum tempus & titulum, mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater & virgo: Virgo post partum, mater antequam nupta. Iterum Christus virgo, Maria virgo, vtriusque sexus virginitatem dedicauere, produxerat Iouinianus Zachariam & Elizabeth coniuga-

L. 2. de virgin.

Hieron. ad Eustochiũ.

1. in Iouin.

coniugatos, cui respondens Hieronymus sciat de Zacharia & Elisabeth Ioannem esse generatum, id est, de nuptijs virginem, de lege Euangelium, de matrimonio castitatem, vt à propheta virgine, virgo Dominus annuntiaretur & baptizaretur, similiter Heluidio reposuerat, tu dicas Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Voluit Dominus à Virgine concipi de Spiritu Sancto, eademque intemeratâ in lucem edi, lactari, gestari, & enutriri, vt quam sibi chara virginitas esset, tum in se, tum in matre sua demonstraret. Ac tametsi varia contumeliarum probra ac maledicta ferre non recusarit ab hostibus Pharisæis, nullam tamen nec de se, nec de sanctissima matre sinistri hac in parte rumoris auram spargi permisit. Mirabantur discipuli quod cum muliere Samaritana loqueretur, & Simon Pharisæus quod à Magdalena tangi se sineret, elucebat in eius diuino vultu suauissima maiestas, quæ intuentes ad se raperet, & pudicitię flammis incenderet. Apostoli omnes aut virgines aut cęlibes, plurimi martyres, corporis animique puritatem, intemeratam seruarunt, plurimi item Doctores & Pontifices integritate virginea, aut certe castitate heroica non impari effloruerunt, vt hac pręrogatiuâ Dominus illustriores quosque sectatores suos cohonestasse videatur. Ad huius eximiæ virtutis studium & imitationem non tantum exemplo sed verbo cohortatur cum ad sese sequendum inuitat. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Nam quæ potior aut pręstantior abnegatio hac omnis sensualis delectationis abdicatione, qua natiua propensio sed animalis & bruta reprimitur, qua quis se Christi Domini exemplo atque imitatione ad cælestem & Angelicam traducendæ vitæ normam prouehit atque eleuat, & velut humo sustollit in cęlum. Hac virtute crucifigitur caro cum vitijs, & concupiscentijs, carnis ea crux est atque martyrium, dum

Matt. 16.24.

aduersus concupiscentiam continua vis adhibetur, dum nunquam intermittitur intestina pugna, habet & pudicitia seruata martyrium suum, virgines sanè sequuntur Agnum quocunque ierit, vt eius hac imitatione proximi, ita etiam gloria simillimi ac viciniſſimi/hac de causa cùm tentatus à Pharisęis virum secundum legem Moysi, vxorem liceret dimittere, omnino fieri prohibuit, quod discipuli considerantes, dixerunt; *Si talis est causa hominis cum vxore, non expedit nubere,* quibus ille respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; sunt enim Eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Caluiuus in Harm. Matth. 19. 10. discipulos quod ita magistro de oneribus matrimonij differenti, responderunt, inter alia vitia impiæ accusat ingratitudinis, & multis contendit, CHRISTI mentem esse penitus contrariam, dissuadere scilicet, non suadere cælibatum, quam virtutem censere stultam imaginationem esse censet ipse pręclarus cēsor. Apostoli iam quidem Dominum sequendi, atque imitandi studio cælibem vitam erant professi, nuntiumque nuptijs, si qui eas inierant, non inuitâ coniuge remiserant. Verùm hoc admirati graue iugum, & onus ex indissolubilitate matrimonij omnibus impositum, quod vxor qualis qualis demum obtigisset, excepto adulterio dimitti non possit, eaque dimissâ non liceat aliam ducere, id, inquam, admirati, concludunt non expedire cuiquam matrimonium inire, hoc enim γαμῆσαι vtrique sexui cōmune. Respondet Dominus miro quodam artificio ac temperamento, nuptias nec probans nec improbans, sed non omnes ab ijs cohibere se velle aut posse, quod res sit ardua, quæ singularem quandam opem diuinę gratiæ postulat; vel potius approbat Apostolorum conclusionem ex Hieronymi interpretatione. Rectè quidem sentitis nuptias non proinde expedire, sed difficilis res est, & non omnes, imò pauci capiunt verbum hoc in animum

Matth. 19. 10. & seq.

1. Aduers. Iouin.

sibi inducant magis expedire à nuptijs abstinere, sed quibus datum est, id mente diuinitus illustrata consequi, & constanti atque ardenti voluntate exequi. Ex his coarguitur Caluinus, & qui cùm eo vertunt non rectè, non omnes capaces sunt; omnes enim capaces sunt, si petere à Deo velint id donum, neminique deest sufficiens gratia, cui si cooperetur reipsa capiat, & habebit continentiç donum. Par autem & similis est ratio continentiç virginalis & coniugalis, neutra enim sine Dei dono habetur, & quod non habeatur culpa nostra est qui illud non petimus. Quod quis capiat, Dei est & humanæ cooperationis, quod non capiat, solum humanæ libertatis vitium, quod de fide, spe, charitate cæterisque donis consimiliter asseuerari potest.

Iam quorsum tria hæc Eunuchorum genera Dominus in medium proferat, haud est obscurum, vt quam laudem mereantur Eunuchi voluntarij qui se propter regnum cælorum castrauerunt appareat, qui quam abstinentiam ab omni venere natura in paucis admodum sine testibus aut frigidis, aut hominum iniuriâ & vis imposuerit, ipsi sibi voluntate generosa propter Deum & cælorum regnum indixerint. Tũ & Domino propositum fuit finem illum altiorem regni cælestis ob quem suscipienda sit continentia, præstituere, ne dumtaxat ob incommoda & molestias quas nuptiæ afferunt ab ijs censerent abstinendum discipuli. Si ita est causa hominis in vxore vt dimitti non possit præterquam admisso adulterio, nec tamen alia possit superinduci, potius omnino carendum est nuptijs; omnino, sed multo magis ob regnum cælorum promerendum & capessendum. Quod de paruulis mox subscribit Dominus, hoc de eisdem Eunuchis dici potuit. Taliũ enim est regnum cælorum. Hieron. Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum, mihi illi Eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas, libenter illos in meos sinus recipio. Qui se castrauerunt propter regnum cælorum, & ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt. Quam grati

sunt

ſunt Eunuchi Regibus & Principibus tyrãnis ad vxorum &
pellicum ſuarum cuſtodiam adhibiti, tam ſunt grati Regi cæ-
leſti hi ſpadones voluntarij. Preclarè Hieron. proponit ἀγω-
νοθέτης prçmium inuitat, ad curſum, tenet in manu virginita-
tis brauium, oſtendit puriſſimum fontem & clamitat: Qui
ſitit veniat & bibat, qui poteſt capere capiat, pugnet,
vincat, ſuperet, & triumphet non dixit velitis, nolitis, bi-
bendum vobis eſt atque currendum, ſed qui voluerit, qui po-
tuerit currere, atque potare, ille vincet, ille ſatiabitur. Et ideo
plus amat virgines CHRISTVS, quia ſponte tribuunt quod
ſibi non fuerat imperatum, maioriſque eſt gratiæ offerre quod
non debeas, quam reddere quod exigaris. Et in Matth. 19.
Quaſi hortantis vox Domini eſt, & milites ſuos ad pudicitiæ
præmium concitantis. Qui poteſt capere, capiat, qui poteſt
pugnare, pugnet, ſuperet & triumphet. Grandis fidei, gran-
diſque virtutis eſt Dei templum eſſe puriſſimum totum in
holocauſtum, offerre ſe Domino, & iuxta eundem Apoſto-
lum eſſe ſanctum corpore & ſpiritu. Hi ſunt Eunuchi qui ſe *Iſa. 56.*
lignum aridum putantes audiunt per Iſaiam quod pro filijs & *3.4.5.*
filiabus locum habeant in cælis paratum. Horum typus eſt *Ierem.*
Abdemelech Eunuchus in Ieremia, & Spado ille Reginæ *38. 7.*
Candacis in Act. Apoſt. qui ob robur fidei viri nomen obti- *Act. 8.*
nuit. Talem fuiſſe Eunuchum quem IESVS amabat pluri- *27.*
mum Euangeliſtam Ioannem Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ,
qui recubuit ſupra pectus IESV, qui Petro tardius ambu-
lante elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum, qui in ſe-
creta diuinæ ſe natiuitatis immergens auſus eſt dicere, quod
cuncta ſæcula neſciebant. In principio erat verbum. Quis
non optet ad hunc ordinem & gradum Eunuchorum pro-
moueri, vt (ait idem Hieron.) turris Domini efficiatur, & in
Sacerdotali conſiſtat gradu, & pro carnis filijs multos habeat
filios ſpirituales.



CAPVT XI.

Cælibatum quoque consuluit Apostolus Paulus. Explicatur postrema pars cap. 7. prioris ad Corinth. à versu 25.



DE Apostoli Pauli cælibatu disputat prolixius Cardin. Baron. Non potest res esse dubia si quis ad eius verba hac in Epistol. ad Corinth. attendat: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum.* Ad continentiam omnes sui exemplo cohortantis, idque idipsum planius explicantis, *dico autem non nuptis & viduis bonum est illis si sic permaneant sicut & ego.* Neque enim sunt audiendi, inquit, Hieronymus qui eum vxorem habuisse confingunt, cùm de Continentia disserens & suadens, perpetuam castitatem intulerit, atque hæc sententia est cæterorum Patrum qui in eam Epistolam commentarios edidere, quorum aliquot Catalogum texuit Hieronymus. Nec nisi à corruptoribus & ad libidinem conuersis aliter intelligi posse, asserit Epiphanius. Vnus Clemens Alexandrinus Paulum coniugatum facit ex eius verbis, *nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi sicut & reliqui Apostoli.* Negat tamen vt vxores, sed vt sorores circumduxisse per quas

Ad Eustoch. Epist. 22. *Heresi. 70.* *1. Cor. 9. 5.*

quas in gynecæa doctrina Domini ingrederetur, quem locum Nouatores intelligunt de vxore abusi ambiguitate vocis γυνή, quæ tam vxor quam mulier Latinè dicitur. At si vxorem Paulus dicere voluisset, qui Græcè scripsit, Græci sermonis regulam seruasset nec simpliciter γυναῖκα, sed necessarium articulum addidisset τὴν γυναῖκα, ideoque non de vxore, sed de sorore antiqui scriptores interpretati sunt; Ex quo apparet, inquit Hier. eum de alijs sanctis mulieribus dixisse, quæ iuxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum: nam & ordo verborum hoc significat, nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo & bibendo, ac de administratione sumptuum permittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantiâ ministrabant. Eadem habet Tertullianus & August. quia neque mulierem tantummodo ait, sed sororem mulierem, neque ducendi sed circumducendi. Chrysost. Theodor. & alij: Consuerant Iudæi suæ gentis feminas sorores nominare & viros fratres, quanquam de propria sorore possit intelligi cuius filius insidias Iudæorũ detexerit. Act. 25. Allegant alij verba illa ad Philipp. Etiam rogo & te germane compar. Nouus interpres germanam interpretatus est, contra receptum sensum Orthodoxorum, neque verò non tantum de viro intellexerunt. Chrysost. & Græci omnes, sed & nomen proprium cuiusdam esse censuit Oecumenius & Theodoretus stultos eos vocat qui vocem, compar, quod communis sit tam masculo quàm fęminæ de coniuge Pauli intelligerent non attendentes ea quæ scripta sunt in Epistola ad Corinth. quod se retulerit in numerum cælibum. Chrysost. illum comparem fuisse fratrem illarum mulierum quæ illic nominantur, aut fortasse virum ac maritum alicuius ex illis Syntychis aut Euodiæ. Afferunt denique nouatores testimonium Ignatij ex deprauatâ ad Philadelphos

De monogam. c. 8.

Philipp. 4. 6

Epistola, qua inter coniugio obligatos recēset Petrum & Paulum & alios Apostolos, sed antiquiores omnes codices Græci, qui Romę in Bibliotheca Vaticana, Sfortiana & alijs asseruantur, & antiquissimus Matthiæ Coruini Regis Pannoniarum nomen Pauli non habent, si recentiores id habent, haud dubiè à Grçcis, qui quod vxores in Sacerdotio retineant Paulum suæ incontinentiæ defensorem ac consortem habere volunt, adiectum est. Antiquiores omnes tum impugnatores tum propugnatores continentię nullam matrimonij Pauli mentionem fecerunt. Ebion ipse Princeps hostium virginitatis narrat quidem Paulum ambiuisse filiam cuiusdam Sacerdotis Iudæi, sed cum eam auferre non potuisset, relictis Iudęis ad Christianos confugisse. Quæ tametsi fabula est; tamen probat cælibem fuisse Apostolum cùm inter Iudæos ageret, multo autem magis continentiæ totum se addixerit, factus gentium Apostolus, per orbem vniuersum CHRISTI Euangelio deferendo destinatus. Hoc, opinor, insinuat dum de virginitate consilium dat vt sim fidelis.

Apud Epiph. hær. 30

V. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis.* De virginibus quæ nondum Continentię voto se attrinxerunt, & eadem ratio de omnibus à vinculo coniugali liberis nullum habeo prçceptum à CHRISTO traditum, sed dico quod sentio, quod melius iudico, consilium do, γνώμην sententiam meam profero, sicut decet Apostolum & internuntium CHRISTI, qui ne hac sua misericordia dignatus est vt sim fidelis dignus cui fides habeatur, Cōsiliarius fide dignus Theodoretus. Quia fidelem me existimauit ponens in ministerio suo, ad Apostolatum me suâ misericordiâ vocauit. August. neque inuidere debeo fidele consilium qui non meis meritis, sed Dei misericordiâ sum fidelis. Domini mei seruitio semper occupatus. Hieron. Ambr. Prçceptum non habeo, consilium habeo; non enim præcipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio; nec auctoritas

L. 3. ep 25. ad Eccles. Vercel.

præsu-

prȩſumitur, ſed monſtratur gratia; nec à quocumque demonſtratur, ſed ab eo qui miſericordiam Dei meruit. *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* Exiſtimo νομίζω, arbitror, modeſtiæ cauſa cum de re certa loquatur. Bonum non qualecunque, ſed eximium & præclarum, quod per tria genera bonorum breuiter explicat S. Thomas. Bonum honeſtum, propter puritatem, delectabile, propter libertatem, vtile propter mercedem, quia debetur ei fructus centeſimus, vel bonum pro meliori poſuit, vt alias propter inſtantem neceſſitatem, moleſtias & incommoda quæ plurima ſecum trahit coniugij ſtatus, quem mox appellat tribulationem carnis, vnde coniugati comparantur molentibus in mola. Conſiderans Apoſtolus eiuſdem neceſſitatem tanquam impedimentum quò minus quis expeditè ac liberè Deo poſſit inſeruire vt obſeruat S. Auguſt. & probat. Paulus hæc ſcribit prouidens & conſulens in futurum cùm omnis eius diſpenſatio non niſi ad vitam ȩternam vocet. Quæ ſunt ad eum finem vltimum referenda. Nihil igitur fauet hic locus Iouinianiſtis huius ſæculi qui mirabili inſipientia ac ſententiȩ vanitate: ait S. Auguſtin. virginitatem ob id ſolum colendam & coniugio prȩferendam cenſent, quod hominem liberet à præſentis vitæ moleſtijs, non quod hominem Deo gratum efficiat, aut ad regnum cȩleſte promoueat,

Matth. 24.

Lib. de S. Virg. c. 13. 14.

Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem, ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Intelligit de eo qui conſummato matrimonio perfectè ligatus eſt, aut non ita ſe commendare virginitatem vt diuortium & ſeparationem hortetur. V. 27.

Si autem acceperis vxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Nuptiæ non ſunt peccatum, ſed res bona à Deo inſtituta, ſi bono fine ineantur non ad expletionem libidinis, ſed ad prolis propagationem, virgo quæ non ſit aſtricta voto, vt monent PP. alio capite producendi. V. 28.

Afflictio-

Afflictionem carnis, qua vita coniugalis plena est, incommodorum, molestiarum, mœrorum, angorum de quibus
Lib. de Virg. Basilius. Coniugium vocans dolorum officinam,& Chrysost.
Serm. de libel. repud. S. August. maximè quod officiant Dei obsequio & spirituali profectui, ipsam tribulationem carnis, inquit S. August. quam nupturis prædicit Apostolus suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur. Nolo pluribus commemorare coniugij incommoda ne incontinentes cum periculo suæ salutis absterreantur à coniugio. Sic August. accipit Apostoli illud: Ego vobis parco. Greci probabilius. Ego tanquam pater filijs parco cupiens vos molestiarum, quas consequitur coniugium esse expertes, ideoque illud dissuadeo. Idem quod infra: Volo vos sine sollicitudine esse.

V. 29. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est reliquum est vt & qui*
Aduers. Iouin. c. 13. *habent vxores, tanquam non habentes sint.* Græcè tempus contractum est. Hieron. legit, tempus in angusto est, sequutus Tertull. tempus accisum breue. Plerumque spe nostra & expectatione breuius non permittit indulgeamus voluptati cum totam studio salutis æternæ debeatur. Imo qui id cogitat de vxore ducenda non cogitabit nec de rebus sæculi quibus animus auocatur à Deo. Qui vtuntur vxoribus parcius vtantur liberorum procreandorum causa dumtaxat & debiti reddendi non voluptatis.

V. 30. *Et qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non*
V. 31. *gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes*, quibus tristia aut læta accidunt, aut qui licitè aliquid acquirunt non ijs addicant animum rebus transituris.

Et qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. Tertull. ex Græco textu non abutantur; *præterit enim figura huius mundi*, forma & facies secundum quam deseruit viribus nostris mox cessabit succedente alio statu perpetuo semperque duraturo. Succedet tempori æternitas præ oculis mentis semper habenda,

da,

da, non peribit substantia sed forma, & dispositio præteribit. Metaphora à scenis comicis aut tragicis sumpta quæ subito cum personis mutantur. Græca vox παράγει significat etiam seducit, decipit bono sensu, quod sępe homines blanda mundi specie deludantur, sed contextui magis quadrat præterit, transuolat, fugit, elabitur. Quasi nubes pręterit, nec erunt post resurrectionem coniugia, etsi nongentis viueremus annis vt antiqui homines, tamen breue putandum quod haberet aliquando finem & esse cessaret. Reliqui versus 32. 33. 34. explicati sunt.

Porro ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat V. 35.
sine impedimento Dominum obsecrandi. Hortari se ad cælibatum non pręcipere, ne præcepti necessitate laqueus incontinentibus inijciatur, honestum, decorum, pulchrum, non tantum commodum bonum est cælibatus, quod supra dixerat, vt vacetis orationi, & 1. Pet. 3. non impediantur orationes vestrę. Sunt qui legunt Dominum obseruandi. Ter- 2. *Ad*
tull. Quęuis fidelis mulier Dominum obseruet, necesse est, *vxor.*3.
vel Domino obseruiendi quomodo legit Greg. p. 3. curæ Pastor. admonit. 28.

Si quis autem turpem se videri existimat, super virgine sua, V. 36.
quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat non peccat, si nubat, quia dixerat se hortari ad id quod honestum est ac decorum, non quis obijciat indecorum haberi quod virgo iam adulta non detur nuptui, ad id respondet de patre seu custode virginis loquens hoc & sequenti versu, non magnum bonum nuptiæ, vt à quibus Apostolus dumtaxat peccatum remouet.

Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, V. 37.
potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicauit in corde suo seruare virginem suũ bene facit. In voluntate patris aut curatoris intelligitur voluntas filię, sine qua nõ potest constare aut cælebs vita, aut matrimonium, sed patrem hic dumtaxat no-

minauit Apostolus, quia solent honestæ puellæ negotium sui matrimonij parentibus permittere. Sunt qui virginitatem interpretantur loco virginis sed minùs rectè, nusquam enim alibi virgo pro virginitate ponitur, sed quę requiruntur in parente aut tutore, id in ipsa virgine filia multo magis exigũtur vt firmo proposito nulla necessitate sed liberrimè virginitatem suam Deo studeat consecrare.

V.38. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit.* Quare abstinentiam à nuptijs vt rem meliorem absolutè consulit, vim habet consilij quod dicit, melius facit, si bonum intelligitur hîc commodum quod opponitur molesto, coniugium erit malum incommodum molestum, & qui connubium init, benefacit, sed melius qui abstinet. Sequitur noua doctrina de viduis, priori non absimilis.

V.39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.* Videtur inductum ex illo ad Rom. 7. *Quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino*, homini Christiano, dormire dicuntur homines exsuscitandi non alia animantia cũ mortem obeunt cõiugia cum infidelibus inhibita sunt.

V.40. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Habes omnino ô S. Apostole Dei spiritum, neque necesse est quæramus experimentum eius, qui in te loquitur CHRISTVS Dominus. Eius spiritu cuius es Apostolus virginitatem & continentiam suades, & vtinam persuadeas quam & ipse suasit omnibus, & amantissimis quibusque discipulis suis persuasit & inspirauit, sed quem Spiritum habent, qui te & CHRISTVM Dominum aiunt dissuasisse continentiam, an non mendacij vertiginis & erroris? an non malo spiritu agitantur, quo plurimos secum in tartarum trahant qui ex tuo CHRISTIQVE præcepto non dicam consilio nuptias incestas persuadere conantur; qui vt totam legem, ita & continentiam reipsa, inquiunt, obseruatu impossibilem,

lem, vt mirum non sit si ne coniugalem quidem castitatem quam profitentur, obseruent, veneris & libidinis non tantummodo fœdissima mancipia, sed mystę ac Magistri impudentissimi.

CAPVT XII.

Matrimonium non esse præstantissimum, nec vnicum remedium tuendæ pudicitiæ.



TAMETSI Caluinus alijque sectarij de virginitate & cęlibatu dissentanea ac secum pugnantia proferant pronuntiata; tamen omnium concors sententia est, matrimonium vnicum & præstantissimum tuendæ castitatis esse remedium, ad quod confugiendum est omnibus qui vrantur, hoc est, vt interpretantur ipsi, qui tentantur, qui subinde repugnantes concupiscentiæ motus experiuntur.

Non diffitentur orthodoxi matrimonium ad sedandam concupiscentiam valere non parum qua parte est sacramentũ, & adiunctam habet à CHRISTO Domino gratiæ promissionem, quâ gratia conciliatur mutuus amor coniugum, & maximè sedatur concupiscentia, atque intra Christianę cõtinentiæ limites coercetur. Verùm si detrahas sacramenti dignitatem, & hanc gratiæ efficientiam, si spectes matrimoniũ,

vt solum est naturæ officium, quę hæreticorum est sententia; qui comparant illud arti tonstrinæ, textrinæ, sutoriç, non videtur adeo præstans remedium, nam ipse vsus coniugij magis accendit quàm extinguit ardorem concupiscentiæ. Tale remedium est quale cibus & potus esurienti & sitienti oblatus, qui ad temporis aliquod interuallum sedat quidem famem & sitim, sed non efficit quin mox eadem fames & sitis asperior exoriatur, & ad gustata iam remedia confugiat. Sic libidinis ardor coniugij vsu ad breue spatium ita extinguitur vt mox vehementius inflammetur. Si quis fistula laboret aut carcinomate duplex est eius sanandi ratio; altera eaque perfecta, vt illo resecto caro planè redintegretur ac consolidetur; altera vt aliquod vlcus maneat, sed minor sit fœditas, eaque fascijs contegatur. Sic in Continentiæ statu, sanatur omnino morbus concupiscentiæ, in coniugatis non omnino resecatur sed honestatur sanctitate matrimonij. Memini me legere in vita Thomæ Mori cùm adolescens ad D. Francisci institutum valde propenderet, hac ratione quod difficilem crederet obseruatu castitatem, in sæculo retentum fuisse; at experimento comperisse multo faciliorem futuram rationem tuendç castitatis ante coniugium quàm post illud initum, & vulnereæ voluptatis experimentum. Experientia sanè quotidiana comprobat, idque etiam S. Chrysost. asseuerat plures è maritatis adulteros reperiri, quàm inter solutos aut cælibes fornicarios. Quanquam vt in candida veste mox apparent, nec dissimulari possunt maculæ, ac sic si quis è clero aut cælibum numero peccarit, latius mox emanat in vulgus, & ex vno omnes diiudicantur eorumdem flagitiorum rei. Constat fornicationis vitandæ præsidium præcipuum in fuga positum esse, si quis vti pestem, ita fugiat omnem eius occasionem, cum altero sexu consuetudinem & familiaritatem. At quis non aduertit ad eam fugam magis expeditos esse cælibes quàm coniugatos, qui coniugibus & ijs quę sunt in eorum obsequio & comitatu puellis vtuntur quotidie familiarissimè.

liarissimè. Abbas Theonas apud Cassianum sic de dissimilitudine legis & gratiæ ratiocinatur. In lege, inquit, vbi coniugalis fides seruatur, libido licet cohibita vni modo fœminæ mancipetur, carnalis tamen concupiscentiæ aculei nequeunt non viuere. Difficile ignis, cui pabula applicantur, præfixis ita terminis includitur, vt non extra se extendendo, quidquid attigerit comburat: suum enim licet obiectum sic semper occurrat, vt non sinatur extra ardere, incendit tamen etiam dum cohibetur, quia culpabilis est voluntas, & concubitus assuetudo ad adulteriorum excessus velocissimè rapitur. Quos autem gratia Saluatoris sancto integritatis igne succenderit diuino charitatis igni carnalium desideriorum spinas sic consumit, vt nec tepens vitiorum fauilla integritatis refrigerium diminuat. Legis igitur famuli, coniugij amatores, licitorum vsu actuque ad illicita labuntur. At participes seu Euangelij ministri dum licita vitant, illicita non committunt; adeo non capti rerum inconcessarum delectatione, vt etiam concessis non vtantur. Obseruat Basilius Gentium sapientes hanc omnem corporis voluptatem hydræ cōparasse, fero ac multiplici serpenti, qui in palude moraretur, cuius quod simpliciter caput abscinderetur tria pro vno soleret efferri; quod autem cauterio amburereretur penitus interiret. Siquis ad satietatem suauitate voluptatis perfruendo caput vnum velit abscindere, pro vno plurima germinare faciet; sin Continentię velut cauterio exsciderit, id prorsus interimet. Accommodat & illam Basilius ex Moyse diuinæ legis allegoria, quæ vitulum pro Sacerdotio immolari mandabat, fibram iecoris, non iecur totum, & adipem qui ventrem operiret, non ventrem ipsum, renum verò non solum adipem, verum ipsos quoque cum adipe renes incendi iubebat in holocaustum. Ita multorum capitum hydram exscindemus, & corpora nostra hostiam sanctam, Deo placentem, tamquam vitulum pro Sacerdotio offeremus, modo prauam concupiscentiam veluti fibram iecoris, modo superfluitatem

cibi quasi adipem, quo venter operitur, modo totam simul coitus concupiscentiã veluti renes vna cum adipe semen illis ministrante diuino continentiæ igne consumamus.

Fundamentum illud Lutheri non posse virum à fæmina, aut à viro fæminam magis quàm à cibo & potu abstinere vi.; adeo est falsum, vt non solum innumeri cælibes ex vtroque sexu, qui diuinâ opitulante gratiâ tamdiu vixerunt, hodieq; viuunt in summa corporis animique puritate, verùm & ipsæ pecudes apertè refellant, quę multos dies, menses, annos abstinent ab omni concubitu. Quin & ipse Caluinus sexdecim annos viduus irreprehensibilis Dei seruus ex testimonio Bezæ, plures annos in viduitate quàm in coniugio peregit. Nam eo duntaxat ad annos nouem fruitus est. Laudat quoque Beza Sturmium Argentinensem patricium, aut certè excusat, quod in perpetuo cælibatu vitam egerit. Illud tamen in Sturmio, inquit, fortasse quispiam meritò reprehenderit quod in perpetuo cęlibatu viuens, hæredem suarum virtutum patriæ videri potuit inuidisse; sed quid si veritus est vetus illud & quidem reipsa frequenter approbatum. Heroum filij noxę, si ignauæ posteritatis metus Sturmio laudi fuit, aut certè perpetui cęlibatus excusationem dedit, quanto magis laudi erit studium Deo sese voto nuncupato consecrandi, quod votum haud dubiè longè plus habet virium ex Dei gratiâ, quàm vsus coniugij quotidianus.

In iconibus.

Cęterùm quàm inexplebilis sit huius venereæ voluptatis cupiditas pręter experientiam quâ nulla certior testis, illud etiam indicat, quod vti interpretatur S. Hieron. Apostolus ad Ephes. 5. ad fornicationem & immunditiam iungit auaritiam non hanc qua cupimus pecuniam inquit Hieron. sed eam de qua supra diximus, quod scilicet insatiabilis & inexpletus per omnia turpitudinum genera lasciuiæque discurra: sicut decet Sanctos. Ex quo sanctus non potest appellari quicunque extra fornicationem in aliqua immunditiâ & auaritiâ voluptatum se delectauisse, inuenitur. Allegare hic possim turpissi-

turpissimam illam Messalinam, quæ lassata viris non satiata recessit; & alteram Sigismundi coniugem Bohemiæ Reginam quæ se passerum proteruiam quàm turturum castimoniam imitari malle dictitabat, & è scripturis sacris Salomonem cui Reginæ trecentæ, septingentæ concubinæ, mille coniuges ad exsaturandam libidinem non sufficiebant, nempe quod de auaritia pecuniæ id ipsum de luxuriæ & voluptatibus venereis dicere licet.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops Lib. 2.
Nec sitim pellit, nisi causa morbi Od. 2.
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Quare similes sunt hæretici medicis imperitis, qui volunt hydropem semper aquæ potu largiore percurare: dum nempe disrumpantur ęgroti venæ. Tullius aduersus eos qui moderatius philosophandum esse contendebant, nec tantam in eo studio operam ponendam: Difficilem, inquit, quamdam temperantiam postulant hi, eo quod semel iam missum coerceri reprimique non potest; vt propemodum iustioribus vtamur ijs, qui omnino auocent à philosophia, quam ijs qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. (1. De T.m.) At quanto difficilior sit ea temperantia in vsu coniugij, cum quis libidine superatus illi indulget, quanto facilius sit ab eo prorsus se abstrahere, quam mediocritatem tenere; quanto se.u.iùs, longiùs dissitum esse, quam huic incendio libidinis propinquare, atque in ipsomet æstu versari. Non igitur ex matrimonio, nisi quà parte Sacramentum est & gratiam confert, non certè qua parte continentiam violat & infringit, eius tuendę petenda sunt pręsidia. Verum ex alijs illa fontibus è quibus & gratia Dei in nos deriuatur elicienda sunt. Amor formæ etiam in coniugio, rationis obliuio est, & insaniæ proximus fœdum minimeque conueniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus (1. In Iouin.)


bus ad humillimas detrahit, querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, similiter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit, nam ea fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse nouissimè sibi odio est. Tota amoris insectatio apud Platonem exposita est, & omnia eius commoda Lysias explicat, quod non iudicio sed furore ducatur; & maximè vxorum pulchritudini grauissimus custos accubet. Refert præterea Seneca cognouisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat; potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir & vxor hauriebant; alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improuida vis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest quamq; honesta causa quis insaniat. Vnde & Xistus in sententijs, adulter est, inquit, in suam vxorem amator ardentior: In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius, sapiens vir iudicio debet amare coniugem non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps fertur in coitum. Nihil est fœdius quam vxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa reipublicæ & generis humani vxoribus iungi, & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquam vxorum venter intumuerit non perdant fi[illegible]s, nec amatores se vxoribus exhibeant sed maritos. Quorum[illegible]m matrimonia adulterijs cohęserunt & ô rem improbam ijdem illis pudicitiam præceperunt qui abstulerant. Itaque cito eiusmodi nuptias satietas soluit, cum primum lenocinium libidinis abscessit, quod libebat euiluit. Hæc paulo prolixiora ex Hieronymo ac Seneca inseruisse non pœnitebit, quę & consequentibus maximè erunt oportuna tractationibus.

CAPVT



CAPVT XIII.

De præcipuis adiumentis seruandæ Continentiæ.



TENTATIO omnis quę sit infesta continentiæ aut ex corpore progreditur ad animam, aut ex animo dimanat in corpus, aut oritur ex commotione & titillatione corporis cùm lautius ac delicatius habetur, humorumq́ue ac sanguinis imprimis abundat copia, ex qua crebri & vehementes exsuscitantur æstus ac motus concupiscentię permolesti; aut ex animę suggestionibus malignis ac fœdis imaginibus, quas ingerit malus dæmon in corpus redundat, animaq́ue primum ipsa turpibus agitata cogitationibus in carne pruriginem ac titillationem in appetitu gignit inferiore. Aut denique vtraque hæc animæ corporisq́ue commotio & tentatio nascitur ex rerum externarum quæ ad venerem inuitant atque excitant occursu, vt ex aspectu ac consuetudine familiari mulierum, ex lectione Poëtarum, aut librorum eiusmodi impurorum, ex otio & desidia, qua tentationi latè patens aditus aperitur.

Hinc tria communiter assignantur remedia aduersus eas tentationes, tria singularia tuendæ castimonię præsidia. Ieiunium, oratio, otij & occasionum omnium fuga. Quæ

tria præsidia. cùm sectarij longissimè reijciant, quis miretur, si continentiæ donum negant se habere posse, si se totos impudicitiæ dedant, neque ipsam quidem maritalem obseruent castitatem. Ieiunium in primis valet ad edomandam & coercendam carnem ne lasciuiat ac proteruiat. Subtrahitur igni tartareo quam in nobis praua succendit concupiscentia materies, exhausto & debilitato corpusculo, & vt de cibo magis cogitet quam de libidine, de explenda potius fame atque esurie, quàm de voluptate. Oratio planè repugnat prauis suggestionibus mali dæmonis; mens Deo coniuncta, & sanctis occupata meditationibus, ignea tela aduersarij aut non sentit, aut facilè refellit, nihil est quod hostem illum etsi potentem & fortem timeat, addicta Deo

Iob. 17. 3. suo potentiori, vt aiebat Iob: *Pone me iuxta te & cuiusuis manus pugnet contra me.*

De occasionum fugâ nihil crebrius SS. Patres in Concilijs ac suis scriptis commendant quam ne cum altero sexu versemur, ne mulieribus cohabitemus, aut cum ijs consuetudine vlla domesticâ iungantur homines continentiam professi. Vulgatum illud Hieron. Ama scientiam scripturarum & vitia carnis non amabis, & illud, semper aliquid operis facito, vt semper te diabolus inueniat occupatum. Nota est & illa Adolescentis historia exagitati à suis iussu Abbatis Papæ: viuere non licet, & fornicari libeat?

Præter ieiunij & orationis subsidia, quæ tollunt hæretici, dum leges omnes Ecclesiasticas de ieiunijs abrogant, horasq; Canonicas ac prolixas preces ex Ecclesiæ consuetudine damnant. Reperio & alia quædam tria castitatis præcipua munimenta ab eisdem sublata, vt toti luxuriæ præda fiant, eiusq; imperium ac regnum stabiliant ac propagent. Deiparæ in primis cultum ac venerationem, quæ tamen est singularis præses, custos, nutrix, adiutrix & protectrix continentiæ, quæ suis cultoribus eam maximè virtutem, cuius est amantissima, solet inspirare ac conciliare. Deinde Sacrosanctæ Eucharistiæ crebrio-

crebriorem vsum quo nullum est præsentius aduersus prauam concupiscentiã, antidotũ hac enim diuina carne percuratur ægra nostra languida, morbida caro. Per eam fit vt in minimis quotidie sensus imminuatur, & in maximis tollatur omnino consensus. Quò pertinet etiam sacrificium Missę longè potentissimum castitatis & omnis innocentiæ munimentum. Denique & aliud hæretici præsidium tollunt quod in ea quã sacræ nobis exsuscitant imagines Sacræ CHRISTI Domini passionis, mysteriorum, cruciatuum, & vulnerum recordatione sita est, quę & ipsa plurimum potest ad arcendas repellendasque faces hostis infernalis. Ad ea tria præsidia reuocari quoque potest cultus Sanctorum Angelorum nostrorum, & diuorum tutelarium, quorum multi sæpe præsentem opem in hoc discrimine sunt experti. Multos ab omni fęda voluptate inhibuit sola hæc Angeli præsentis & coram intuentis recordatio. Deinde nouissimorum quoque memoria plurimum potuit apud nonnullos, mortis, Iudicij & ignis tũ tartarei, tum purgatorij quo minimæ etiam labes in eo genere impuritatis erunt expiandæ. Denique confessionis faciendæ sacerdoti pudor & turpitudinis istius exponendæ verecundia, pœnitentięq; exoluendæ metus nonnullos à relapsu continuit, quibus omnibus adiumentis cùm Lutherani & Caluiniani seipsos destituant, nihil mirandum si nequidem in coniugio castitatem tueri queant.

Non omittendum tuendę continentiæ præsidium non vulgare à S. Augustino censeri obedientiam superioribus debitam, quam Aduersarij prorsus euertunt, qui nullis Ecclesiasticis aut ciuilibus legibus in conscientia velint obstringi, quo conscientiæ libertatem Euangelicam in eo constituant, vt nemini subijciantur, nullius imperium ferant, ex quo iustissimè à Deo pœna talionis afficiuntur, vt rebellionem quoque carnis experiantur, & tumultuantem carnem aduersus animam non facilè sedare queant. Tu te Deo subde, & tibi caro subdetur, alioquin si Deo & superioribus Dei vicarijs reluctaris,

& tibi quoque caro, & inferior appetitus superiori reluctabitur.

In c. 9. Osiæ. Rectè scriptum est ab Hieron. difficile esse hæreticum inuenire qui diligat castitatem.


Lutherus ipse in explicat. præcepti 6. rationem reddit, hoc castitatis opus vt victoriam obtineat, agit nos ad multa opera bona ad ieiunia, & temperantiam cōtra gulam & ebrietatem, ad vigilias & matutinam surrectionem contra pigritiam, & immoderatum somnum, ad laborem & fatigationem contra otium. Nam comedere, potare, multum dormire, desidere, & otiari sunt arma impudicitię, quibus castitas statim superatur. Rursus D. Apostolus ieiunium, vigilias, labores diuinam vocat armaturam qua impudicitia in ordinem redigitur & domatur. Hanc nempe armaturam Lutherus nunquã induit, sed longissimè à se remouit, assuetus ad expletionem ventris comedere, potare, dormire & otiari; atque vt suis exemplo quoque, præiret impudicitiæ, excucullatus Monachus cum monacha Catharina Borrea sacrilegas inijt nuptias, Iouiniano longè deterior ac pestilentior.

Vt finiamus de continentiæ præsidijs; Quemadmodum duplex est ratio qua caro possit incorrupta seruari, si multo sale perfricetur ac desiccetur, aut si saccaro condiatur & concoquatur; ita videtur continentia, aut per ieiunium summamq; vitę austeritatem conseruanda; aut per orationem, rerumque cælestium ac diuinarum meditationem. Verum vt nihil magis carnem à putrefactione conseruat, quam quæ vitam illi tribuit anima; dum viuit caro non atteritur quidem aut si quid deperdit mox instaurat; ita continentiam nihil magis tuetur quam Dei gratia & charitas, exercita consuetudo cum Deo; Deus ipse mentem castam inhabitans Quoniam tu es patientia mea, continentia mea, misericordia mea Deus meus.

CAPVT

CAPVT XIV.

Tertius error Epicuræorum ex Lutheri & Caluini Scholâ aduersus cælibatum status Ecclesiastici & Religiosi.



X priore duplici errore virginitatem non esse præferendam coniugio, &c, viros omnes ac feminas Dei Præcepto, imò ipsa naturę necessitate ad ineundas nuptias astringi, sequitur haud obscure tertius error aduersus cælibatum sacrorum hominum, & vniuersum statum religiosum. Sacerdotes, omnes Monachos & sancti-moniales posse, adeoque debere castitatis votum infringere, & matrimonium inire; eo quod votum istud inconsideratè, & imprudenter editum, non sit de re meliori, sed de impossibili. Hinc Caluinus Sacerdotum cęlibatum vocat fœtidum, & quod ijs coniugium sit interdictum, id factum impiâ tyrannide, non modo contrà Verbum Dei, sed etiam contra omnem æquitatem. De votis disserens, in quo genere, inquit, primatum vesanæ audaciæ tenet cælibatus; sacrifici enim Monachi, & Moniales suæ infirmitatis obliti, cælibatui se pares esse confidunt, quo autem oraculo edocti sunt constituram sibi totâ vitâ castitatem, in

Lib. 4. Inst. 12. §. 14.

in cuius finem eam vouent? Audiant de vniuersali hominum conditione Dei vocem, non est bonum hominem esse solum, illam generalem vocationem qua fiducia excutere audent in omnem vitam? Item hoc verò Deum tentare est, contra inditam ab eo naturam niti. Ita præclarus naturę defensor, sed corruptæ ac vitiatę; at gratiæ Dei immemor, verbis luxuriās, vt solet, nullis testibus, nullis rationum momentis vota religiosa & cęlibatum exagitat. Lutherus tria tantum hominum genera eximit ab obligatione matrimonij primum Eunuchorum natorum, secundum manufactorum, tertium qui se propter Euangelium regni castrauerunt. Id est, vt ipse exponit, ita per Dei gratiam infrænati sunt tamque efficax diuini Verbi regnum in se comperiunt, vt illi præcepto nullus in eis relictus sit locus, quos ait esse admodum raros, esse præcipua Dei miracula, hancque prouinciam neminem habere debere, nisi cum Deus aduocet, vt Ieremiam: præter hæc tria genera nemo hominum sine muliere socia ætatem agere in animum inducat; & qui sese in hoc generum vno non repererit, is matrimonium omnino maturare cogitet, nam huic nihil aliud relinquitur; neque enim possibile est vt castus permaneat. Et mox: Neque hic obstare quidpiam debet, etiamsi decem iuramenta, vota, pacta, & nihil nisi ferreas adamantinasque obligationes commiseris; nam quæ vouere non potes, vt vel marem, vel fœminam agere velis, tam vouere non potes vt generationi & multiplicationi aduertere animum nolis. Quod si idem voueris, æquè stultitia est nulliusque pretij; Nam crescere & multiplicari Dei creatura est, non tuis subditum viribus: Quæ, aliaque ibidem congesta tam sunt absona; tam rationi atque honestati aduersa, vt nullâ egeant confutatione; sanè ex huius tertij erroris absurditate, prioris vtriusque falsitas apertè conuincitur. Quasi vnicus dumtaxat foret in Ecclesiâ status coniugalis, & extra eum expectanda diuina reuelatio, instigatio, expressa vocatio velut Ieremiæ; nec plus haberet virium

Serm. de matrimon.

rium gratia diuina, quam natura corrupta. Si matrimonium non est præceptum Eunuchis, qui vel à naturâ vel ab hominibus effecti sunt; Cur sit preceptum spiritualibus, qui se cum ope diuinæ gratiæ propter regnum cælorum castrauerunt? Cur cum hac gratiâ Dei impares cælibatui se sentiant, qui ad Ecclesiastica munia, aut statum religiosum à Deo vocantur,

De triplici genere Eunuchorum pluribus differit Basilius; genus exsectorum ferè nequissimum esse demonstrat, à virtute castitatis alienum, qui licet corpore steriles & impotentes, animo tamen impudici, effrenes, ardentes facibus concupiscentiæ succensi mulierum amore insaniunt; Quare non esse remedium incontinentiæ membrorum abscissionē. Tales Eunuchi fuere non pauci sub Constantio Episcopi Ariani, quos iure insectatur Athanasius, qui quò licentius cum mulierculis versarentur, Eunuchismum profitebātur; quasi verò laus castitatis & continentiæ non ab animo, sed à corpore prouenirer, quasi natura & non magis diuinâ gratia cælestis ea virtus pararetur. Quare perperam de Eunuchis ratiocinatur Lutherus. Illa generalis vocatio *crescite & multiplicamini*, quamquam vocatio non est, sed benedictio & fausta imprecatio quæ cæteris quoque animantibus impertita est ad totam speciem nominatim, non ad quodcumque speciatim indiuiduum pertinet ad replendam terram pertinet cum initio foret inanis & vacua. At modo Cælum magis replendum est. Iam mundus homines non capit; ipsi sibi officiunt suâ multitudine; ac de necessarijs ad vitam sępè decertant. De beatâ potius æternitate promerendâ cogitandum est, quam de breuissima huius vitæ vsura tuenda aut in posteros propagandâ. Hilarius triplices Eunuchos natura, necessitate voluntate distinctos à Domino notat, & tertios demum laude ac commendatione dignos. Quorsum vero CHRISTVS Dominus ad tertium genus Eunuchorum addidisset, qui potest capere capiat, nisi

Lib. de Virgin. Ep 87. ad Sim.

omnes

omnes cùm diuinæ gratię præsidijs capere possent. Cogita, inquit, Chrysost. Si à naturâ Eunuchus esse, aut iniuriâ hominum effectus, quid faceres, cum & eiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur age Deo, quia magna pręmia, rutilantesque coronas habes, si ita viuis quemadmodum sine aliquo illi prę-mio. Imo vero multò facilius, tutius, atque iucundius, tum quia spe retributionis corroboraris tum quia conscientia virtutis gaudes, & ad hæc non ita ingentis cupiditatis fluctibus iactaris; non enim sic amputatio membri quemadmodum rationis frænum huiusmodi fluctus comprimit. Non modo rationis frænum diuinitus illustratæ, sed ipsum voti Deo nuncupati frænum arctissimum motus eos omnes per se comprimit, & amputat; Hi enim intelligendi sunt se castrasse, qui sibi necessitatem abstinendi ab omni Venere priuatâ lege continentiæ indixerunt. Qui se solo proposito se continent, illi sese castrant quotidie; at qui voto concepto semel præsciderunt eam omnẽ facultatem ineundi coniugij, sese castrauerunt, qui potest capere capiat nemo autem non potest adiutus Dei gratiâ, quam sufficientem quidem habemus, sed vt congruam, efficacem habeamus, orandum est vt non tantum possimus, sed reipsa capiamus. Non capiunt qui capere nolunt vel expresse, vel interpretatiuè dum tuendæ castitatis adiumenta negligunt, fouent animo prauas cogitationes, molliter & delicatè carnem enutriunt, vino se implent, in quo est luxuria, fęminarum aspectu & colloquijs delectantur, non dant se pijs meditationibus, non efflagitant à Deo continentię donum, non aperiunt os cordis ad hoc cæleste nectar accipiendum, vt monet Regius Propheta: Dilata os tuum & implebò illud. Capiunt quibus datum est post concupiscentias suas non ire, ijs acriter & constanter obluctari, qui otium fugiunt, ac cætera incitamenta luxurię; qui sese studio perfectionis, orationis ac mortificationis perseueranter addicunt, initum cum Deo pactum suum ac

Hom. 63 in Matth.

Matth. 19. 12.

Ps. 8. 11.

votum

votum crebrius innouant. Iam verò si coniux vterque, vel alter vt à morbo sit affectus vt actui coniugali seruire nequeat, in reliquam omnem vitam erit illi seruanda continentia, & abstinendum ab vsu coniugij testibus ipsis Caluino, & Luthero, qui sese ipsi planè refellunt. Nam si vir sanus vxori leprosę, paralyticæ, aut alio morbo incurabili, cui debitum coniugale reddi non patiatur, coniugatus vitam omnem traducere potest, ac debet in statu continentiæ, cur non possit is, qui nulli fęminæ alligatus Deo sese voto edito mancipparit? Qui & Diuinę gratiæ subsidia crebrius implorauit, & vberius maiore copia receperit? An plus illi subsidij ex incurabili vxoris morbo, quam suo ex cælibatus proposito votoque recipiat? Si ratione fidei data vxori, non licet illi ad alias transuolare nuptias, cur hic vinculo voti & fidei Deo data non teneatur. Cur potius votum infringere, & fidem Deo quam homini datam fallere permittatur? Caluinus in harmon. elephantiasim inquit, volunt iustam repudij causam esse, *Matt.* *16.* quia morbi contagio non modo ad maritum, sed etiam ad liberos pertinet; Ego autem sicut viro pie consulo, vt elephanticam vxorem non attingat, ita eius repudiandæ licentiam non permitto, si quis objiciat opus habere remedio, qui cælibes viuere nequeunt, ne vrantur, dico remedium non esse, quod extra Dei verbum quæritur. Addo etiam nunquam illis defore continentiæ donum, si Domino se regendos tradunt, qui sequuntur quod illi pręscripsit. Non potuit Caluinus magis orthodoxè loqui. Sed cur deest hoc continentiæ donum vt excullulatis monachis, tot sacerdotibus abnegatis, tot monialibus apostatricibus quibus omnibus in sua castra receptis Lutherus & Caluinus non modo permittant, sed imperant incestas, sacrilegasque nuptias? An deteriore conditione sunt, quia

 Deo

Deo ſeſe deuouerunt. An id præmium aſſequuntur violatæ Dei fidei, profeſſionis infractæ ac deſerti cælibatus? Sed pergit Caluinus. Alterius vxor in paralyſim aut apoplexiam incidet, vel alio incurabili morbo laborabit, an maritus incontinentiæ prætextu illam reijciet? atqui ſcimus Spiritus auxilio nunquam deſtitui, qui in vijs ſuis ambulant. In eandem ſententiam Lutherus, quid verò ſi alter coniugum morbo deprauatus ſit adeo, vt eius ad rem nullus vſus eſſe poſſit, num aliam ſibi is matrimonij lege copulare poterit? Nullo pacto, niſi ſalutis tuæ nullam rationem habere velis. Cæterùm hic Deo in ęgro inſeruias, eiuſque curam gerens cogita, Deum per hæc ędibus tuis ſancta miſiſſe, quibus cęlum tibi comparandum ſit. Perbeatus es & iterum perbeatus, ſi tale donum, ei tantam gratiam agnoſcens ægro Dei homini libenter obſequaris. Immemor planè ſui Lutherus ægrum ſe, opinor, cogitans, Catharinam ſuam in morbo ſibi famulantem repræſentans. Plenius hic idem error confutabitur ex ijs quæ de ſacrorum hominum & religioſorum continentia proferentur ex Sanctorum Patrum authoritate, è quibus duos modo allegaſſe ſat erit. Chryſoſtom. epiſt. 6. ad Theodorum monachum, bonum quidem nuptias, & ipſe confiteor, honorabiles enim nuptiæ, &c. ſed te iam ſeruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim ſocietate ſemel iunctum illud relinquere, & vxoris laqueis implicari adulterij crimen eſt incurrere. Quamuis frequenter hoc ipſum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior & melior mortalibus Angelus. Imo quanto omni creaturâ Deus in infinitum eminentior, cui caſtitatis voto ſunt obſtricti homines ſacri & Religioſi. Auguſt. quamuis inſinuet non irritandas iſtiuſmodi nuptias ſacrilegas quod nondum inducta

De bono viduitatis 11.

inducta esset in Ecclesiam distinctio. Voti simplicis ac solemnis, & impedimentorum matrimonij dirimentium, aut dumtaxat impedientium, tamen apertè ait: Planè non dubitauerim lapsus & ruinas à castitate sanctiore quę vouetur Deo adulterijs esse peiores. Sanè nec Chrysost. ad Theod. nec Hieronymus ad Sabinian. nec Ambros. ad Virginem lapsam vel in accusando stupro, vel cohortatione ad pœnitentiam, tam acres, ac vehementes exstitissent si aliquo coniugij velamine sua hæc flagitia tegere ac cohonestare potuissent.



CAPVT XV.

De duplici genere vitæ Christianorum duplicique ratione seruandæ Continentiæ, tum in sæculo, tum in Monasterio.



EXTAT peruulgatus insignis locus Eusebij Cæsariensis, ad omne genus continentiæ, iam à temporibus Apostolorum vsurpatæ pertinens CHRISTI discipuli perfecta noui testamenti documenta ad magistri nutum, multorum auribus accomodantes, alia capacibus, &c. Vltra habitum progressis ab eodem perfecto Magistro præcepta tradiderunt; *1. demonstr. Eua. c. 9*

alia ad multorum, qui affectibus adhuc obnoxij sunt, & curatione indigent, se dimittentes partim litteris, partim sine litteris quasi iure quodam non scripto commendarunt. Hinc duobus in Ecclesia Dei viuendi modis institutis, alter communem naturam consuetamque hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non opum facultatem requirens, totus diuino cultui ex immenso rerum cælestium amore addictus est, hunc qui modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita seiuncti, corpusque tantum in terra gerentes, animo in cælo degentes, quasi quidam cælites pro vniuerso genere Deo Maximo sacrati, non sacrificijs brutorum cruentis, sed rectis veræ pietatis sententijs purgati, animi affectione, operibus ac verbis à virtute profectis diuinitatem placantes, suum pro seipsis & alijs sacerdotium administrant. Et talis quidem existit in Christianismo perfectus vitæ modus; alter vero remissior humanior magisque ciuilis, modesto coniugio, & sobolis procreatione ac procuratione implicatur, &c. Capite sequenti. Post triplicem causam cur non vt prisci nos quoque nuptijs ac numerosæ proli operam demus, Doctoribus, inquit, ac Diuini verbi prędicatoribus, vt omnibus vitę curis ac vinculis liberati, ac melioribus curis vacantes sufficere possint, seiunctus à re vxoria virtus adamatur; quasi diuina, & incorporea sobole propaganda detentus, non vnius nec duorum liberorum, sed aceruatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctam disciplinam, ac reliquæ vitæ instituendæ sollicitudinem susceperint.

Ex quo prolixiore Eusebij testimonio conficitur non vnum modo in Ecclesia statum coniugalem in honore habitum, sed longè maiore in æstimatione ac pręstantia fuisse continentium à nuptijs superiorem gradum, atque ordinem, omni terrenarum rerum cura semotum. Quo pertinet & illud Ambrosij testimonium aduersus Iouinianistas Epicureos. Agrestis vlulatus est nullam virginitatis gratiam, nullum

lum

lium castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere diuersorum gradus abrogare meritorum, paupertatem quandam cælestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma quam tribuat, & non plurimi abundent tituli præmiorum, simulant se isti condonare coniugio, cuius quæ potest esse laus si nulla est virginitatis gloria. Qui volunt vnum dumtaxat in Ecclesia laude dignum viuendi modum in coniugio stabilire, atque omnes altaris etiam sacri ministros matrimonijs implicare, non longe abesse censentur à Nicolaitarum hæresi, quæ eacumque fuerit siue ad abdicatam coniugem postlimio redierit, concupiscentia superatus, siue vt suum impudentius errorem ac lapsum tueretur, eandem omnium impudicitiæ passim exposuerit vitam, certè sine veneris vsu traduci posse negauerit. Hoc in errore versantur Epicurei non Cereri tantum & Baccho, verum ac veneri deuoti ad Iouiniani & Vigilantij castra pertinent; sub eorumque vexillis continentiam, hæresim, pudicitiam libidinis seminarium prædicant. Iure in Vigilantium stomachatur Hieron. proh nefas Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt (habet Euangelicos verbi ministros, Ecclesiæ, si Deo placet, reformatores, superintendentes) qui non ordinant diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sanctè viuant. qui male de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes viderint vxores clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christo sacramenta non tribuunt. Hoc docuit Dormitantius, Lutherus, atque Caluinus libidini fræna permittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerumque feruescit suis hortatibus duplicans, imo coitu extinguens, vt nihil sit quo à brutis, porcis, & equis differamus, quibus non est intellectus, quorum instar in fœminas hinniamus & insaniamus: adde quod deterius, sacrilegij notam inurentes continentiæ, & de cælibatu hominum Religiosorum interpretantes illud, Ps. 31. 9. Herm. 5. 85.

Calu. l 4 c 13. §17. inuocauerunt filios suos & filias dęmonijs, aduersus hos discipulos Dormitantij si in terris adhuc ageret Hieron. non vna breui lucubratiuncula responderet sed tota nocte vigilaret, ad eos pro meritis exagitandos, Dormitantij, inquam, socios, imo discipulos vel magistros, qui nisi tumentes vteros viderint fæminarum, earum maritos CHRISTI ministerio arbitrantur indignos. Quorum in domibus, vt loquitur Tertullianus, videas vbera fluitantia, & vteros nauseantes, & infantes pipientes. Qui omnem gloriam habeant in vtero, in partu, in conceptu. Si multos genuerunt filios inquit Hiero. (In Osee c. 9.) difficile est Hæreticum reperire qui diligat castitatem. Hactenus sane nemo repertus est Euangelicus minister noui huius Euangelij, qui continentiæ studio sese addixerit, qui sit eam professus atque à matrimonio sibi temperarit; longe abest, vt plures societatem inter se coierint, exclusis mulieribus ad sacrarum litterarum studia diligentius excolenda, ad Dei verbum maiore cura tractandum, ac prędicandum, aut vero etiam vt in solitudines quoque se ab hominum conspectu subduxerint; quo plenius, ac securius castimoniæ, atque omni pietati, religionique se impenderent, vxorij toti, ac mulicrcularum amoribus implicati, adulteri magis quam mariti. Gloriatur Origenes aduersus (c. 7.) Celsum, CHRISTI fideles sui sæculi idiotas adeo abesse ab omni lasciuia, vt in morem perfectorum sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi in totum castè pureque viuant, alieni à congressu mulierum etiam legitimo. Cum vnus apud Athenienses Hierophantes seu Pontifex, non satis sibi fidens, quod imperare posset masculis cupiditatibus, virilibus cicuta oblitis, putetur idoneus ad caste obeundas eius ciuitatis solemnes cæremonias. At apud Christianos non desunt viri quibus cicutæ medela ad hoc nihil opus est, vt Deo caste seruiant, sed eis Dei verbum sufficit ad pellendas ex animo omnes concupiscentiæ cogitationes & vacandum precationibus. Longe absunt ab hac Origenis laude

sectarij

sectarij, apud quos nemo neque priuatim neque publicè ac communiter continentiæ studet; nulla sunt apud eos collegia, nulla monasteria nec virorum, nec mulierum, in quibus disciplina ac professio exerceatur pudicitiæ. Nemo vero negauerit eam virtutem continentiæ in communi societate tutius, faciliusque seruari, cum plures in eandem conspirant & mutuam sibimet opem conferunt, quàm seorsim à singulis priuata contentione. Præclarè D. Leo, *Ecclesiasticus miles etiamsi specialibus præijs possit fortiter facere; tutius tamen & felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, vbi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub inuicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus bellum vniuersale conficiat, minore enim discrimine multi confligunt cum hoste, quam singuli; nec facile patet vulneri locus quam opposito scuto fidei non sua tantum sed etiam aliorum fortitudo defendit, vt vbi est vna omnium causa, sit vna victoria.* *Serm. 4. de Ieiunio 7. mensis.* Quin vero sectarij ex odio Religionis & continentiæ, passim omnibus in prouincijs, quas earum furor peruasit, in Germania, Gallia, Belgio, & Anglia miserandum in modum monasteria omnia expilarunt, incenderunt, euerterunt, ipsis etiam templorum & domiciliorum parietibus solo æquatis, ipsis quandoque conuulsis fundamentis, vt ne minimum quidem eius virtutis ac pietatis vestigium superesset. Huius quoque cladis auctor, tum Lutherus, qui primus ordinis sui monasterium occupauit quo 50. amplius religiosi continebantur, & in priuatas ædes, cum sua pellice sanctimoniali commutauit. O tecta misera quam dispare Domino tenebantur, non fuit difficile principibus suæ sectæ persuadere vt horum monasteriorum fundatissimas facultates sibi vendicarent & generatim Ecclesiasticorum bona fisco suo adiudicarent. Verum de monasterijs, & sacrarum Virginum asceterijs plenius suo loco & ordine. Nunc Ecclesiasticorum, qui in

sæculo

sæculo degunt, hominum sacris ordinibus initiatorum cælibatum demonstrare aggrediemur. Antea tamen Lutherum Caluinumque, in Iouiniano, ac Vigilantio alijsque eiusdem hęreseos defensoribus compellet Hieron. Quid nobismet ipsis illudimus & irascimur? Si subantibus nobis ad coitum, pręmia pudicitiæ denegantur? volumus opipare comedere, vxorum adhærere complexibus, & in numero virginum ac viduarum regnare cum Christo? Idem ergo habebit fames præmium, & ingluuies? sordes & munditiæ? saccus & sericum? Lazarus recepit mala in vita sua, & diues ille purpuratus & nitidus fruitus est carnis bonis, dum adviueret, sed diuersa post mortem tenent loca, miserię delitijs & delitiæ miserijs commutantur, in nostro arbitrio est vel Lazarum sequi vel diuitem CHRISTVM vel Epicurum. Infirmiori sexui venia facilius indulgeatur, cui minus est iudicij, consilijque ad deliberandum, minusque virium & constantiæ ad obsistendum voluptatis illecebris; at viris iam ætate, iudicio, prudentia maturis doctrina insuper sacra, & vitæ sanctioris imbutis disciplina quæ venia dari potest? Si diuinis continentię rerumque cælestium delitijs ad fœtida carnis prostibula deuoluantur & velut immundæ sues in luto cænoque volutentur qui non imbecillitate, sed peruersitate delinquunt, veritatemque perspectam mendacijs atque erroribus obuoluere atque obscurare moliuntur, aduersus quos quantum ingenij nostri tenuitas tulerit, susceptum cum ope Diuina pro continentia certamen exequamur.

CAPVT

CAPVT XVI.

De continentia sacrorum hominum iam à primis Apostolorum temporibus.



CALVINVS, quâ est impudentiâ; non veretur asseuerare matrimonium sub Apostolis, & aliquot pòst seculis in ordine Episcoporum permissum, & approbatum fuisse; hac libertate vsos esse ipsos Apostolos, & alios primariæ auctoritatis Pastores, qui in eorum locum successerunt. Pari audacia de ieiuniorum obseruatione longè post Apostolorum tempora natas leges, vt vocat, impias & tyrannicas pronuntiarat, sed nullo teste prolato, nullo priorum seculorum vel tenui monumento, ac vestigio antiquitatis indicato. Quare ab Orthodoxis scriptoribus, qui per singulas ætates, ac secula sanctorum Patrum ac Conciliorum testimonia collegerunt apertissimæ calumniæ ac mendacij impudentissimi conuincitur. Audet Caluinus vnius Chrysostomi, qui virginitatis præcipuus fuit admirator, adde & cultor integerrimus, eloquium in matrimonij commendationem adferre: primus gradus castitatis est syncera virginitas: secundus fidele coniugium; ergo species secunda virginitatis est matrimonij casta dilectio: sed nunquam Chrysostomus fide- Lib. 4. c. 12. §. 26. 27.

le coniugium censuerit incestas & sacrilegas hominum sacrorum nuptias, quas adulterio peiores esse pronuntiat, integris libris hęc hæreticorum incontinentia refellitur à Crysost. De sacerdotio, de Virginitate aduersus reprehensores vitę monasticæ, quod regulares mulieres viris cohabitare non debeant, de ijs qui sorores adoptiuas domi habent, quæ & subintroductæ dicebantur. Qua confidentiâ igitur asseuerat Caluinus omnibus vetustis Patribus in Episcoporum ordine coniugium approbatum? non certè Chrysostomo: qui de se exul exuli S. Ciriaco, dicunt quod cum muliere dormierim, exuite me & inuenietis membrorum meorum mortificationem. Non Hieronymo quem excipit ipse Caluinus. Quantum ad Patres attinet, quorum scripta exstant, neque ipsi cum ex suo iudicio loquebantur, excepto Hieronym. obtrectarunt. (quasi Patres non ex suo semper, sed alieno quandoque iudicio loquerentur, aut Hieron. in aliquo aduersaretur coniugio) Non Siricio, non Innocentio, non alijs SS. Pontificibus, quos Caluinus accusat, quod hos sacrorum hominum concubitus carnis sordes & immunditiam appellent. Non igitur omnibus Patribus ipsomet teste Caluino, & se mendacij coarguente probatum est in sacris hominibus coniugium. De Apostolis Tertullian. Petrum solum inuenio maritum per Socrum, Monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Cæteros autem cum maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Eadem habet Hieron. de cæteris intelligere debemus sine vxoribus fuisse, de quibus nihil tale scriptura significat, cumque Petrus omnium nomine profiteatur CHRISTO se eius sequendi causâ omnia reliquisse, inter omnia vxores comprehendi, quas Dominus responso suo expressit. De Paulo Apostolo & Sancto Ioanne Euangelistâ dictum est. Sanctus Lucas annos vixit octoginta quatuor vxorem non habens. Sanctus Marcus Alexandriæ Religiosorum instar fidelium cælum instituit,

Epist. 2.

tuit,

tuit, vt post dicetur. Quotquot extant SS. Patrum, qui Apostolis successerunt, vel scriptorum vitæ atque historię monumenta eos in cælibatu absque vsu coniugij vixisse demonstrant. Hæretici ne vnum quidem proferre possunt, qui in coniugio vitam egerit. Magdeburgenses in suis centurijs diligentissimè conquisierunt omnibus sæculis, si qui post ordines vxorem duxissent, aut eâ essent vsi, & neminem omnino repererunt. Quæ paucula congerunt exempla, sunt eorum qui ante ordines coniugati, mutuo deinde consensu ab vsu thori coniugalis se abstraxerant; vt Gregorius Parens Nazianzeni, Fœlix Proauus Sancti Gregorij; aut qui in minoribus ordinibus ministrabant, aut qui reprehenduntur ac condemnantur: aut aperta sunt mendacia, vt cum dicunt Presbyteros Macedoniæ duxisse vxores, teste Innocentio I. apud quem nihil reperitur. Vt impudens Caluini mendacium apertius elucescat adijciamus compendio pauca SS. PP. testimonia. Origen. certum est quod impeditur sacrificium indefinens ijs qui coniugalibus necessitatibus inseruiunt. Vnde videtur mihi quod illius solum est offerre sacrificium qui indefinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. Euseb. verumtamen eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps à commercio vxoris decet. Epiphan. In fine operis contra hæreses. Sanctum Sacerdotium ex Virginibus, & plurimum ex solitarijs. aut si hi ad ministerium non suffecerint, de his qui se à proprijs vxoribus abstinent, & si quis ab initio continens fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, hypodiaconi. Idem hęres. 59. quæ est Catarorum. Basilius in caput tertium Isaiæ quisquis igitur præsidentia cathedræ dignus censetur, iamq; adscriptus est ordini presbyteratus, qui talis est presbyter, aut circũfert characterẽ presbyterij par eũ vel maximè esse vitæ irreprehensibilis, & expertem vxoris.

Epist. 24.

Hom. 22 in Num.

De demonst. Euang. 24.

De Virginitat.

Nyssenus: quomodo Deo offers ad hoc licet vnctus? Ex Latinis Cyprian. aut quisquis est author libri de singularitate

Hom. 2. de patientiâ 406.

te Clericorum ait: à Domino sibi reuelatum non debere Clericos habere domi mulierem, quod toto libro prolixè probat; si quis habeat matrem vel filiam, vel coniugem, intelligit de eâ quæ continentiam vouerit. Ambros. Inoffensum exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore in incorrupto pudore alieni etiam ab ipso coniugali consortio sacri ministerij gratiam accepistis. Idem de Episcopo notat habentem filios, non facientem. Hieronymus: quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desinunt. Item Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici. Sed & ipsa Episcopalis electio mecum facit. Non enim dicitur, eligatur Episcopus qui vnam ducat vxorem & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint Virgines, quod Mariti; aut si Sacerdotibus non licet vxores tangere; in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Augustinus porrò, maritis, inquit, ad adulterium vsque incontinentibus, & virilem excellentiam non putantibus nisi peccandi licentiam; solemus eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam rapiuntur inuiti, eamque susceptum vsque ad debitum finem Domino adiuuante perducunt. Quod si vos ad eundem subeundum populorum violentiâ raperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium? Ipse item ante conuersionem sua confitens errata Ambrosium Episcopum fœlicem quendam hominem secūdū sæculum opinabar, quem tantę sic honorarent potestates; cæli-

1. In Iouin.

L. 2. de adult. coniug. c. 20.

9. Confess. c 3

cælibatus tantum eius mihi laboriosus videbatur: verùm vbi cælitus illustratus ad Deum planè se conuertit, non fuit illi visus laboriosus cęlibatus. Iubes certè Deus vt contineam à concupiscentia carnis, iussisti à concubitu & de coniugio melius aliquid quam concessisti, monuisti, & quoniam dedisti factum est, etiam antequam dispensator Sacramenti tui fierem. Cuius integritatis tuendæ studio, fœminarum adeò fugitans fuit, vt nec cum sorore quidem viduâ, nec cum fratris filia Deo pariter seruientibus, & personis per sancta concilia exceptis in vna domo manere sustinuerit; quia licet de sorore & neptibus nulla nasci posset mala suspicio, ob alias tamen fœminas necessariò aduentantes nasci posset offendiculum. Quo pertinet illud Gregor. legitur quod B. Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens, quæ cum sorore meâ sunt sorores meæ non sunt. Postremò D. Leo cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & liberorum procreationi studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale commercium conceditur. Quod si in ordine qui quartus à capite dignum est custodire, quanto magis in primo vel secundo tertiove seruandum est? Nec aut Leuitico ministerio, aut Sacerdotali honori, aut Episcopali excellentiæ quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frænasse detegitur: his igitur SS. PP. testimonijs os impudens Caluini mendacis obruatur. Sed S. Paulus vult Episcopum esse vnius vxoris virum, inter virtutes Episcopi ponit coniugium: Scio, inquit, Caluinus qualiter hoc intepretetur, nempe eligendum non esse, qui secundam habuerit vxorem. Atque hanc interpretationem non esse nouam concedo, sed falsam esse ex ipso contextu palam est, quia statim pręscribit quales Episcoporum & Diaconorum vxores esse oporteat. Sed palam est Caluinum hallucinari, aut præuaricari; nam de viduâ quidem eligenda, quę sumptu Ecclesię alenda sit, aut cæteris præsit pręscribitur, quę fuerit

10. Confess. 39.

Possidius in eius vita

L. 7. & 39. d. 81.

1. Tim. 3. 2.

Ad Tit. 1. 6.

vnius viri vxor: quod bigamia incontinentię sit argumentũ, at de vxoribus Episcoporum aut Diaconorum nulla mentio.
Ad Tit. 1. 8. Præscribit Apostolus Tito Episcopum esse debere sobrium, iustum, sanctum & continentem, pro sobrio Græce est σώφρονα, quod vocabulum ait Hieron. esse ambiguum, & hoc loco significare castum, sed quia castitas etiam in coniugio seruatur addidisse continentem ab amplexibus vxoris. *1. Tim. 4. 12.* Timotheum vero monet, vt exemplum in se præbeat in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, quod non faceret si coniugio implicatus teneretur. Idem proximo capite, teipsum castum custodi, non metuebat ne se adulterio coinquinaret, omniũ iudicijs approbatus, sed quia iuuenis erat Episcopus, eximiã ab eo & præcellẽtem castimoniam exigebat, quam & aquę potu, & summa abstinentiâ tueretur. *Noli adhuc aquam bibere.* *2. C. 1. 2. 3. 4.* Eundem Timotheum hortatur labora sicut bonus CHRISTI miles, nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus cuiusmodi planè sunt nuptiæ, teste Basilio. Nemo miles cum vxore pergit ad prælium. Hieron. caruerunt Timotheus, Titus, ipseque Paulus hac virtute coniugij, *Præmio vitæ monast.* quam inter dotes & ornamenta Episcopi præcipua collocat authore Caluino, sed nullo Patre vetustiore; caruerunt ipsi vetusti Patres præstantes Episcopi; Basilius, Nazianz. Nyssenus, Chrysostom. Cyprianus, Augustinus, Syricius, Innocentius, D. Leo, cęteri doctrinâ ac sanctitate eminentissimi.

CAPVT



CAPVT XVII.

Quo iure & quas ob causas sacris ordinibus annexa sit continentia?



FRANCISCVS Turianus ex Societate multis contendit, iure diuino continentiam annexam sacris ordinibus, vt nunquam licuerit vti coniugio ante ordines inito, nec post vllos susceptos vllum inire coniugium: consuetudinem vero Græcorum qui matrimonio vtuntur ante ordines inito, videri ex errore atque hæresi Nicolaitarum emanasse. *L. de 6. 7. & 8. Synodo de charact. dogmat. Pro constitut. Pontif.*

Michael Medina sentit Ecclesiastici dumtaxat iuris esse, ne ordinibus initiati matrimonio antea contracto vtantur; iuris tamen esse diuini & naturalis, ne iam susceptis ordinibus matrimonium contrahere possint, quę duo videntur asserta parum inter se congruere. Nam ob quas rationes à susceptis ordinibus inhibetur matrimonij contractus; ob easdem inhibetur vsus matrimonij ante ordines contracti, neque proprie pugnat cum ordine sacro matrimonium, nisi ratione vsus eiusdem, qui videtur indecorus & alienus ab honestate ac dignitate ordinis sacri. Sunt quædam ad mores pertinentia vehementer quidem rectæ rationi & legi naturę consentanea, non ita tamen seuere præcepta, quin secus *L. de continentia sacrorum hominum.*

aliquan-

aliquando fieri queat saluo iure naturę, etsi cum aliqua indecentia, non tamen plena repugnantia, tale hoc esse videtur, vt homines diuino obsequio mancipati cælibem vitam agant, vt ab omni venerea voluptate puros se pręstēt & intaminatos, id enim eorum muneri & dignitati congruit. Dictat lex naturę, & omnis honesta ratio confirmat, vt pro ordine ac gradu suo alieni sint ab omni etiam coniugij voluptate, quæ pro hoc statu naturæ corruptę, impotens existit & immoderata, bruta, & exitu fœda. Nihilominus accedere debuit expressa lex & definitio Ecclesiæ, qua sacris ordinibus annecteretur continentia. At quia est hodie communis Theologorum opinio, votum castitatis iure dumtaxat Ecclesiastico, sed antiquissimo & Apostolico, iam ab ortu nascentis Ecclesiæ sacris ordinibus annexum esse, vt quicumque illis initiari se patiatur, votum edidisse censeatur tacite & silentio, si non expresse: non desunt qui dicant vbi voti mentio fieri non consueuit, tum Ecclesiastica dumtaxat lege non voti religione necessitatem induci tuēdæ castitatis, quod discrimen pertinet ad diuersam peccati speciem, nam aduersus votum sacrilegij crimen est, aduersus legem Ecclesiasticam inobedientię, quamquā hæc ipsa inobedientia ad materiam religionis & sacrilegij crimē reuocāda est. Vtvt sit cōmunior hodie sententia est implicitè votū contineri ac suscipi ordinū maiorum initiatione; & iam ab initio nascentis Ecclesię cōstat, non solum maritos, si qui ad Episcopatus aut Presbyterij gradum promouerentur, verum eorum quoque coniuges, hanc continentiæ legem sibi impositam duxisse, neque permissum fuisse vti coniugio, aut simul etiam cohabitare, si foret vlla suspicio incontinentię. Sanè cuiusmodi est iuris Ecclesiastici, sed antiquissima & Apostolica quadragesimæ institutio, talis esse videtur annexio continentiæ cum ordine sacro vt coniugati ad ordines promoti deinceps continerent, aut deponerentur. Extat Canon Apostolorum 27. in nuptijs vel innuptis qui ad clerum prouecti sunt pręcipimus vt si voluerint

luerint vxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo, intelligit & cæteros ordines inferiores qui propius altari non assistunt.

Concilium Ancyranum vetustissimum sic statuit, Diaconos, qui in ipsa ordinatione non protestantur vxorem se ducere velle, non posse post ordinationem ducere; quod si protestentur, & nihilominus ordinentur, censebitur cum eis Episcopus dispensare: ea tamē conditione, vt simul ordini sacro & coniugio nō vacarent; certè quo tempore assisterent altaribus, ab vsu coniugij temperarent; Deinde consilia prouincialia communes totius Ecclesiæ leges non labefactāt; Ex eo tamen Ancyrano colligitur, iam tum continentiam ordinibus sacris impositam fuisse, quam eandem obseruationem suis decretis confirmant summi Pontifices Siricius & Innocentius vt pridem vsu receptam, & complures Synodi, Eliberina, Arelatensis, Agatensis, Turonensis & aliæ. Concilium quoque Carthaginense II. canone 2. quo cùm Episcopis, Presbyteris, Diaconis indiceretur continentia ab vxoribus, hæc verba subiecit; Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Maximè celebris est & vulgatus canon 3. Nicæni primi generalis: Ne cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis vlla mulier habitet, præter matrem, sororem, & amitam, nulla facta mentione vxoris, quæ pretermitti non debuerat, nisi tum in clerum eligi non consuescent, nisi continentes. Si passim habuissent vxores, nulla erat causa cur mulierum cohabitatio adeo seuerè interdiceretur, nihil opus habuissent muliere vlla subintroducta regulari vel spiritali sorore.

Iam vero rationes, ob quas hominibus initiatis ordine sacro præcipuè congruat continentia, exploratissimę sunt. Ac principio SS. Patres ex eo ratiocinantur, quod tempore legis antiquæ quotquot Deo erant propinquaturi & res sacras tractaturi, iubebantur ab vxoribus continere, vt Iudæi legem à Deo per Moysen in mōte Sina recepturi, comesturi agnum *Exod. 19. 15.* *Exod. 12, 16.* *Exod. 28. 43.*

paschalem, Aaron & eius filij tabernaculum ingressuri femi-
1. Reg. 21. 4. 5. nalibus insuperlineis induebantur. Abimelech panes propositionis recusauit præbere Dauidi & eius pueris, nisi mundi essent & ab vxoribus ab heri & nudiustertius continuissent. Sacerdotes tempore ministerij sui in tabernaculo & templo per vices suas, aberant à domo & vxoribus, quanto magis nouę legis Sacerdotes, ad hoc initiati, vt se totos velut Nazarę os diuino cultui tradant, & sacrosanctum offerant Eucharistię sacrificium, continentes ac puros esse oportet? & hoc nobis in transitu contemplandum est, inquit Hieronymus, si mundi sunt pueri ab vxoribus, quod ad munditiam corporis CHRISTI omnis coitus immundus sit: & ad Titum, Episcopo debet castitas esse propria, & vt ita dicam, pudicitia Sacerdotalis, vt non solum ab opere se immundo abstineat, sed à iactu oculi, & cogitationis errore mens CHRISTI corpus confectura. D. Dionysius eos qui ad cælestia Sacramenta conficienda procedunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant. Iam vero cæterę quoque functiones Ecclesiasticæ, vt Deum assiduis precibus deprecari pro populo, & mediatorem intercedere, sacrificium quotidie offerre, altarique propius assistere, conficere ac dispensare diuina Sacramenta, docere populum & instruere de necessarijs ad salutem, eoque fine attendere lectioni, doctrinæ, meditationi rerum sacrarum, verbo & exemplo salutē fidelis populi promouere &c. Plane conuincunt eos continentiæ studio addictos esse debere, ac minimè implicatos coniugio & multiplicibus curis quæ pertinent ad alendam & curandam familiam: qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi; thesaurizare debet coniugi ac liberis; quare minor erit illi cura de reliquo grege & pauperibus sustentandis, de hospitalitate & benignitate, quam tantopere commendat Apostolus, & sane incommodum est si bona Ecclesiastica, quæ Pontifex Vrbanus vota vocat fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia

monia pauperum conferantur in vxorem & liberos. Rem pauperum non pauperibus dare; partem ait esse sacrilegij D. Hieronym. atque vt idem ratiocinatur si laicus & quicunq; fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; Sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est, si semper orandum, semper carendum matrimonio. Oratio mentem purgatam, tranquillam, serenam, eleuatam in Deum exigit: vsus coniugij mentem deprimit, immergit carni, terrestrem ac brutam reddit. Tactus alienorum corporum & feminarum ardentior appetitus vicinus insanię est, qui vxorem duxerit, & qui plantauerit vineam velut propagines filiorum prohibetur ad bella procedere, non enim Domini potest seruire militiæ seruus vxoris, & de speculis mulierum ieiunantium quasi de purissimis corporibus Virginum luter in tabernaculo funditur & intrinsecus in sanctuario tã Cherubim quam propitiatorium & arca testamenti, & mensa propositionis, & candelabrum, & thuribulum ex auro mundissimo sunt, neque enim in Sancta Sanctorum inferri poterat argentum quãto magis in Euangelica lege splendere debet vna Dei proximique pura ac defecata charitas, illibata castitas atque Angelica virginitas omnes hominis cogitationes ad se rapere: sit coniugium argentum, quamquam rectius æramentum dicitur non est ei locus in Ecclesiæ sanctuario, neque Dei perfectus amor in vxorem & liberos dispertiendus est. Deut. 24. 5.

Postremo vt obseruat S. Epiphanius, propter honorem ipsum Sacerdotij necessaria est continentia, nam nisi vulgus in ordine Sacerdotali conspiciat aliquid eximium, quale est abstinentia coniugij cum pari morum grauitate coniuncta, numquam eum honorem quem ordo Sacer requirit illis deferret, alioquin sicut populus sic & Sacerdos, vilescent ipsa sacrificia ac Sacramenta pro ministrorum indignitate, vt in Germania euenisse narrat Nauclerus tempore Gregorij septimi, quo passim erant concubinarij Sacerdotes. Ipsi Sacerdo- Isaia 24. 2.

tes Græci qui coniugio vtuntur vix vllo sunt in pretio, nec ad Episcopatus promouentur, nec ad audiendas confessiones adhibentur. Narrat quoque Metaphrastes Chrysostomum non alios voluisse Nosocomijs præesse quam Presbyteros singulari virtute prǫditos, expertes coniugij.



CAPVT XVIII.

Iterum de continentia Clericorum, & an eadem lex & consuetudo fuerit Ecclesiæ Græcæ, quæ Latinæ?



LVRIMVM interesse inter legem Mosaicam & Euangelicam nemo nescit, vt mirum non sit si Sacerdotibus & Leuitis antiquæ legis indulgeretur nouę autem legis Sacerdotibus inhibeatur; nam Mosaici Sacerdotes ad certam tribum & familiā alligati necessario sibi successores gignere debuerant vt parentibus filij subrogarentur. At Euangelicæ legis Sacerdotium non carnali propagatione, sed electione diuina, vocatione & consecratione speciali transmittitur ad posteros: deinde illi plures erant numero, & dumtaxat in templo quod vnicum erat in Palęstina sacrificium offerebant, quare multis mensibus feriabantur & suas vices alijs delegare poterant. Euangelici Sacerdotes ad hoc initiati sunt, vt omne suæ vitæ tempus diuino

Matrimoniū Siricius ep. 1. Innocēt. ep 2. & 3. Euseb. l de demonstr. c. 9.

diuino cultui mancipent, ac quotidie sacris mysterijs sacrificiorum & Sacramentorum peragendis incumbunt, denique illi offerebant carnes belluinas instar lanionum, nostri diuinum corpus & sanguinem filij Dei, ad quod munus, Angelica opus sit puritate: postremo lex vetus erat rudis & imperfecta, nostra spiritalis tota, quæ licet carni molesta, spiritui tamen iucunda præcepta continet. D. Greg. ex differentia lapidum preciosorum ratiocinatur vt Sardonicus rubrę terrę speciem tenens patres veteres designarit, qui quamuis magnam vitæ iustitiam tenerent, carnali tamẽ propagine seruiẽtes quædam terrena agerent, Sapphirus autem coloris etherei noui testamenti prædicatores exprimat, qui carnalis propaginis desideria postponentes, cælestia sola consectentur. Ex eo autem quod tempore vicis suæ & ministerij aberant à domo & coniugibus Leuitici Sacerdotis rectè colligunt SS. Patres Sacerdotibus nouæ legis iure merito perpetuam indictam esse continentiam. 18. Mor. 17.

Sed occurrit Caluinus, quasi vero eadem sit Euangelici ministerij persona, quæ fuit Leuitici Sacerdotij; illi enim tamquam Antitypi CHRISTVM repræsentabant, cuius typum sanctitatis cum peccatores omni ex parte non possint exprimere, iussi sunt supra humanum morem se purificarè, dum ad sanctuarium accederent; quasi vero Sacerdotes Euangelici non & ipsi CHRISTVN reprę sentent, non ex ipso prototypo sint ad eius imaginem atque effigiem expressi, non induerint ipsum CHRISTVM quod veteribus non obtigit, non illum sibi ad imitandum propositum habeant, non illum sequantur ducẽ, ac morũ suorũ institutorem quasi veteribus noui vlla ex parte concedant aut munere, aut sacrificiorum oblatione, aut vlla præstantia & dignitate & non immenso quodam spatio vt lux vmbrę, veritas figuræ prę cellant, quasi non sint vicarij CHRISTI, diuini eius verbi & sacramentorum administri, quasi pro eo legatione non fungantur & non longe maiore eos puritate nitere oporteat. Antitypi erant

agni, verucces, oues, boues hostiæ immolandæ ad id quod alibi obijcit Caluinus, cur Sacerdotibus nostris non iniungatur abstinentia à vino & cisera, respondetur debere eos ieiunos ad sacrificandum accedere, ac quoniam nullo nō die ferè sacrificant probi Sacerdotes nihil mirum si perpetua illis indicta est continentia. Græci vero quia quot septimanis secundo dumtaxat sacrificant, potuerunt ijs qui ante ordines susceptos matrimonium inierant illius vsum feriatis diebus indulgere; cæterum antiquitus eandem fuisse legem perpetuę cōtinētiæ ac penes Græcos æquè ac Latinos à primis sexcentis annis in tota Ecclesia obseruatā fuisse conuincunt producta SS. Patrum & Conciliorum testimonia, quæ Concilia pleraque apud Græcos habita sunt, quare nec Græcis Sacerdotibus post ordines sacros vxorem ducere, nec iam ante ducta licebat vti, sed quoties coniugatus quispiam Episcopio vel presbyterio initiaretur tam ipse quam eius vxor hanc continentiæ legem impositam sibi ducebat, habebaturque silentium pro cōsensu & implicito voto aut certè acceptatione legis Ecclesiasticæ, quæ vulgo omnibus erat notissima. Qua de re iam antea citatus est Hieron. aduersus Vigilantium & Iouinianum. Epiphanius Cypri Episcopus hęresi Catarorum liberos inquit gignentem vnius vxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum & Presbyterum, & Episcopum & Hipodiaconum maximè vbi sinceri sunt Canones Ecclesiastici, nominantur Hipodiaconi, quemadmodum in Concilio Elibetino, quando vero non exprimuntur generali nomine Diaconorum comprehendi censentur, alioqui nullo Canone exempti reperiuntur à communi lege continentiæ. D. Basilius Paregorium Presbyterum acriter increpat licet ætatis prouectissimæ quod rursus in domum admisisset mulierem subintroductam quæ videtur illi coniux fuisse, & excommunicationem comminatur nisi mox illam dimiserit; lege, inquit Canonem à SS. Patribus nostris in Nicęna Synodo cōstitutum, qui manifestè interdixit

Hære. 59

Ep. 17. in additis.

interdixit nequis mulierculam subintroductam habeat, cęlibatus autem honestatem suam in eo habet siquis à nexu mulieris secesserit, sit illa cum Virginibus, & tu inter viros ministra, ne propter vos nomen Dei blasphemetur. Cæterum posteriores Græci maiorum Canones ac totius Ecclesiæ consuetudinem negligentes permiserunt denique ijs qui antequam initiarentur ordinibus sacris vxores duxerant, earum vti commercio, & sanciuerunt qui vellent antea matrimonio iungerentur quam ordines susciperent, quod post eos susceptos matrimonium inire non liceret, quem errorem à Vigilantio traditum Episcopos quosdam complexos esse ex Hieron. iam vidimus. Multis vero post annis in Synodo aut pseudo Synodo Trullana sanciuerunt Gręci Canon 13. vel in odium Ecclesiæ Romanæ, vel vt prauæ suæ concupiscentiæ obsequerentur, ne Hypodiaconi, Diaconi, Presbyteri à prioribus coniugibus separarentur; ita tamen vt tempore vicis suæ eas non contingerent. Citant Canonem Concilij Carthaginensis 5. cui S. August. interfuit, sed male versum ab illis in proprijs terminis, hoc est tempore vicis suæ cum Latina habeant secundum Priorum aut propria statuta, secundum Canones in Ecclesia Carthaginensi receptos. Episcopis vero vxorum vsum non permittebant, nec 6. nec 5. Synodus vllos edidit Canones vt testatur septima actione 4. & 5. sed demum post annos fere 27. Schismatici quidam Episcopi in Palatium Imperatoris quod Trullū dicebatur conuenientes eos Canones ediderunt quam Synodum erraticam condemnauit Sergius Pontifex, vt refert Beda lib. de sex ætatibus.

Auctus hic error est cum schismate tempore Leonis noui extatque tunc scriptus super hoc argumento liber Humberti Cardinalis aduersus Nicetam Pectoratum Cænobij studij Monachum, sed denique pacis ac concordiæ causa Romani Pontifices indulserūt vt Græci ductis vxoribus ante ordines vterentur, vt patet ex rescripto Innocentij 3. extrau. de Ecclesijs coniugatis cap. cum olim. Qualis permissio eiusdem

Inno-

Innocentij habetur extrau. de diuortio cap. finali. Qua quibusdam recens ad fidem conuersis in gradu affinitatis inhibito coniugium relaxatur. De subdiaconis Greg. 1. asseuerat morem Ecclesiæ Romanæ esse vt vxoribus non misceantur, ideoque omnibus Episcopis præcipit nullum Subdiaconum ordinent nisi qui se victurum caste promiserit, Siciliæ tamen Subdiaconos qui vsum continentiæ apud suos non inuenerant, neque castitatem ante promiserant negat compellendos vt ab vxoribus inuite separentur: verosimile est Siculos Grecorum licentiam ex locorum vicinitate secutos, deinceps tamen si se continere noluerint vetat Pontifex ne ad vlteriorem ordinem promoueantur, quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Illud quoque notandum antiquos Canones ita hæc prohibuisse sacrorum hominum matrimonia, vt semper fuerint illicita, sed non continuò inualida, nam Canon. 1. Neocæsariensis leuius punit Presbyterum qui vxorem duxerit quam qui fornicatus fuerit, vt tum ordo sacer fuerit impedimentum matrimonij dumtaxat impediens non dirimens, potueritque Presbyter coniugatus inter Clericos inferiores in Clero retineri, at Concilium Viennense sub Clemente 5. prorsus hæc inualida reddidit matrimonia & summi Pontifices Calixtus & Alexander indicant se id non primum statuere sed Sacrorum Canonum definitionem sequi, quo respexit Beda in lib. Pœnitentiarum, si Presbyter, vel Diaconus, vel Monachus vxorem duxerit in conscientia deponendum. Deniq; Tridentinũ aduersus nouatores damnat anathemate eum qui dixerit Clericos in ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante Ecclesiastica lege vel voto.

L. 1. qu. 42.

Gratiã. dist. 25. c. Presbyter,

Seff. 24 nu. 9.

CAPVT



CAPVT XIX.

De historia Paphnutij, & quædam aliæ obiectiones ex canonibus.



GITATVM quidem fuit in Nicæna Synodo de indicendo cælibatu, inquit Caluinus, vt nunquam desint superstitiosuli qui semper nouum aliquid comminiscuntur; vnde admirationem sibi concilient, sed quid constitutum fuit, nempe in sententiam Paphnutij discessum est, qui pronuntiauit castitatem esse cum propria vxore concubitum. Prodit vafritiem suam Caluinus, cum velut exploratam profert historiã, quæ dubia est & suspecta, tum mendacijs eam inuoluit & obscurat: merito habetur suspecta, nam ante Socratem, ex quo Suidas & cęteri sunt mutuati, nulla apud veteres eius existit mentio, quare centum annis post Nicęnam excogitata videtur ad Græcorum intemperantiæ velamentum aliquod. Certè Basilio, Epiphanio, Hieronymo qui propiores illi Synodo vixerunt fuit incognita, immo vt mox dicetur apertè repugnans. Ruffinus item & qui ante Socratem Nicæni meminerunt nullã eius mentionẽ faciunt, in antiquis & authenticis actis Nicęni nuper Romę Græcè & Latine editis nulla eius mentio; in actis ab Alphonso Pisano & ante à Roberto Belforio conuersis & editis extat quidem lib. 2. cap. vlt. Sed

Lib. 4. c. 12. §. 26. tripert. lib. 2. c. 14.

ea non ſunt acta authentica, ſed hiſtoria quędam à Gelaſio Gyzceno & chartis Dalmaſij Ciriſi Epiſcopi collecta, qui tātam non merentur fidem, adde quod Socrates & alij Græci Nouatianorum ſectę addicti multa alia mentiuntur, vt obſeruat S. Greg. Conuenit illis quod Satyricus ait, & quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria, iam & ipſe Paphnutius habitus eſt Meletianus, non magnę admodum auctoritatis. neque vero vllus auctorum dixit cogitatum in Nicęna de indicendo cælibatu generatim, ſed an qui ante ſuſceptos ordines matrimonium iniuiſſent eo poſſent vti, nec caſtitas eſt cum vxore concubitus, niſi cum adiunctione maritalis, non meretur continentiæ nomen qui abſolutè non ſe continet: repugnat autem hæc hiſtoria Canoni 3. Nicæni, quem allegauimus de inhibita cohabitatione mulierum, & clariſſimis teſtimonijs Baſilij, Epiphanij, Hieronymi, qui quid actum in Nicæna non potuerunt ignorare, certè non fuerunt ſuperſtitioſuli qui nouum aliquid comminiſcerentur ad admirationem ſibi conciliandam in laudatiſſima Synodo trecentorum octodecim Epiſcoporum, quos orbis Christianus ſemper eſt veneratus cum ab ipſis Apoſtolis introductus ſit in Eccleſiam cęlibatus, neque apud Græcos vmquam vſu receptum fuerit vt Epiſcopi ſuis coniugibus vterentur. Conſilium Arelatenſe quod ſtatim poſt Nicęnum celebratum fuit, eiuſque canones recepit, ſic ſtatuit can. 2. aſſumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo coniugij conſtitutum niſi fuerit promiſſa cōuerſio, id eſt, viri & vxoris ſeparatio per continentiæ votum nō oportet: potuit forte Nicænum grauiores pœnas in Clericos continentiæ violatores decernere ſtatuiſſe, ſed ſuaſu Paphnutij mutato conſilio abſtinuiſſe aut omnes omnino Diaconos & ſubdiaconos qui etiam in ordinatione legem continentiæ non acceptaſſent ea adſtringere voluiſſe, ſed reclamaſſe Paphnutium. Verum inſtant Caluinus & Hęretici & obijciunt Canonem 6. Apoſtolorum qui ſic habet, Epiſcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam abijciat; ſub

ſub obtentu religionis, ſi vero reiecerit, excommunicetur, & ſi perſeuerauerit, deijciatur. Senſus eſt, ne vxores ante ordinationem ductas abijciant à ſua cura & prouidentia, cum teneantur illis neceſſaria vitæ ſubſidia procurare, ex Apoſtoli prҿcepto. Si quis ſuorum 1. Timoth. 6. Quare & Synodus Trullana ſuggerit, Epiſcopi vxorem in monaſterio degere debere, ſub prouidentia Epiſcopi mariti: quod idem præcipit Turonenſis 2. Can. 8. prætectu cautelæ, ſic enim verti poteſt ἀσφαλείας qua ſibi cauet à periculo aut ſuſpicione incontinentiæ. Objciunt præterea ex Synodo Gangrenſi, inter cæteros errores hæreticorum hunc etiam numerari, Preſbyteros qui matrimonia contraxerunt ſperni debere, nec Sacramenta quæ ab ijs conficiuntur attingi. Agit Synodus aduerſus Euſtachium ſeu Eutactum Hæreſiarcham, de quo Epiphanius hæreſ. 40. qui damnabiles eſſe nuptias tamquam immundas contendebat virum execrabilem qui cum vxore dormiret, reijciendos Presbyteros qui aliquando vxores habuiſſent, quod conſtat ex præfatione Can. 1. & 4. iam ſæpè dictum, cum tanta non eſſet copia Clericorum qui cœlibem vitam ducerent conſueſſe eligi Maritatos quibus cҿterҿ dotes adeſſent Epiſcopatu dignæ. Sed ea lege vt tam ipſi quam eorũ coniuges deinceps ſe continentiæ addicerent. Huius Eutacti & alij fuerunt errores extrema velut fronte noſtrorum Epicuræorũ hҿreſibus oppoſiti, vt Chriſtianos, niſi omnibus renunciaſſent diuitijs, ſpem nullam apud Deum ſalutis habere, non tantum filios relinquere debere parentes ſed & vxores viros ſuos vt ſalutem aſſequerentur, eas ſtudio continentiҿ poſſe mutare habitum, virilemque induere & capillos amputare, denique eoſdem damnat Synodus Gangrenſis qui circumſpecte veſtiti pallio contemnerent alios qui breuioribus vterentur veſtimentis, nempe vncis. Semper hæreſes verſantur in extremis, ſed quod attinet ad continentiam eorum qui coniugio ad ordines promouebantur, non tantum ex decretis Syricij & Innocentij Pōtificum Romanorum, verum

Baron. ad ann. 319.

ex quamplurimis Synodis constat Eliberina, Arelatensi, Agatensi, Thuronensi & alijs, vt mirum sit eo impudentiæ nouatores hæreticos prorupisse, vt Episcopos & Presbyteros omnes necessitate quadam ad ineundum vsurpandumque coniugium adigant sanè quemadmodum leuius peccat maritus vxore neglecta si vaga libidine se polluat aut stabili scorto committat adulterium, quam si dimissa aliam sibi publico matrimonio coniungat, hic enim atrocior irrogatur iniuria priori matrimonio ac longè grauius & acerbius priorem lędit coniugem, noua palam introducta, tum hoc inito publico contractu inuerecundius maiore cum scandalo peccat magis obstinatum prodens animum non imbecillitate, sed designata malitia se peccare, ad eundem modum Sacerdotes apostatæ qui nuptias irrito licet conatu contrahunt longè grauius peccant quam qui impudicitia victi libere & vage scortantur, nam illi grauiorem iniuriam voto castitatis irrogant, Ecclesiam cui tanquam sponsi copulati erant atrocius offendunt, inuerecundius cum ea quam haberi volunt pro legitima coniuge scortantur, magisque obstinata ac præfracta voluntate in suis flagitijs perseuerant & damnabilius immoriuntur, rogo quãtum crimen est vbi stuprum & adulterium parum est? Hieron. ad Sabinianum qui sanctimonialem vitiare tentarat.

§. 28. Postremo declamitat Caluinus: quoties cælibatui suo defendendo prætextum antiquitatis quærent, nouę istius tyrannidis defensores toties excipiendum erit, vt veterem illam castimoniam in suis Sacerdotibus restituant, amoueant adulteros, & scortatores, reuocent illam obsoletam disciplinam, qua omnes lasciuiæ coerceantur, liberent Ecclesiam hac tam flagitiosa turpitudine. qua iam diu deformata est. Confitetur ergo Caluinus veterem castimoniam in Sacerdotibus aliquando viguisse, disciplinam, qua omnes lasciuiæ coercerentur nuper effloruisse, quæ modo sit obsoleta, liberam aliquando fuisse Ecclesiam ea turpitudine quã modo deformata est, sed quæ ratio eius instaurandę disciplinæ ac castimonię,

an qua

an qua Sacerdotibus & Religiosis voto illigatis lex indicta continentiæ planissimè relaxatur & ad incesta coniugia porta latè patens aperitur. An continentiæ magis fauet ea doctrina, quę eam seruatu impossibilem asserit, nec vlla voti, vel legis Ecclesiasticæ religione ac necessitate posse astringi, quæ si matrimonium demas, nullum eius tuendæ subsidium agnoscit? An quæ contra plurimum spei ponat in diuina gratiâ, eaque opitulante, votum ac legem Ecclesiasticam seruari posse, violari non posse sine flagitio & sacrilegio pronuntiat? An quia plurimi quoque coniugalem continentiam non seruant & suis vxoribus minimè contenti, alienos thoros inuadunt & collegarum ministrorum pellices adulteras constuprant, aut in alia flagitia atque impudicitiæ genera proruunt; matrimonij honestas ac sanctitas non constabit? Ab aliquot initiatorum incontinentia non rectè concluditur; argumentum est ab abusu. Non desunt plurimi quoque insignis continentiæ Sacerdotes, qui quotidie Deo sacrificant, ordinisque sui ac gradus dignitatem pari innocentia vitæ, asperitate pœnitentiæ atque omni sanctitate continentur. Quod ais (Hieron. Heluidio) quasdam Virgines esse tabernarias, ego plus dico, esse in his adulteras, & quod magis mireris Clericos esse caupones, & Monachos impudicos; Sed quis non statim intelligat nec tabernariam Virginem, nec adulterum Monachum, nec Clericum posse esse cauponem. Nunquid virginitatis est culpa, si virginitatis simulator in crimine est? Ego certè vt alijs personis prætermissis, ad virginem veniam, quę institorias exercet artes, nescio an corpore. Sanè spiritu virgo non permanet. Presbyter quidem scortator, & adulter non desinit esse Presbyter, sed gradum suum dedecorat, ac dehonestat. Presbyter est indignus ordine suo, ac nomine. Deponendus ac pœnis inflictis à iure coercēdus. Nouus Euāgelicus minister impudicus, quia dono continentiæ caret, obsequitur doctrinæ suę; sectę suæ obtemperat Epicureę à suis symmystis omni laude celebrandus.

Frequens in historijs mentio est Melaniæ tum senioris tum iunioris eius neptis, nupserat hæc Piniano viro Clarissimo, & cum eo & Albina socru, ante vrbis excidium mature profugerat in Africam, ac primum Chartagine Tagastam Alipij visendi tum Hipponem, Augustini quoque conueniendi caussa diuerterunt, hic cum moras trahunt minimè assentiente & conscio S. Augustino à populo vis illata est Piniano pro more tum recepto, vt Presbyter initiaretur, neque sedari tumultus ac vis populi illum arte detinẽtis impediri potuit quoad certis pactis conuentis initiatus est, quæ tamen pacta clam effugiens Pinianus Tagastam elusit, ac pluribus Epistolis Augustinus ipse se purgare debuit. *Baron. ad ann. 408.*

Perseuerarunt in hoc continentiæ stadio illustres hi coniuges, & post aliquot annos Hierosolymam nauigarunt, inde ad visendum anachoretas in Ægyptum, peregrinati, relicta matre Albina Hierosolymis ob ingrauescentem ætatem; denique Pinianus Hierosolymis planè seiunctus à coniuge Monasticam vitam egit, Melania vero ad Olіueti montem annos vndecim cellæ inclusa perseuerauit, quo ad euocata Constantinopolim auunculum Volusianum ad fidem perduxit. *225. 227.*

Non minus in historia sacra notus est Paulinus Episcopus Nolanus, vir Consularis & Senatorius vrbis Romæ Præfectus ex illustri Senatore Monachus, illustrior eiusque spectatissima coniux Tharasia, de qua Ausonius amariore ioco; si prodi timeas, Tanaquil tua nesciat illud. Cui Paulinus: formidatamque coniugem obijcis, & neque me vel coniuge carpas, non Tanaquil mihi, sed Lucretia coniux. Gratulatur ei S. Augustinus, ibi coniux excitatur, non dux ad militiam viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui: quam in tuam vnitatem redactam & spiritalibus tanto firmioribus quanto castioribus tibi nexibus copulatam officijs vestrę sanctitati debitis in te vno ore salutamus. *Baron. ad ann. 394.* *Epistola 32.*

Fertur Prosperi Aquitanici Regiensis Episcopi ad vxorem carmen. In epigrammaton finem

Age

Age iam precor mearum
Comes irremota rerum
Trepidam breuemque vitam
Domino Deo dicemus.
Tu modo fida comes mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita elatum cohibe solare dolentem
Exemplum vitæ simus vterque piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde
Erige labentem, surge leuantis ope.
Vt caro non eadem tantum sed mens quoque nobis
Vna sit atque duos spiritus vnus alat.

4. Dialog. 11. Narrat D. Gregorius memorandum & imitandum factum Vrsini Nursiæ Presbyteri cum ex tempore ordinationis Presbyteram suam totos annos quadraginta quasi hostem cauens, nulla occasione ad se propius accedere nec sibi per eam necessaria subministrari passus esset; accidit in extrema ægritudine animam prope iam agenti vt mulier an ei adhuc vitale spiramen inesset naribus aure apposita vellet agnoscere, tum ille quanto nisu valuit in hanc vocem erupit; Recede à me mulier adhuc igniculus viuit, paleam tolle, qua recedente Beatos Apostolorum Principes ad se venire conspexit quibus magna cum animi lætitia, aiebat, bene veniant Domini mei, gratias ago, ecce venio, inter quę verba fœliciter expirauit. Fortunata mors, digna continentis animi, quæ sempiternæ vitæ fęlicitati Angelorumque societati patefaceret aditum.

De gloria confessorũ 76. Alter Gregorius Turonensis Romano coęuus, ęquè memorandas habet historias huius argumenti, quas hic eius verbis interseram ne quid de illarum pondere atque auctoritate detraham. Simplicius vrbis Bituricensis Episcopus nobilis & diues, & coniugi sociatus à populis eligitur à Deo pro castitatis ei soli cognitę gloria destinatur, accepto autem Pontificatus ordine, Beata soror viro castitate non libidine coniuncta non

non patitur ab eius strato submoueri, sed, qua prius puritate torum eius adibat, de mentis sanctę conscientia, se ab incentiui ignis ardore vri non posse secura. Quos autem dæmonis inuidia, instinctu destruere non potuit Dei sanctos probris infamare nititur: Dominico enim natali ciues in scandalum commoti ad beatam Virginem rabidi concurrunt incredibile dicentes, vel mulierem viro iunctam non pollui; vel virum mulieris artubus iunctum à coitu abstinere, nemo enim potest vel ignem in sinu gestans non cremari, vel picem tangens, non inquinari. Prouerb. 6. Ecclesiastæ 13. His commota Virgo Sanctissima Pontificalem simili castimonia pollentem coram omni populo, puella solita hyemis iniuria arculam cum carbonibus retinente vocat, expanso pallio prunas ardentes susceptas vnius fere horæ spatio tenens, Sacerdoti euocato dixit, accipe ignem solito mitiorem tuis velaminibus minimè nociturum, vt hæ in nobis flammæ ostendant extinctas luxuriæ flammas. Quo suscipiente nihil eius velamini ab igne nocitum est. Hoc miraculo populus tum incredulus, Deo credidit. Et intra dies 7. homines am- 78.
plius mille baptismo renati sunt.

Narrat & fœlicem Naneticum, in ea ciuitate Antistitem fuisse cum sua coniuge, sed qui cum ad Sacerdotium accessisset, lectulum iuxta ordinem institutionis Catholicæ sequestrarit, quod mulier valde molestè ferens (pœnitens opinor suscepti voti continentiæ) quotidie cum eo agebat, vt vno in strato quiescerent; non acquiescente Pontifice ad rem tam improbam quam Canonum decreta non admittebant, furore succensa, ait intra se: non puto esse absque aliqua conscia viri mei quod sic ab eius amplexu repulsa sum; ibo & videbo ne qua forte mulier cum eo decumbat; pro cuius me amore despiciat; statim ergo Episcopum in cubiculo post meridiem dormientem nacta vidit ante lectulum agnum immensæ claritatis super pectus eius quiescentem, tunc timore perterrita velociter se subduxit, nec adiecit vltra quæ-

rere quid vir Deo plenus clam ageret, manifestissimè experta cum Dei seruis, impleri quod Dominus fidelibus suis polliceri dignatus est, sese nimirum cum illis semper futurum.

Matth. 28. Alius à sorore & coniuge ad tuendam castimoniam adiutus est. Faro Germanus Faræ virginis, Episcopus Meldensis, *Surius die 28. Octob.* quam Ecclesiam rexit annos 63. magna cum opinione sanctitatis & illustri miraculorum gloria, Coniugem habuit *Sigibertus in Chron. 620.* Blidechilden, qua cum effecta sanctimoniali ipso primo iuuentutis flore pudicitiæ sese virginali consecrauit, sed cum aliquando hostis maligni suggestione tentatus & pulchritudine suæ coniugis recordatione esset illectus illam semel iterum ac tertio ad se aduocauit. Verùm sapiens virgo aure surdâ renitens, ac vtriusque saluti consulens denique tonso capite, cilicio induta, puluere ac sordibus operta plane deformata visendam se obtulit, omnemque eo tristi aspectu *Sigibertus anno 500.* tentationem ex animo mariti dissipauit. Diuus Remigius Remensis Genebandum nepotem Lauduni Episcopum quod cum vxore quondam sua relapsus esset in vsum coniugij, quem fornicationem non dixerim, sed deteriorem, sacrilegum concubitum, septennali pœnitentiæ carcere multauit, denique diuino iussu purgatum eduxit, ac pristinę sedi restituit. Idem accidit Vrbico Auernorum Episcopo, cuius vxor iuxta Ecclesiasticam consuetudinem ab eius remota consortio, religiose viuens tandem ab hoste superata noua Eua effecta ad Ecclesiæ domum profecta fores pulsans ita dixisse fertur: Quousque dormis Sacerdos, cur coniugem spernis, & Pauli pręcepta non audis, reuertimini, ait, ad alterutrum, ne vos tentet Satanas ena d te ad proprium non ad extraneum recurro, & similia de hoc clamantem, Sacerdos tepescens cubiculo intromitti iubet eiusque concubitu vsus discedere; tardius ad se reuersus & de patrato scelere condolens, acta in diœcesis suæ monasterio pœnitentia, quæ commiserat lachrymis diluens, ad vrbem propriam reuersus nata ei ex hoc conceptu

ceptu filia & Religiosa permanente cum eadem & coniuge in eadem cripta iuxta publicum aggerem sepultus est.

Duo sunt hæc violatæ continentiæ exempla, addamus & alia duo conseruatæ ex eodem Turonensi & Baronio. Leontius Burdigalensis Episcopus 13. nobilissimo ortus genere. diuitijs pollens, egregijs animi virtutibus exornatus coniugatus licet inuitus ordinatus est, cuius vxor Placidina Imperatorio stemmate procreata eadem optimis composita moribus etsi diuisa corpore, tamen inhæsit sancto viro in bonis operibus comes indiuidua vt cecinit Fortunatus ipsi Leontio familiaritate coniunctus: Extitit & Placidinæ virtutis æmula soror eius, Alcima, quæ & ipsa Apollinari viro suo, vt Episcopus crearetur indulgens pariter ad construenda sanctorum martyrum templa se contulit, paremque continentiæ ac Religiosę vitæ coronam retulit. Non possum omittere patrię meę Patronos eximios S. Vincentium & Waldetrudem, de quibus Molanus ad Vsualdum. Apud Sonesias depositio S. Vincentij Confessoris CHRISTI qui in monasterio, quod altus mons dicitur tonso capite vixit pluribus annis sub sancta regula, seruata charitate separatus à S. Waldetrude coniuge sua, separatus corpore non animo tanto arctius quanto spiritalius, diuina charitate religatus. Abeant igitur nuptiatores Euangelici, & cum his exemplis Epicuræum dogma suum sine veneris vsu vitam traduci non posse componant.

Turonēsis l. 1. c. 405. Baron. 666.


Die 14. Iulij.





CAPVT XXI.

De digamia. Quam ob causam bigami à sacris ordinibus reijciantur.



APOSTOLICVM prçceptum, quo statuitur prima ad Timot. vt Episcopi & Diaconi eligantur vnius vxoris viri; quod sub nomine Presbyterorum repetitur ad Titum 1. Martinus Lutherus bonus interpres Epicuro quam Apostolo dignior interpretatur ad solas scortationes & adulteria pertinere, vt sint legitima vxore contenti: siue vna siue pluribus, modo ne scortationibus & adulterijs indulgeant. Nec inhibitam ab Apostolo pluralitatem vxorum siue successiue, siue etiam simul dummodo absit scandalum, Magdeburgenses & Caluinus opinantur vetitam pluralitatem vxorum simul, non successiuè, quemadmodum tum quidam ex Iudæis antiquos Patres imitati, quidam item ex gentilibus nuper conuersi plures habebant vxores, hoc Episcopo non permitti, ne suspectus sit de incontinentia, sed prçcipi, sit vna vxore contentus. Meminit eius expositionis Hieron. ad Titum, & Epist. ad Oceanum; sed sibi displicere demonstrat, cum præfatur malo nodo malum cuneum quærendum. Apud Iudæos iam desierat Polygamia, siue ob consuetudinem cum Romanis, quibus erant subiecti, siue ipsa lege naturę, & primæua institutione matrimonij ad quam CHRISTVS illud reuocarat, admo-

admonente. Quare numquam licuit Christianis plures simul habere vxores, nec fuit causa cur speciatim id Episcopis inhiberetur. Gentilibus quoque, vt aduertit S. Thom. ad Titum, legibus Romanis permissa non erat Polygamia. Quamquam Cretenses prauis & flagitiosis moribus à puero ferè omnes vxores ducerent, alijsque nefandis impudicitiæ generibus essent addicti: tamen nec ipsi, nec Ephesij, nec alij vicini populi fuerunt vmquam polygami. Athenienses dumtaxat occasione exhaustæ bellis iuuentutis polygamiam aliquando permisisse reperiuntur. Certè qui Christianam fidem erant amplexi, reuocato matrimonio ad primitiuam naturę legem & institutionem, polygami esse non potuerunt. *Mat.19*

Deinde ex cap. 5. De vidua eligenda, quæ fuerit vnius viri vxor Apostoli mens haud obscure colligitur, nulla enim ratione sic exponi potest, quę plures maritos simul non habuerit, quod nusquam gentium fuit vsurpatum, sed quæ semel dumtaxat nupserit, de qua nulla incontinentię possit esse suspicio.

Apostoli quæ ad institutionem morum spectabant ea ferè cum fœnore aucta ex synagoga in Ecclesiam transtulerunt, vt non tantum eadem reseruata manerent, verum & ampliata, vt loquitur Tertull. vt redundaret supra Mosaicam iustitia, vtique & pudicitia Christiana. Cur igitur prohiberet lex diuina Sacerdotes denuo ducere vxores, summum Pontificem viduam aut ab alijs repudiatam, aut meretricem ac tantũmodo virginem permitteret. Statuerunt Apostoli si cęlibes ac virgines idonei non reperirentur, certè in Episcopos ac Presbyteros assumerentur vidui, qui fuissent vnius vxoris viri, quemadmodum & apud gentiles flamen vnius vxoris vir, & flaminica vnius mariti eligebatur, si mariti vxores haberent, ab eis temperarent, & minimè secundam duxissent: si liberos, eos subditos, non in accusatione luxuriæ minimè inquinatos flagitijs ac moribus Cretensium, quam expositionem non modo Hieron. tradit, sed Græci omnes interpretes, Chrysost. *De Mo. q. 7. Leu. 21.*

Theophyl. Oecumen. inde digami semper à sacris ordinibus reiecti, cuius legis ac consuetudinis antiquissimæ testis est Tertull. Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati secundę nuptiæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere, nec viduam allegi in ordinationem nisi vniuiram, concedit. Idem probo adscribit quod aliqui bigami reperiantur præsidere (ex dispensatione) eamque obseruationem tam in occidentali, quam Orientali Ecclesia ex Apostolica traditione manasse confirmat. Testis Epiphanius, reuera non suscipit sancta Dei prædicatio post CHRISTI aduentum eos qui à nuptijs mortua eorum coniuge secundis nuptijs coniuncti propter excellentem Sacerdotij honorem & dignitatem. Arianos ipsos id obseruasse refert dum de Iosepho comite narrat raptum ab Arianis ad ordinationem id periculum effugisse, quod se bigamum professus esset. Testis Ambrosius, qui coniugium iterauerit culpam non habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur Sacerdotis, non solum id Apostolũ de Episcopis & Presbyteris statuisse, sed etiam Patres Concilij Niceni tractatu addidisse, Clericum quemquam esse non debere qui secunda coniugia sortitus sit.

1 Ad vxorem de Monog.

Hæres. 54 & 30.

Epistola ad Vercellens.

Testis Innocentius 1. Hieron. Augustin. D. Leo, alijque quamplurimi atque ex totius Ecclesiæ praxi res notissima est; Ecclesiæ Mauritaniæ de ingẽti sacrorum ministrorum penuria conquerenti per legatos, D. Leo noluit tamen indulgere vt bigami ordinati in sacro ministrarent officio. Cur à sacris ordinibus bigami reijciantur ratio partim est moralis, partim mystica, moralis quod digamia signum sit incontinentiæ, quam rationem adferunt Tertullian. Hieronym. & alij. Mystica ob defectum Sacramenti significationis sacræ, coniugij vnius CHRISTI cum vna Ecclesia, quam rationem reddunt Ambros. Augustin. Diuus Leo. Ex qua ratione is qui interpretatiue est bigamus, qui viduam aut vitiatam duxit ab ordinibus reijcitur. Fuit agitata inter SS. Patres

quæstio,

quæstio, an qui ante baptiſmum duxiſſet vxorem & ea mortua poſt baptiſmum alteram, cenſendus foret bigamus, D. Hieronym. ad Oceanum agens de Charterio Hiſpaniæ Epiſcopo, multis eum ediſſerit, & contendit non eſſe bigamum, quod per baptiſmum nouus homo ſit effectus, prioraque omnia ſint abolita. Suſtinui Romæ, inquit, à viro eloquentiſſimo, cornutum dicitur ſyllogiſmum vt quocunque me verterem, ſtrictius teneret: vxorem, inquit, ducere peccatum eſt, an non? Ego ſimplex & qui inſidias vitare neſcirem, dixi. Non eſſe peccatum. Rurſum abire propoſuit, in baptiſmate bona opera dimittantur, an mala? Et in hoc eadem ſimplicitate reſpondi peccata dimitti cum me ſecurum putarem, cœperunt mihi hinc inde cornua increſcere & abſconditæ prius acies dilatari, ſi, inquit, vxorem ducere non eſt peccatum, baptiſmus autem peccata dimittit, quidquid non dimittitur, reſeruatur, hoc Chryſippeo velut ſophiſmate obſtupefactum ſe ait, ſed mox in aduerſarium propoſitionis tropham conuertiſſe, baptiſmus hominem nouum facit an non? Vix dedit quod nouũ faceret, gradatim intuli ex toto nouũ facit, an ex parte? Reſpõdit ex toto; deinceps interrogaui: Nihil ergo veteris hominis in baptiſmate reſeruatur, rectè quidẽ quod culpã veteris hominis quæ per CHRISTI gratiam penitus aboletur, ſed minimè quoad alias conditiones, ad quas baptiſmi Sacramentum nihil confert, cuiuſmodi eſt illa myſtica ſignificatio coniunctionis vnius cum vna, ſi prior dumtaxat ratio moralis attenderetur, quod bigamia ſignum ſit incontinentiæ, potuit per baptiſmum aboleri, multoque magis ab ordinibus arcendi fuiſſent qui vel concubinam in gentilitate habuiſſent, vel aliis ſeſe flagitijs inquinaſſent: at altera ratio myſtica potior habita eſt, præualuitque aliorum patrum ſententia cenſendum bigamum, qui vnam vxorem ante baptiſmum, poſt baptiſmum alteram duxiſſet, quia diluit quidem peccata baptiſmus, ſed non diſſoluit coniugia. Ambroſ. Innocentius 1, Si quis viduam licet laicus duxit

vxorem,

vxorem, siue ante, siue post baptismum non admittatur ad clerum; in baptismo enim crimina diluuntur non acceptę vxoris consortium relaxatur. Hoc quoque Ruffinus Hieronymo crimini vertit Episcoporum illum constitutiones contempsisse, cui respondet ad finem prioris Apologiæ, Hieronymũ sequitur vnus Lyranus. Viduæ quoque vniuiræ repræsentabant honorem castitatis vidualis, ad quam non erat idonea, quę pluries nupserat, etiamsi ante baptismum; quemadmodum nec ei licet sacrum velamen accipere, quæ ante baptismum corrupta fuerit, tanti semper in Ecclesia existimata est virginalis ac vidualis continentia.



CAPVT XXII.

De insigni continentia Diui Hieronymi quam Lutherus calumniatur.



REQVENS illud Apostoli: *Melius est nubere, quam vri*, sectarijs in ore est; quod crebro & vehementer vrantur, igne illo tartareo impudicitiæ amburantur: volunt autem eos, qui vruntur, hoc est graui tentatione pulsantur, ex eorum interpretatione; iure diuino ad nuptias adstringi. Quare Diuum Hieronymum grauiter in epithalamio suo Lutherus accusat, quòd matrimonium non inierit, nec Eustochio virgine sibi deuotâ sit vsus (ô hominem impudentem!) cum se grauissimis ac diuturnis carnis ardoribus vexatum narrat; immò

immò verò hæreseos Pelagianę hostem eius acerrimum accusare non veretur, quasi viribus naturæ sine ope diuinâ tentationes superari posse confideret. Idem tamen alibi, immemor sui, S. Hieronymum, Apostolo, alijsque aduersus hanc tentationem pugnantibus associat. Quoties rogo S. Hieronymus de incendijs libidinum conqueritur, etiam tum, cum multo ieiunio & labore contra eas pugnaret, hoc est dum esset non modo baptizatus, sed etiam sanctissimus. De se ipso Hieronymus ad Eustochium. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad ad petram: Petra autem CHRISTVS est. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat; quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis & potu taceo, cum etiam languentes aquâ frigidâ vtamur & tostum aliquid accepisse luxuria sit. Me igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, Scorpionum tantum socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat, in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortuâ, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad IESV iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Hoc Hieronymi ac Magdalenę pœnitentis exemplum, Luthero ac sectarijs fuerat imitandum. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potius plango, me non esse quod fuerim. Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte, nec

In defens. 2

Epi. 22.

prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam. Et mihimet iratus ac rigidus solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum, & vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lętus gaudensque canebam; Post te in odorem vnguentorum tuorum currimus. Nempè tutissimum perfugium ac continentię tuendæ munimentum est oratio; quæ nos adiungit Deo, quæ opem eius continenter implorat atque impetrat. Sic clauus clauo pellitur, amor amore superatur, amore CHRISTI Domini; Sanctarumque scripturarum, quarum studio ardebat incensissimo, D. Hieronymus omnia extinxit ignita diaboli iacula, ac carnis incentiua, plurimisque sexus vtriusque Virginibus, Viduis, ac continentibus in pudicitiâ ac continentiâ colenda prçiuit, adiutorque fuit. Extant Epistolæ, sole clariores, ad illustrissimas nobilitate ac sanctitate virgines ac viduas, de Virginitate seruandâ de custodiâ virginitatis, de Monogamia, de viduitate seruandâ, deque continentiæ laude, sententiarum, documentorum integritatis plenissimę, quas hic recensere superuacaneum sit; vnus locus ad Asellam Virginem, quam exemplum pudicitiæ, & virginitatis insigne compellat, è portu Romano ad obtrectatorum calumnias detergendas huic quoque tempori, atque instituto nostro per quam accomodatus, inseretur. Multa me Virginum crebro turba circumdedit; diuinos libros vt potui nonnullis sępè disserui; lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduçiam fecerat. Dicant quid in me vnquam aliter senserint, quam Christianum decebat? pecuniam cuiusquam accepi? Munera vel parua vel magna non spreui? In manu meâ æs alienum insonuit? obliquus sermo, oculus petulans

tulans fuit? nihil mihi aliud obijcitur, nisi sexus meus, & hoc nunquam obijcitur nisi cum Hierosolymam Paula & Melania proficiscuntur. Antequam domum S. Paulæ nossem, totius in me vrbis studia consonabant. Omnium pœnè iudicio dignus summo Sacerdotio decernebar. Beatę memoriæ Damasus sermo meus erat, dicebar sanctus, dicebar humilis & disertus. Nunquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum? Nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmę, picta facies auri habuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ Matronarum quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atque ieiunans, squallens sordibus, fletibus propè cęcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpè deprehendit! Cuius canticum psalmi, sermo Euangelium, delicitiæ continentia, vita ieiunium. Nulla me potuit delectare nisi illa quam manducantem nunquam vidi! Sed postquam eam pro suę merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illicò deseruere virtutes. O inuidia primum mordax sui! O Satanæ calliditas semper sancta persequens! O si gentiles hanc vitam carperent, si Iudæi, haberem solatium non placendi eis, quibus displicet CHRISTVS. Nunc verò, proh nefas, nomine Christiani, prętermissa domorum suarum curâ, & proprij oculi trabe neglectâ, in alieno oculo festucam quærunt. Lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium. Hoc votum Epicuręorum est. Tibi placet lauare quottidie, alius has munditiеs sordes putat. Tu attagenem ructas & de comeso accipensere gloriaris, ego fabâ ventrem impleo. Te delectant cachinantium greges, me Paula Melaniaque plangentes. Tu aliena desideras, illæ contemnunt sua. Te delibuta melle vina delectant, illæ putant aquam frigidam suauiorem. Tu te perdere existimas, quod in præsenti non habueris, comederis, deuoraueris, illæ futura desiderant, & credunt vera esse quæ scripta

 sunt.

sunt. Esto ineptè & inaniter, quibus resurrectio corporum persuasit, quid ad te? Nobis è contrario tua vita displicet. Bono tuo crassus sis, me macies delectet & pallor. Tu tales miseros arbitraris, nos te miserabiliorem putamus. Par pari refertur, & inuicem nobis videmur insanire. At qui insanierint, qui sapuerint docebit extrema iudicij dies. Ante tribunal CHRISTI simul stabimus, ibi apparebit quâ mente quis vixerit. Expendat quæso attentius si quis est Lutheri Caluinique sectator, an supremo illo iudicij die, non multò malit à Hieronymi partibus stetisse, illiusque continentiam ęmulatum fuisse quam sese Lutheranę ac Caluinianæ doctrinæ, impudiciæque tradidisse. Quantâ verò continentiam suam Hieronymus humilitate munierit, quam de se submissè senserit, pulicem se & vltimum Christianorum dictitans, quam minimè lapsus suos celauerit, alibi dictum est. & ex ijs quę ad Chromatium scribit apertum est. Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo & ego lapsus sum ante susceptum baptismum, & vos non sine timore transistis. Et ad Heliodorum: Et hæc ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in littus timida nauigaturis voce denuncio. In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat, ibi ore virgineo ad pudicitiæ naufragia perpetienda scylla seu renidens libido blanditur. Et ad Pammа: primâ sibi virginitatem à primâ natiuitate adimens, secundam tribuit à baptismo, virginitatem autem in cœlum fero, non quia habeam, sed quia magis miror, quod non habeo. Ingenua & verecunda confessio est, quo ipse careas id in alijs prædicare. Nunquid quia graui corpore terræ hæreo, auium non miror volatus? nec columbam prædico, quod radit iter liquidum, celeres neque commouet alas. Nullus se decipiat, nullus blando adulatore se præcipitet; Prima est virginitas à prima natiuitate; Secunda virginitas, in quem sensum accipiunt quidam illud eiusdem: virginitatem non tantum efferimus, sed seruamus, ego magis

Apologia pro libris aduers. Iouin.

inter-

interpretor seruandam, docemus Epistolâ quæ inscribitur de custodiâ virginitatis. Vtinam quotquot è clero sumus secundam hanc à Sacerdotio castitatem heroicam Hieronymi exemplo, merito, ac patrocinio ad extremam vitæ diem seruemus illibatam. *Ad Eustoch.*



CAPVT XXIII.

De continentia Religiosorum & imprimis de instituto Religioso.



ONTINENTIAM illigari posse voto religioso, & Deo conseruari deinceps probandum est: sed antea cur generatim omne votum, ac speciatim institutum religiosum, vsque adeo auersentur & oderint hæretici breuiter indicandum. Nec mihi certior videtur afferri posse causa, quam institutorum vitę morumque dissimilitudo, quodque Epicuream sectam professi, non se CHRISTI, sed Antichristi discipulos exhibeant hęretici. Religiosi professione sua atque omni vita sunt humiles, modesti, simplices, sinceri, sobrij, casti, temperantes, abstinentiæ & temperantiæ studijs addicti. Hæretici autem arrogantes, superbi, contumaces, iracundi, simulati, gulæ ac luxuriæ dediti, in omnem effusi intemperantiam: neque mirum est si inter eos tantum est dissidium, quantum inter agnos & lupos. Re-

ctè ille negat maiores vllas inimicitias esse posse quam contrarias hominum opiniones, sententias & dissimilitudines studiorum ac voluntatum. Martinus Lutherus secutus Ioannem Wicleff, cuius damnatur articulus 2. in Conc. Constantiensi sess. 8 1. edidit librum de votis monasticis, quo scribit vota monastica esse impia, Gentilia, Iudaica, sacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, ac proinde cum fiducia reuocanda & deserenda, licet pia & seria intentione admissa fuerint; In Epithalamio ait eos, qui in monasterijs cœlibem vitam degunt, idolo Moloch sua corpora concremare. Statum religiosum nihil valere sed ethnicum, terrenum, secularem, ac veluti lutum esse: è contrario statum coniugalem spiritualem cœlestem, diuinum atque aureum existere. Caluinus ita denique rem omnem breuiter definit, vt monasteria velit esse lupanaria; vota monastica, retia sathanæ; monachos omnes, sophistas cucullatos, qui ab Ecclesia discessionem fecerint, & se totos diabolo consecrauerint. Hinc sequitur vota monastica, quibus coniuncta est manifesta impietas, non magis conscientiam ligare, quam magicos exorcismos. Qua ratione & formas sacramentorum, quibus illa conficiuntur, & salutationem Angelicam, & ferè verba cum Deo supplices agimus, magicos vocat exorcismos, vt non imperitè hac etiam de causa quispiam dixerit; Deum à Caluino in diabolum transformari. Melanchton Apolog. pro confessione Augustana, cap. de votis nunc opera Monachorum, nunc obseruationes fatuas, nunc hypocritas simulationes, nunc denique traditiones Pharisiacas & Mahumeticas appellat.

Lib. 4. instit. c. 16.

In Mat 14. v. 9.

Centuriatores denique. Vbi veterum aliquot Eremitarum res gestas breuiter attigerunt exclamant, quis non hęc hominum monstra execretur? vt inimicos humanæ societatis & contra totā secundam tabulam delinquentes. Quadrat in hos Iouiniani discipulos quod habet Ambrosius, quę istos Epicuræos noua schola misit non Philosophorum, vt ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptates prædicent, delicias suadeant.

4. Centuria c. 10.

Epist. 82. ad Eccles. Vercell.

Casti

Castimoniam nullius esse dicant vtilitatis, fuerunt nobiscum sed non fuerunt ex nobis, neque enim pudet dicere, quod dicit Ioannes Euangelista, intra monasterium nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationis licentia, hoc delicati non potuerunt ferre, abierunt, sanè ex monasterijs, prodierunt plerique hæresiarchæ, Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pelicanus, Munsterus, Musculus, OEcolampadius, Petrus Martyr, Okinus, & alij Monachi excucullati, aut Presbyteri abnegati, quare & in eos quadrat quæ S. Augustin. obseruat de Circumcellionibus. Insultant illi vobis de Monachis, primo si comparandi sunt, vos videte quid opus est vt verbis nostris comparentur ebriosi cum sobrijs, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis, sed tamen dicere consueuerunt, quid sibi vult nomen Monachorum, quanto melius dicimus nos quid sibi vult nomen Circumcellionum? quid Lutheranorum? quid Caluinianorum? Epicuræorum? qui se libertatis conscientiæ, id est, carnis causa segregarunt ab vnitate sanctæ Matris Ecclesiæ: nihil mirum si Monachi nomen oderunt, qui se ab vnitate separarunt; Ecclesia ipsa Monacha est, vnica, solitaria dilecto suo absque consorte. De Petiliano hæretico idem August. deinceps perrexit ore maledico in vituperatione Monasteriorum & Monachorum arguens etiam me quod hoc vitæ genus à me fuerit institutum, quod sanè magnæ fuisset laudi S. Augustino, sed hoc institutum Apostolicum esse & à CHRISTO Domino versante in terris emanasse, iamque ab ortu Ecclesiæ à primitiuis fidelibus obseruatum, demonstrant clarissimè recentiores & inter eos P. Hieronymus Platas plurima congerens Sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum in eius religiosi status laudem ac commendationem testimonia, totis tribus libris de bono status religiosi tam solidè copiosè eruditè atque eleganter, vt nihil ad dignitatem, vtilitatem, ac iucunditatem illius status plenius adijci possit. Est sanè thesaurus incomparabilis religio, aut

In Psal. 132.

ager

ager, in quo latet ille thesaurus absconditus rebus omnibus diuenditis comparandus. Schola est virtutum omnium & totius perfectionis Christianæ, in qua, si vspiam alibi, breui facilique compendio perdiscuntur vniuersæ. Cella vinaria in quam sponsa inducitur anima pia cœlesti mero inebrianda, scala Iacob, cuius cacumen cœlum tangat, quam ineant Angeli Dei ascendentes & descendentes, denique Paradisus terrestris, in quo postliminio reuocamur in beatum primæuæ innocentiæ statum, tum & Deus animo, & animus corpori feliciter imperat, in quo fons gratiarum aquę salientis in vitam æternam scaturit, & quatuor flumina virtutum theologicarum, fidei, spei, charitatis, & religionis, & moralium prudentiæ, iustitię, temperantiæ, ac fortitudinis latissimè exspatiantur ac restagnant.

S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 7.

Cum hominis perfectio sita sit in charitate, qua Deo summo bono & fini vltimo coniungitur, quæ charitas est vinculum perfectionis cum Deo nos religans, omnesque virtutes connexas continens, ad eam nulla excogitari potest expeditior via ac ratio quam quę continetur instituto religioso, qua remouentur omnia impedimenta, omnisque aliena, ac vana sollicitudo adimitur: id autem fit triplici abdicatione; nempe rerum omnium externarum voto paupertatis; corporis voluptatum ac deliciarum, voto castitatis; denique abnegatione sui ipsius proprij iudicij & voluntatis per obedientiæ votum; per eadem vota refręnatur cupiditas radix omnium malorum, quæ triplex est tribus vitijs capitalibus comprehensa, superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, quibus directè à fronte repugnant obedientia, paupertas, castitas. Tum vero per eadem vota perfectum exhibemus Deo gratissimumque holocaustum paupertate facultates ac fortunas externas, castitate corpus, animum obedientia Deo consecramus. Cum quis, omne quod habet, omne quod viuit omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est, dicit D. Greg. Quare spectari possunt vota hæc tria religiosa; tum ut apta dispositio, viaque

Hom. 20. in Ezech.

certa

certa ad charitatem; tum vt eiusdem eximij fructus & effectus, daturq; hic ille Philosophis notus regressus ab effectu ad causam; à causa, ad effectum. Accedit commoditas vacandi Deo & diuina fidei mysteria contemplandi, Sacramenta insuper Ecclesiæ, quæ sunt omnium gratiarũ fontes vberrimi, crebriùs & cum maiore pietatis sensu ac fructu percipiendi, quam hic status affert, opportunitas, præter alios fructus ac vtilitates à P. Hieronymo Plato diligenter expositas, vt planè existimem nullum homini Christiano posse maius in hac vita beneficium obtingere, hoc beneficio religiosę vocationis, quo innumera alia continętur. Quamobrem eo grauioris ingratitudinis malitiæq; obstinatioris damnandi sunt hęretici qui non ignorantia, sed deprauata malitia tam malè & insulsè declamitant de instituto Religioso, vt seipsos purgent, homines ingratissimi ac peruersissimi, qui tanto cum Ecclesię totius scandalo perfregerunt ipsi claustra suarum religionum, & in hæc sese pręcipitia hæreseos ac omniũ vitiorũ immerserũt. Verùm hoc nobis debet esse solatio, quod quẽadmodum olim aduersus hæreses Nestorij & Eutychetis nulli propè firmiores Catholicæ fidei propugnatores exstiterunt quã Ascetę religiosi, ita hoc quoq; seculo plurimi ex omnibus ordinibus religiosis, prodierunt aduersus hęresum monstra scriptis & exemplis egregiè decertantes. Quod in simili argumento scribit S. Augustinus solatij quoque nostri causa possumus adferre, simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meã, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores quam qui in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores quam qui in monasterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum, iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc; quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari; Vnde apothecæ Dominicæ

Epist. 137. ad Hipponenses.

fructu olei luminosioris implentur. Noli, ait Hier. respicere Iudam negantem, sed Paulum respice confitentem, plus cõfirmare debent multi Pauli, quam vnus Iudas absterrere. Cũ votum nihil aliud sit quàm religiosa promissio maioris excellentiorisq; boni libera voluntate, quid est quod hęretici tantopere illud detestentur, cum maximè eius impletio diuinę gratię potissimum tribuatur accepta; fœlix necessitas, vt quidam sanctorum ait, quæ ad meliora compellit, ille cuius nomen reticet S. Bernardus est S. Augustinus, sed & ipsa scriptura ad vota suscipienda nos adhortatur: *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum; subjce humerum tuum & porta illam, & ne acedieris in vinculis illius. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis & bases virtutis.* Mirum id videri possit & insolens, vt cum vinctis pedibus & colligatis nemo ambulare queat, animi tamen pedes si vinciantur, longè celerius ac beatissimo cursu ad Deum euolent; de quibus exclamare liceat cum Cypriano: ô pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Deum diriguntur, nam & Religiosum institutum genus est quoddam martyrij. Felices omnino catenæ & optanda vincula, quæ scriptura non catenas sed torques appellat, quod collum ornent potius quam ligent: Non enim ferreæ & duræ, vel seruiles catenę sunt; sed aureæ, nobiles & suaues, quę hominem non onerant, sed honorant, nec libertatem imminuunt, sed augent potius & conseruant: fælices compedes quæ celerem & expeditum ad Deum beatamque vitam cursum non impediunt, sed promouent.

Bern. de praecepto rum dispensatione.
Aug. ep. 45 ad Armẽtarium.
Eccl. 6. v. 25. 30

CAPVT



CAPVT XXIV.

Mendaces Caluini calumniæ aduersus huius temporis ordines religiosos.



E prolixior sim in Caluini textu mendacijs & calumnijs, sed inuolutis, scatente, retexendo; breuiter singulas calumnias ordine digeram.

Prima, fuisse olim in monasterijs, longè aliud viuendi institutum, ne quis antiquitate, & temporis præscriptione Monachismum hodiernum tueatur; aliam tum fuisse Monasticam professionem, cucullatos nostros ad professionis suæ defensionem primæ Ecclesię exemplum prætexere; quandoquidem ab illis non minus differant, quam simiæ ab hominibus. Audax dictum, sed nullo teste probatum, nullo verosimili iudicio atque argumento confirmatum; hoc institutum vitæ religiosæ, atque, vt loquuntur, essentia monasticę professionis obseruationis trium votorum Paupertatis, Castitatis, Obedientię continetur: quæ vt in primitiuâ viguit Ecclesiâ, atque à CHRISTO Domino & Apostolis sumpsit originem; ita hodieque perseuerat in ordinibus religiosis, hodieque vitam religiosam professi, hoc triplici abnegatione opum, voluptatum, atque honorum sæculi, ad perfectæ charitatis culmen

adſpirant. Eandem reliquæ diſciplinæ rationem antiquitus, quæ modo viget, fuiſſe, ieiuniorum, orationum, pſalmodiæ demonſtrare perfacilè foret, ſed quę Caluinus ipſe diſcrimina proferat, quaſque primæ calumniæ probatrices, alias calumnias ingerat, inſpiciamus.

Secunda igitur quod eſſent Monaſteria olim ordinis Eccleſiaſtici ſeminaria, & pij homines ad ea ſe conferrent, vt ad Eccleſiæ gubernationem monaſticâ diſciplinâ ſe compararent, citatis teſtibus, Nazianzeno, Baſilio, Chryſoſtomo, qui & alij præſtantes eâ ætate viri è monaſterijs ad Epiſcopale munus ſunt euocati. Valdè ambitioſi, & honorum cupidi fuerint; ſi hoc fine ad monaſteria ſe contulerint, imò verò vt Epiſcopatum effugerent, in vltimas ſolitudines ſe abdebant; illi ipſi quos laudat; non niſi per vim è monaſterijs abducti ſunt, cæterique præſtantes viri latere, & Deo ſolitariè viuere peroptabāt, quâ fronte citat eos Patres, qui toti ſunt in laudibus & commendatione vitæ monaſticæ. Nazianzenus ſe viuo Epiſcopum loco ſuo ordinans ruri vitam Monachi exercuit. Non hortaretur Monachos Inſulæ Caprariç S. Auguſtinus ad Eccleſiaſtica munia ſuſcipienda, vrgente Eccleſiæ matris neceſſitate, niſi ab ijs ipſi amore ſolitudinis abhorrerent. Et quid ſunt pauci numero Epiſcopi è monaſterijs aſſumpti, ad infinitas propè myriades Monachorum? Quid item de Virginum Aſceterijs reſponſi det Caluinus? nunc quoque ex Monaſterijs quandoque aſſumuntur Epiſcopi, & quidam Clerici, ijdem ſunt Religioſi: laudatur à S. Ambroſio Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, quod ab ſuis duo pariter exigeret, & monaſterij continentiam, & diſciplinam Eccleſiæ.

Ep. 82. ad Vercell.

Tertia calumnia. S. Auguſtinus, cum ſanctum & legitimum Monachiſmum nobis deformat, omnem rigidam exactionem earum rerum voluit abeſſe, quę nobis verbo Domini liberæ relinquuntur. Immemor valdè ſui eſt Caluinus, qui paulò ante memorarat ſummam auſteritatem, & patientiam, apud

apud Monachos fuiſſe, qualis ſub Licurgi legibus ferunt fuiſſe, Lacedemoniorum diſciplinam, adeoque rigidiorem. Humi dormiebant, potus erat aqua, cibus, panis, herbæ & radiculæ præcipuæ lautitiæ, in oleo & ciceribus; vbi hęc Dei verbo pręcepta? Quo Dei verbo non maximè liberum relinquitur, vt contemptis mundi illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul vitam agant, in orationibus, lectionibus, diſputationibus? Nemo quicquam proprium poſſideat, operetur quiſque manibus, victum parandi cauſa, opus ſuum tradat Decano, Decani rationem reddant ei quem vocant Patrem; conueniant extremo diei tempore, dum adhuc ieiuni ſunt ad audiendum illum Patrem, terna vt minimum hominum millia, corpus deinde reficiant, quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coercente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat, vel in eâ ipsâ quæ præſto ſunt parua & viliſſima. Quæ, aliaque ex libro de moribus Eccleſiæ & de opere Monachorum retulit Caluinus, nec ex alijs auctoribus eadem colligeret, quorum auctoritate, ac teſtimonijs apertius vrgaretur, S. Auguſtinus Pſalm. 75. & 99. de votis religioſis, mox eundem producemus.

Quarta, hodie ſcelus inexpiabile eſſe ducunt, ſi quis in colore aut ſpecie veſtis, ſi quis in genere cibi, ſi quis in alijs frigidis & friuolis cæremonijs, vel minimum à præſcripto deflexerit. Veteribus non defuiſſe certam ſpeciem & formam veſtitus ex eorum monumentis apertum eſt. D. Dionyſius. Sacerdos ſigno Crucis eum conſignatum tondet, omnique veſte detracta, eum alia induit, vt nempè morum ac vitæ ſignificetur mutatio, quod Paulino Hieronymus: Tunicam mutat cum animâ. Vidi quoſdam qui poſtquam renunciauere ſæculo, veſtimentis dumtaxat & votis, profeſſione, non rebus, nihil de priſtinâ conuerſatione mutauerunt. Ad Euſtochium. Omnium Cœnobitarum eundem fuiſſe habitum, tunicam, & ſagum; addit de vitâ Hilarionis, cucul-

C. 6. Eccleſiaſt. Hieron. Epiſt. 13.

lum, de quo & Cassian. Hinc Chrysostomus, ait Monachos habitu imitari Eliam & Ioannem. Basilius pluribus explicat cur sua cuique religioso vestis accomodata conueniat, & Senatorum alia vestis est, alia militum, alia nobilium, sed non probabit Caluinus scelus inexpiabile censeri, si quis discrepet in colore vestis, aut alijs cæremonijs, quæ iustâ de causâ possunt omitti vel immutari, exempli causâ cum inter hæreticos habitu dissimulato versandum est.

Homil. 69. in Monac. q. 22. & fusè disput.

Quinta, S. Augustinus fortiter contendit non licere Monachum de alieno otiosus viuere; Tale exemplum suo tempore extitisse negat bene constituti Monasterij; nostri præcipuā sanctimoniæ suæ partē in otio collocant, nam si otium demas, vbi erit illa contemplatiua vita, quâ se alios omnes excellere, & ad Angelos propius accedere gloriantur. Aduersus eos qui dixerant non licere Monachis operi manuum insistere, scripsit S. Augustinus librum de opere Monachorum: (nihil est enim bene institutum ab Ecclesia, quod non ab aliquo Sathanæ ministro fuerit reprehensum) nō eo fine, vt probet magis eos teneri, ad opus manuū quā sæculares: Aut enim est præceptum, & id demum vrget vrgente fame, aut otij vitandi, & tentationum superandarum gratiâ; & tum sæculares eo quoque tenentur; aut est consilium, sed non omnia consilia seruanda susceperunt Religiosi, ex specialibus regulis suis possunt quidam Religiosi adstringi ad opus manuum; Atqui verbum Dei & Sacramenta ministrant; ex oblatis honorarijs, stipendijs, si non ex iustitiâ certè ex charitate ~~tolerare possunt~~: ex bonis item communibus à se collatis, vt excipit S. Augustinus eos qui in sæculo diuites fuerunt, & sua omnia pauperibus sunt elargiti. D. Benedictus, bona quæ erant Monachorum non sinebat alio deriuari, vt multos Dei seruos alere posset; ex vitâ S. Placidi. Ostenditur terra quæ cum illo & pro illo data dicitur. Bernardus Ep. 1. ad Robertum. S. Thomas opusc. 19. c. 5. Possunt mendicato quoque viuere ex eleemosynis, ad exemplum CHRISTI Domini, & Apostolorum

Subsidia sua [illegible] possunt

lorum, quibus piæ mulieres ministrabant de facultatibus suis otium contemplationis maximè negotiosum est negotium, cum Deo versantium, de quo frustra cauillatur Caluinus.

Sexta, Augustinus Monachismum requirit, qui nihil aliud sit quam exercitium adiumentumque ad pietatis officia, quę Christianis omnibus commendantur, imò summam vnicamque eius regulam facit charitatem Dei & proximi; Nostri minimè eâ contenti, nescio quam nouam imaginantur, cuius meditatione sint omnibus alijs perfectiores; verè nescit quam nouam sibi pietatem imaginantur, nullam & nouam imaginantur; nec aliam sibi propositam habent, quam perfectionem charitatis; ad quam abdicatione opum, honorum, voluptatum; obseruatione votorum ac regularum adspirant. Neque aduersatur CHRISTO Apostolus, qui absque charitate, negat bonorum omnium distributionem in pauperes quicquam prodesse; Non enim ipsa paupertas est perfectio, sed via ad illam; extirpatio cupiditatis omnis via est cōpendiosa ad perfectionem charitatis; quare ad omnes Caluini tergiuersationes duobus verbis optimè respondet S. 2.2 qu.
Thomas, perfectionem Christianam essentialiter consistere 184.a.3.
in obseruatione præceptorum: instrumentaliter in obseruatione consiliorum. Varij autem sunt modi, & gradus in obseruatione pręcepti charitatis. Quod vita religiosa perfectior sit, quam sęcularium, discat Caluinus ex Augustino Magister bonus mandata legis, ab istâ excellentiore perfectione distinxit; Ibi enim dixit, si vis ad vitam ingredi, serua mandata; hic autem, si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes. Epist. 89. ad Hil.

Septima. Vitam monasticam nusquam esse, vel vnâ syllabâ à Domino approbatam; at contra asseuerat S. Augustinus §. 11.
iam proximè citatus. Chrysostomus. Tanti est philosophia à CHRISTO introducta copiosissimè. Platus c. 2. 20. demonstrat Religiosum statum ab ipso CHRISTO institutum

tum fuisse, & in ipsis primum Apostolis viguisse.

§. 11. Octaua. Nulli vnquam veterum venisse in mentem, dicere CHRISTVM aliquid consuluisse; sed omnes vnâ voce clamare nullam penitus voculam à CHRISTO emissam, cui non sit necessario obtemperandum. Hoc impudentissimum est mendacium, ait Bellarminus, ipse enim Caluinus nullum adducit testem ad suam sententiam confirmandam, nos autem in sequenti quæstione adducemus omnes veteres, qui vnâ voce clamant multa esse consilia Euangelica. Caluinistis omnia sunt præcepta, sed seruatu difficillima, imo impossibilia, nulla sunt opera supererogationis, sed omnia peccata concupiscentiæ labe contaminata, sed Dei benignitate non imputantur ita Deus illos amat.

C.6. l. 2. de Mon.

Nona. Ait Monachos, vt videantur alijs perfectiores, promittere se consilia Euangelica seruaturos, de diligendis inimicis, de non appetendâ vindictâ, de non iurando, quibus communiter Christiani astricti non sunt. At neque isti Monachi vouent, neque sunt consilia, sed præcepta quibus omnes astricti tenentur; consilium esse poterat de alternâ maxillâ percutienti porrigenda de ieiunio, oratione, eleemosynâ crebrius vsurpandis, cum nulla necessitas vrget.

§. 14. Decima. Patres nihil minus cogitasse, quam stabilire eiusmodi perfectionem, quæ postea à cucullatis Sophistis fabricata fuit; Nondum enim natum erat sacrilegum dogma, quod professionem Monastices Baptismo comparat, imò asserit formam esse secundi Baptismi, à quâ blasphemia quis dubitet Patres toto animo abhorruisse. Cur igitur vel vnum non producit, Galeratus hæresiarcha, à Luthero cucullato secundus; & quâ demum ætate natum sit istud dogma, nostrane, an Patrum nostrorum, nos edocet? Est inter Baptismum & professionem religiosam similitudo quædam, quod sicut in Baptismo renuntiamus diabolo, & pompis eius, nouamque vitam inchoamus; ita in professione religiosa renuntiamus sæculo, multisque alioquin licitis voluptatibus,

luptatibus, ad nouam vitam inchoandam & in Baptiſmo remittuntur omnia peccata, quoad culpam, & pœnam: ita in profeſſione piè creditur remitti omnis pœna, quæ ſupererat exſoluenda, nemo tamen æquiparat illam baptiſmo, qui non pœnam modo, ſed & culpam condonat: nec veretur S. Thomas aſſerere profeſſionem eſſe alterum Baptiſmum, neque id nouitium eſt inuentum, S. Athanaſt. in vita Sancti Antonij narrat illum in viſione ab Angelis audiuiſſe, remiſſa ſibi omnia peccata, ex quo Monaſticam vitam ſuſcepiſſet. S. Hieronymus de obitu Bleſillæ: cum propitio CHRISTO ante quattuor menſes, ſecundo ſe quodammodo propoſito baptiſmo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo ſemper Monaſterium cogitauerit. Plenius Bernardus libro de præcepto & diſpenſatione eius dogmatis rationem reddit. Audire & hoc vultis, à me, vnde inter cætera pœnitentiæ inſtituta Monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt ſecundum Baptiſma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi renuntiationem, & ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quæ præeminens vniuerſis humanæ vitæ generibus, huiuſmodi conuerſatio profeſſores & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; imo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos CHRISTO, inſtar Baptiſmi, & quaſi ſecundo denique baptizamur, dum per id quod mortificamus membra noſtra ſuper terram, CHRISTVM induimus, complantati denuò, ſimilitudini mortis eius. Idem Bernardus ait laborem Monaſticum genus eſſe martyrij, at martyrium genus eſt Baptiſmi. Ringatur licet Caluinus, vberrimè id demonſtrat Platus l. 1. c. 13.

2.2 qu. vlt a.3.

Ep. 25.

Serm. 30. in Cant.

Vndecima, & duodecima calumnia. Apud veteres Monachos illud extremum fuiſſe dicit Auguſtinus, vt ſe totos ad charitatem accomodarent. At res ipſa loquitur, omnes qui in cœnobia concedunt diſceſſionem ab Eccleſiâ facere; res ipſa loquitur Caluinum calumniari: nam quî id probat?

duplici calumnia. An non se à legitima fidelium societatẽ separant, peculiare sibi ministerium, & priuatam Sacramentorum administrationem adsciscendo? Veteres tametsi separatim habitabant, non tamen habebant separatam Ecclesiam, Sacramenta participabant cum alijs, ad solennes conuentus se sistebant; illic pars plebis erant: At quot sunt hodie Monasteria tot esse dico Schismaticorum conuenticula. Dicit, sed non probat. Mentitur dum veteres Monachos non habuisse ait proprias Ecclesias, altaria & Sacramenta. Nam cum procul ab vrbibus habitarent olim Cœnobitæ; habebant singula Monasteria, Presbyterum, Abbatem, vt teste sunt S. Augustinus, Cassianus & alij, Epiphanius Epistola ad Ioannem Hyerosolymitanum, Paulianum à se ordinatum scribit Monasterij Boethlemitici, quod Hieronymus prę humilitate refugeret fratribus Sacramenta ministrare. Mentitur iterum Religiosos peculiare sibi ministerium, & priuatam Sacramentorum administrationem adsciscere. Nam apud ipsos Religiosos priuilegio hoc fruentes maximus est omnis generis fidelium concursus ad Dei verbum audiendum & vsurpanda Sacramenta; sed quid officit locorum diuersitas, & distantia vbi eadem est animorum, fidei, spei, charitatis Sacramentorumq; communicatio sub eodem summo Pontifice Ecclesiæ capite, CHRISTI Vicario, quem omnes agnoscunt ac venerantur. An quot sunt vrbes, quot Parœchiæ, nouorum Euangelistarum, tot sunt Schismaticorum conuenticula? omnino, cum nec inter se, nec cum vno capite conueniant. Denique ait Caluinus, ne pudeat religiosos in eo gloriari quod summè execratur Paulus, nisi fortè CHRISTVM fuisse à Corinthijs diuisum arbitramur, cum alias alio Doctore superbiret, & nunc sine vllâ CHRISTI iniuriâ pro Christianis, alios Benedictinos, alios Franciscanos, alios Dominicanos vocari audimus. Mentitur iterum non semel pro Christianis; nam emori malint omnes, quam non se Christianos

Lib. de moribus Ec. 31. 33. Ep 81. ad Ludoxum Abb.


nos profiteri, quod cum ceteris fidelibus commune illis est, sed Christianos se religiosos ordinis Benedictini profitentur; & Corinthij non tam Doctore, quam Baptismi ministro gloriabantur, opinantes vim Baptismi pendere à ministri sanctitate, quare quot Baptismi ministros, tot diuersa Baptismata statuebant, tot fides, tot Ecclesias, aut certè de suis prædicatoribus temere iudicabant, alios alijs præferentes; At Religiosi tametsi suos institutores magni æstiment, vti par est; non tamen alios alijs anteferunt; quod si quis imperitus agat, in totum ordinem ea iniustitia vitius cuiuspiam redundare non debet: neque inde conficitur eos ab Ecclesiâ discessionem facere. Hæc de institutis: de moribus quanta sit discrepantia, quid attinet sigillatim exponere? hoc constat nullum esse hominum ordinem, magis exitiorum turpitudine inquinatum, nusquam magis feruent factiones odij, studia partium, ambitus, In paucis quidem cœnobijs pudicè viuitur, si pudicitia vocanda est, vbi eatenus exprimitur libido, ne palam sit infamis. Decimum tamen quodque vix reperias, quod non lupanar sit potius quam castitatis sacrarium. At in victu qualis frugalitas; non aliter porci in haris saginantur, & tamen nihil à se dictum accusatoriè; planè nihil accusatoriè, sed omnia maledicè, accusatio enim ait Orator, crimen desiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teste confirmet, maledictio anteà nihil habet propositum præter contumeliam, quæ si petulantius iacitur conuicium, si facetius vrbanitas vocatur, non vrbanus sed maledicus planè conuiciator & calumniator est Caluinus, qui prçter verba contumeliosa nihil adfert quod scribit, hoc constat, res loquitur, Monasteria omnia lupanaria sunt, haræ porcorum, probet exemplo, confirmet testimonio; Pudeat Asseclas Caluini huius Magistri sui maledicentiæ, nos verò quos tam eximiæ religiosæ vocationis beneficio cumulauit Deus, Au-

Aug. to. 58.

ctore Thoma à Kempis, ad perfectioris vitæ studium, aliorum exemplo nos excitemus.

Quomodo faciunt tam multi alij religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplinâ claustrali, rarò exeunt, abstractè viuunt, pauperrimè comedunt, grossè vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & se in omni disciplinâ custodiunt. Attende Carthusienses, Cistercienses,& diuersæ religionis Monachos & Moniales, qualiter omni nocte Domino assurgunt. Ex hæresum malo id quoque Deus pro sua bonitate commodum elicuit, vt quam plurimi ordines religiosi nouum spiritus feruorem conciperent; & sua vetustate collapsos ordines redintegrarent: quamplurimi autem tum Clericorum, tum Monachorum noui penitus excitarentur ac fundarentur; vt non tantum verbis, sed factis atque exemplis damnatæ diaboli ac Epicuri sectę confunderentur. Nunc probare aggredior

CAPVT





CAPVT XXV.

Continentiam Deo deuotam, & generatim opus omne virtutis, quod ex voto perficitur, ad Dei cultum pertinere.



VTHERVS & Caluinus Epicureæ scholę noui Magistri tradunt nulla ad Dei cultum vota edi posse, nisi de rebus præceptis; quare vnum esse fidelium omnium commune votum promissionem factam in baptismo. Religiosorum vota inania, impia, irrita, & omnino soluenda; tum quòd fiant cum opinione cultus diuini; tum quod de rebus minimè præceptis. De his tamen rebus non præceptis quædam aliquando fieri vota posse, modò non ad colendum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis, verùm ad vitæ huius negotia facilius expedienda, ad euitanda peccata, ad alios honestos fines, exempli causa, ait Caluinus, qui sæpius in ebrietatem labitur, rectè aget, si voueat triduo se aquam bibiturum: quomodo tempore Apostolorum viduę vouebant continentiam, vt expeditius fungerentur munere diaconissarum. Hæc illi nullo nixi fundamento; nam quis honestior finis adijci possit voto vel suscipiendo, vel obseruando quàm cultus & *Lut. lib. de votis monast. & Caluin. lib. 4. Insti. cap. 3.*

honor Dei, quàm peccatorum expiatio ? quàm diuinæ gratiæ conciliatio ? cur non æquè de re non præcepta ac præcepta, si tamen honesta, votum suscipi queat ? Contra igitur docent Orthodoxi, omne opus virtutis quod ex voto suscipitur etsi alioquin minimè præceptum, verè & propriè ad Dei cultum pertinere. Atque in primis continentiam ex virtute religionis Deo offerri ac consecrari, eatenusque obseruari posse ac debere. Prior pars assertionis probatur.

1. Vouere rem Deo gratā & ex voto exoluere, actus est religionis; quâ virtute colitur Deus, vt à Christianis præstandum tantò ante prædixit Isaias: *In illâ die cognoscent Ægyptij Dominum & colent eum in hostijs, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* (Isai. 19. 21.) Quæ posteriora verba priorum explicationem continent, cum votum sit promissio Deo facta. Implere votum est Deo datam fidem seruare, quod illius numen est colere, & honorare, duplici ratione: tum promissionem illam faciendo, quâ par est cum obseruantiâ: tum verò illam implendo & exoluendo. Honoris eius causa quàm fieri potest exactè & accuratè. 2. Iuramentum est cultus Dei, etsi fiat de re non præcepta ergo & votum: nihil enim magnopere interest inter iuramentum & votum, nisi quod iuramentum fiat homini, & ad fidem conciliandam Deus aduocetur in testem: votum sit promissio facta Deo, quæ tamen & ipsa iuramento confirmari possit: & tum duplex obligatio contrahitur, duplicique ratione cedit in honorem Dei, cuius auctoritas & maiestas interponitur. Vt vouere vel iurare falsis dijs inuocatis sacrilegium est, ita vero Deo sacrificium, ac religiosi cultus exercitium. 3. Exemplis scripturarum. Non solent ferè vota concipi nisi de rebus non præceptis, quę sine peccato possint omitti. *Si nolueris polliceri absque peccato eris.* (Deuter. 23.) Eiusmodi votum vouit Patriarcha Iacob: *Si fuerit Dominus mecum, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Non erat res præcepta, vt lapis erectus foret, ara

&

& altare, nec vt Iacob decimas deinceps offerret. Eiusmodi item Rex Propheta Dauid de extruendo templo votum vouit Deo Iacob. *Psalm. 132.*

Eiusmodi vota complura leguntur de rebus non præceptis, Leuit. 27. ea verò diuino numini placere perspicuum est, quòd Deus seuerissimè solutionem eorum exigeret. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labijs tuis obseruabis &c.* Posterior pars assertionis de continentia ex priore deducitur & copiosissimè probatur ab Illustrissimo Bellarmino. Ex scriptura, ex Concilijs, ex responsis Pontificum, & Imperatorum. Ex testimonijs SS. PP. denique ratione, quæ cum sint certissimæ, & exploratissimæ probationes, nihil est, quod à me repetatur. *Leuit. 27. Num. 6. & 30. Deuter. 12. & 23. Psalm. 75. 12. Lib. de Monac. cap. 22. 23. 24. 25. 26. 27.*

Commentum illud Petri Martyris. Votum ad Mosaicas cæremonias pertinere, præclarè confutat Bellarm. Nam votorum nuncupatio propria planè est legis Euangelicę, ac gratiæ; cui consilia perfectionis quodammodo erant reseruata: quorum inchoatio quędam sacratissimæ Virgini, perfectio autē & absolutio CHRISTO Domino sit attribuenda. Copiosè de votis tractat S. Aug. in illum versum: *Vouete & reddite*, alius vouet castitatem coniugalem: vt præter vxorem non nouerit aliam: alij etiam vouent, etsi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil inde concupiscere, nec sustinere, & ipsi vouerunt aliquid maius quàm ille. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale experiantur, quale experti sunt, & reliquerunt, & isti vouerunt plurimùm. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum votum vouit, in Psalm. 99. qui non perseuerarit implere quod vouit, *Cap. 17. Ps 75. 12.*

sit

sit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Item in Psalm. 75. Nescio quæ castimonialis nubere voluit, quid voluit? quod & mater ipsius: aliquid mali voluit? mali planè: quare? quia vouerat Domino Deo suo. Quod cuiquam antequam vouisset licebat, cum id se facturum vouerit, non licebit, si tamen id vouit quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas. Pleraque ex his votis sunt de rebus non præceptis; primum de castitate coniugali est de re præceptâ. Sed obserua huc duobus modis votum fieri posse: de re præcepta vno modo, si cui non sufficiat hæc obligatio præcepti, sed insuper nouo vinculo se velit astringere, quod vinculum affert Religionis virtus: duplexque tum erit vinculum præcepti & voti nuncupati: quemadmodum & tertium adijci potest vinculum iuramenti. Alio modo si vouendo non intendat nouum vinculum inducere, sed tantùm declarare & agnoscere debitum quo iam antea tenebatur. At si quis creditori debitor promittat solutionem, non vult nouam ac diuersam sibi obligationem imponere; Atque hoc posteriori modo intelligendum est votum, quod fit ab omnibus in baptismo, dum spondent renuntiaturos se sathanæ, & pompis eius: ad quod lege naturę tenemur omnes; sed infideles eam obligationem non agnoscunt, baptizati se agnoscere & implere velle profitentur. Eadem ratione videtur S. Aug. quandoque sumere largiore sensu votum. Quid debemus vouere? credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum communem modum. Est enim quidam modus omnibus communis: furtum non facere, adulterium non facere, non amare vinolentiam, non superbire, non hominem occidere, non odisse fratrem, nec aduersus aliquem texere perniciem. Hoc votum omnes vouere debemus. Votum sumitur largè pro desiderio, aut certè vt non inducat nouam obligationem, cum eiusmodi sponsiones & promissiones nō adferant nouam obligationem: sed priorem tantùm confirment; nouam quoque culpam non inducunt,

sed

Lib. de adult. coniug. c. 14.


Psal 75

ſed priorem aggrauant, quâ ratione peccatum ſcientis, & eius qui ſe debitorem agnouit, grauius eſt quàm ignorantis. Ita non admittunt Chriſtiani duplex peccatum contra Dei legem & contra votum; ſed dumtaxat hęc voti ſeu ſponſionis concomitantia eſt circumſtantia quædam aggrauans. Sicut & veritatis cognitio iuxta illud D. Petri. *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reuerti ab eò quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Quoddam tamen votum, ſtrictè ſumi ab Aug. & obligationem nouam inducere apertum eſt ex eodem Aug. iam ante allegato. Quod obijciunt aduerſarij ex Apoſtolo de cultu voluntario ſeu ἐθελοθρησκείᾳ, quam interpres noſter reddit ſuperſtitionem; SS. PP. ſimulatam religionem interpretantur, cuiuſmodi videtur eſſe omnis cultus non præceptus, ſed propriâ voluntate ſuſceptus, id facile diſſoluitur. Non enim Apoſtolus appellat cultum voluntarium omnes actiones, quę non ſunt à Deo præceptæ, ſed quæ non ſunt à Deo probatæ, nec conſentaneæ ſanctis Scripturis, aut Patrum traditionibus, verùm ſuperfluę, inanes, nullo fundamento nixę, proprij iudicij atque arbitrij. Non eſt propria voluntas, quæ charitati famulatur, quę charitas communis eſt Eccleſiæ totius voluntas. Talis erat ſuperſtitio Iudęorum, qui religionem ſtatuebant in numero lotionum, quod & modò Turcæ factitant. Loquitur Apoſtolus de quibuſdam, qui ex inani ſuperſtitione abſtinebant à quibuſdam cibis velut naturâ ſuâ immundis, in eoque ſuam collocabant religionem, ſi eos cibos nunquam attingerent, alioquin omnis ſcriptura commendat actiones virtutis & pietatis, quæ ſunt in conſilio, & ſupererogationis appellantur, ex illo Samaritani dicto. *Quodcunque ſupererogaueris, reddam tibi.*

2. Pet. 2.21.

Ad Coloſſ. 2.

Luc. 10. 35.



CAPVT XXVI.

Præstantiorem esse & Deo gratiorem continentiam adiuncto voto firmatam.



VIRGINITATEM S. Thom. eatenus dumtaxat esse specialem virtutem admittit, quatenus
2.2.q. importat propositum voto firmatum integritatis
152 a. perpetuò seruandæ, inquantum id fit ad vacan-
3. ad 4. dum rebus diuinis, nec nos, inquit, S. Aug. hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines sunt, sed quòd Deo
C. de S. dicatæ, piâ continentiâ virgines. Per virginitatem, Integritas
Virgin. carnis ipsi creatori animę & carnis vouetur, consecratur, seruatur. Et alias nulla fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest, neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur. Et per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet ac seruat continentia pietatis. Cæterùm non hortaretur nos Spiritus sanctus per scripturas ad vouendum Deo, nisi per votum magna fieret accessio meriti ad continentiam. Vouete
Psal 75. & reddite. Quo testimonio permotus S. Aug. sępe & ipse
Ep. 4. ad ad vouendum hortatur. Non igitur dubitandum, quin præ-
Armu-men 85. stantius sit, Deoque gratius, & ad meritum cumulatius Deo
ad Hy- vouere, quàm absque voto continentiam seruare. Quis am-
lar. 143. bigat quin id perfectius sit, Deoque acceptius, quod ex plu-
ribus

ribus virtutibus oritur atque offertur? At continere sine voto, est solius temperantiæ: adiuncto voto temperantiæ simul & religionis: quæ religio si imperatur à charitate, tertium accedet meritum charitatis, quæ vtraque virtus religio & charitas temperantiâ longè est prestantior, eminentioris gradus atque ordinis. Deinde quod fit ex voto, ex maiore fit liberalitate, & aduersus Deum ardentiore charitate, quæ liberalitatis est origo. Nam qui sine voto bonum opus præstat, & offert Deo, nihil preterea offert. At qui ex voto præstat opus bonum & ipsam facultatem offert, quod hâc similitudine commodè explicat D. Ansel. plus donat, qui arborem cum fructibus, quàm qui solos fructus donat. Denique id præstantius habendum, quod ex voluntate magis in bonum confirmatâ progreditur, vt peius est ex voluntate in malum obfirmatâ peccare: ita melius rectè agere, ex stabilitâ ac firmatâ voluntate per votum. Priores mali similes sunt damnatis, obstinatis in malo, posteriores beatis in bono confirmatis. Postremò plurimùm confert votum emittere aduersus omnes hostis maligni insultus ac tentationes, ipsamque humanæ voluntatis imbecillitatem, inconstantiam, & mutabilitatem; vt videmus eos, qui secandi sunt à chirurgis velle ligari; ita creditur Isaac immolandus à parente Abraham priùs sua voluntate ligatus ac strui lignorum impositus fuisse. Nullum sane scutum fortius aduersus hostis nostri iacula, quam emissi voti repetitio est ac recordatio. Hinc tollitur omnis deliberatio, & voluntatis commutande ratio, si semel se Deo nuncupato voto obstrinxerit. Felix necessitas quæ ad meliora compellit, vt desperant proci virginem ambire, quam alteri nuptam conspexerint; sic hostes impugnare eum, qui se Deo votis obstrinxerit. Sed hinc obijcere quispiam possit, opera quæ fiunt ex necessitate, non sunt tam præstantia, quàm quæ fiunt ex libertate: votum verò necessitatem affert & libertatem adimit, certè imminuit. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit*

ad Iuliān. l. de bono viduit. 14 l. de S. Virg. cap. 24. & 30.

l. de Similit. c. 84.

2. Cor. 9. Psal. 33.

diligit Deus, & voluntariè sacrificabo tibi. Responsio facilis est. Necessitas quam affert præceptum aut votum nihil officit arbitrij voluntati, cum sit alterius generis non naturalis sed moralis, quâ nihil obstante semper liberum est obseruare præceptum aut votum perfringere. Necessitas est non absoluta, sed ex hypothesi, quam sibi quis voluntariè imposuit; nec ea imminuit sed potius auget laudem boni operis, cum non sit necessitas coactionis, quæ vim afferat, nec absoluta consequentis, vt loquuntur, sed consequentię ex hypothesi. Potest fieri vt non minori, imò longè maiori quis promptitudine atque alacritate peragat opera ex præcepto aut voto necessaria, quàm planè libera ac soluta. Quam promptitudinem etiam Dauid experiebatur. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs*. Hoc illud est, *voluntariè sacrificabo tibi; vota mea reddam in conspectu timentium eum, &c. Lætatus est populus cum vota sponte promitteret*, quoniam corde toto offerebat ea Domino. Non ex tristitia, dummodo nec votum, nec materia voti displiceat, aut ex necessitate, quę proueniat ab externo principio, sed ab ea lege quam sibi priuatim quis imposuit. *Hilarem datorem diligit Deus*, non tantum in eleemosynis erogandis, verùm etiam in votis exsoluendis. Hâc eâdem ratione intelligitur dictum illud Hieronymi in Iouin. maioris esse gratiæ offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigeris. Et illud Prosperi, ne non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus; & similes cæterorum PP. sententiæ de necessitate extrinseca, quæ vim afferat voluntati non præcepti, aut voti.

Psal. 118.

1. Paralip. vlt.

L. 2. de vitâ contem. c. vlt.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Neminem esse qui non poßit offerre Deò votum continentiæ.



DVERSVS hoc pronuntiatum obijciunt aduersarij quatuor præcipua Scripturę testimonia. Vnum: *Nemo potest esse continens nisi Deus det.* Alterum: *non omnes capiunt verbum hoc, sed qui-* Sap.8.
bus datum est; qui potest capere capiat. Tertium:
Volo omnes homines esse sicut meipsum. Sed vnusquisque pro- Mat.14
prium donum habet ex Deo, vnus sic, alius autem sic. Et infra:
Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, habens Cor.7.
autem potestatem suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Quo loco Hieron. in Iouin. ait, quosdam habere necessitatem nubendi, aut scortandi. Ex his.

Ratiocinantur, nemo debet vouere, nisi id quod certò scit se posse exsoluere: alioquin exponit se periculo violandi votum & Deum offendendi: temere igitur vouet; *Displi-* Ecclef.5
cet enim illi infidelis & stulta promissio. At nemo potest certò scire an habeat donum continentiæ, & deinceps illud sit habiturus; nemo igitur nisi temere, & imprudenter perpetuam vouere potest continentiam, ex qua ratione insuper deducunt eos, qui iam vouerunt, posse & debere votum re-

 scindere,

ſcindere, ſi careant dono continentiæ. Nam ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate, non ſunt materia voti, illuſtrat id Petrus Martyr appoſitâ ſimilitudine. Si quis vouiſſet, ſe perpetuò infirmis miniſtraturum, ſi poſt in morbum incidat, exſoluitur voto ſuo, quod enim erat poſſibile cum voueret, poſt effectum eſt impoſſibile. Nec ſatis eſt reſpondere poſſe eum, qui caret dono continentiæ Deum orare, & ab eo bonorum omnium largitore illud haud difficulter impetraturum, nam & qui ægrotat, poteſt orare vt ſibi ſanitas reſtituatur. Verùm vt hic ordiamur. Diſpar admodum eſt ratio doni continentiæ & ſanitatis ſeu bonę valetudinis, hæc enim nullatenus ſita eſt in noſtra poteſtate; & continentia ita eſt donum Dei, vt tamen ab hominis arbitrio dependeat. Qui vouet miniſtrare ægrotis, & poſtea morbo impeditur, retinet tamen promptam voluntatem perſoluendi voti; non ita, qui ſe tradit incontinentiæ: ergo ille non peccat, cum voluntas non deſit, ſed facultas; hic omnino peccat, quia continentiam deſerit volens, & addicit ſe incontinentiæ. Non eſt ęgritudo in noſtra poteſtate ac voluntate, nec rectè dicitur, nemo ęgrotat, niſi qui vult; at rectè dicitur, nemo eſt incontinens niſi qui vult. Sanitas non eſt bonum abſolutè petendum, cum ad ſalutem æquè conferat ægritudo: nec vllum eſt conſilium euangelicum, niſi forſitan apud medicos & Epicureos de ſanitate tuendâ & procurandâ; at conſilium de tuendâ continentiâ, quæ longè præſtat lege ipsâ matrimonij ad gratiam Dei conciliandam vitamque æternam promouendam. Locus prioris ad Corinth. 1. expoſitus eſt de parente aut curatore virginis adultæ & nubilis per neceſsitatem intelligi non voti, ſed extrinſecam, quæ ad rem non pertinet. Si virgo ſumatur pro virginitate, vt ſumit Hieron. 1. in Iouin. intellige neceſsitatem ex hypotheſi, ſi nolit continere, ſupereſt vt nubat, aut ſcortetur; ſed nulla eſt neceſsitas non continendi, & nemo dixerit eſſe aliquem, cui deſit certè donum continentiæ coniugalis; nam quid aget ille cui incumbet

Epipha. hær. 61.

bet necessitas scortandi. Sic omnino assero neminem esse, cui, si velit diuinæ gratiæ cooperari, desit omnino donum continentiæ virginalis aut vidualis, ac proinde neminem esse, qui non possit offerre Deo votum continentiæ, & ex voto cœlibem vitam traducere. Tale donum est continentiæ, quale donum est perseuerantię, quale donum fidei, spei, charitatis, quod præcipuè quidem à diuinæ gratiæ præsidio (sine quo nihil possumus) à nostro tamen etiam arbitrio dependet; quemadmodum à gratia pendet, ita & à liberâ gratię cooperatione. Iam verò duplex agnoscendum est auxilium diuinæ gratiæ; sufficiens, quod omnibus datur, quo possumus continere, perseuerare, credere, sperare, amare Deum sicut oportet: efficax & congruum, quo reipsa continemus, perseueramus, credimus, & quo non tantum possumus, sed reipsa facimus. Hoc non omnibus datur, quia non omnes continent, perseuerant &c. Sed eorum culpâ qui potuerant & debuerant, & auxilium gratiæ sufficiens, illud à Deo continenter efflagitare. Non omnes capiunt verbum hoc, sed culpâ suâ, non Dei illiberalitate, sed oscitantia sua ex animi effusione in res omnes alias & peruersitate. Quibus datum est, agnoscant diuinam misericordiam. Quibus non datum, ascribant culpę suæ, negligentiæ, & ingratitudini. Non omnium est fides, &: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Et tamen omnes possunt & tenentur credere cooperando diuinæ gratiæ excitanti, quæ sufficiens nunquam deest. Quam in sententiam consentiunt PP. Tertul. tractans illud: non omnes capiunt verbum hoc. Elige quod bonum est, si non potes, est, quia non vis: posse enim si velis ostendit, qui tuo arbitrio vtrumque reliquit. Origen. qui vult capere verbum, quod de castitate positum est, petat, credat dicenti, petite & accipietis, non dubitans de illo quod dictum est, *omnis qui petit accipit.* Hieron. His datum est, qui petierunt, qui volue-

2. ad Thessal. 3. 2.

1. Ioan. 6.

L. de Monogamia.

In cõm. eiusdem loci.

Luc. 11. 10. In eãdẽ lo.

voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt: omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur. Nazian. Cum audis, quibus datum est, adde datum esse eis qui volunt & assentiuntur. Ambros. Dominus qui sciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis, non omnes, inquit, capiunt verbum illud. Et: lib. de viduis. Sicut Spadones, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, sed hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. Vide & Chrysost. in Comment. eiusdem loci, & S. August. qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat vt reddas. Vtique dares continentiam, si gemitu interno, pulsarem aures tuas, locus ille Sapientiæ 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*. De continentia in genere potest accipi, vt non solum virginalem & vidualem, verùm etiam coniugalem complectatur. Salomon maritus erat. Reliqua sunt alias explicata.


Orat. 31 3. *de Virgin.* *In Psal.* 137. 6. *confess.* 11. *l.* 2. *de adulter. coniug. cap.* 10. 13. & 20.



CAPVT

CAPVT XXVIII.

De multiplici voto continentiæ, varioque eius discrimine.



OTVM continentiæ aliud simplex, aliud solenne, rursus aliud priuatum, aliud publicum est; non enim idem simplex quod priuatum, nec solenne quod publicum; publicum est quod coram testibus editur, per quos probari ac publicari queat. Priuatum quod secretò fit absque testibus. Quorum vtrumque simplex esse potest, aut solenne, ac quanquam multis disputatur an ex natura ipsius voti, an ex sola Ecclesiæ constitutione solennitas petenda sit, vt definisse videtur Pontifex Bonifacius. Quæ disputatio non est quidem huius loci, tamen non est ab instituto prorsus aliena. S. Thomas ac veteres Theologi opinantur inter votum simplex & solenne discrimen essentiale intercedere; quod simplex votum sit nuda sui promissio absque traditione: solenne sui traditione constet ac certa benedictione & consecratione. At doctissimi recentiores nō requirunt semper eam Ecclesiæ benedictionē & consecrationem, & in vtroque voto traditionem agnoscunt ex parte vouentis, sed in simplici aiunt non respondere acceptationem ex parte Ecclesiæ vice ac loco CHRISTI Domini, nisi solennitas accedat, id est, nisi fiat certa quadam ratione ac formula ab Ecclesia præscripta; aut nisi pro tali voto solemni censeatur ab Ecclesia. Ergo in simplici voto est in-

choata stipulatio, & traditio ex parte vouentis; in solenni perfectâ accedente acceptatione Ecclesię, seu Vicarij CHRISTI Domini, in cuius manibus fit ea per votum suipsius traditio. Qui simplex edit votum etiam se intendit penitus obstringere & tradere nihil reseruans, neque de futuro spondens, sed de præsenti tradens, verum quo minus stipulatio sit omni ex parte perfecta deest acceptatio; quare dictum est à Bonifacio: *Quemadmodum matrimonium carnale non sine mutua coniugis vtriusque traditione & acceptatione perficitur, per verba de præsenti, vel æquiualentia signa mutuum exprimentia consensum; ita spiritale quod solenni voto constat, non fit sine acceptatione* CHRISTI *Domini sponsi per Ecclesiam, ac vicarios suos, per quos verbo vel signo traditionem illam se acceptam & gratam habere demonstret.* Verùm neque videtur sufficere quæcunque acceptatio, quę semper traditioni videtur respondere debere, nisi sit vtriusque perpetua, sine vlla restrictione, ac conditione. Quam ob causam vota Scholasticorum in Soc. IESV expleto biennio probationis, & coadiutorum spiritualium aut temporalium etsi publica, & acceptentur à Pręlatis, tamen simplicia sunt, non solennia; eo quod non sint perpetua, sed quamdiu illi à Societate retinebuntur. Vbi iustis de causis dimissi fuerint, cessat eorum votorum obligatio absq; alia relaxatione: non enim vouerunt absolutè, sed in Soc. IESV; quare quamdiu in ea persistunt illis obstringuntur; at si iustis de causis dimittantur, suapte sponte aut contra cessat eorum obligatio. Solennia verò Professorum egent commutatione vel dispensatione Pontificia, suntque ex sese perpetua: quare, si dimittantur, ad alium ordinem religiosum transire debent. Quare solennitas voti in certa tum sui traditione, tum acceptatione perpetua, atque existimatione Ecclesiæ collocanda videtur. Vtvt sit duos fuisse modos solennis voti tradit loco cit. Pontif. Bonif. per professionem expressam, aut tacitam religionis approbatę, & per susceptionem

ptionem ordinis sacri; tertius adiungi possit per veli vel habitus virginalis aut vidualis, aut monastici susceptionem extra statum religiosum; quâ de re mox dicam. Verùm ad auertenda pericula constituit Ecclesia ne deinceps eiusmodi veli vel habitus susceptio efficeret votum solenne, præterquā in Religione approbata. Iam verò constat votū simplex impedire matrimonium contrahendum, nō dirimere contractum, ne possit absque grauiore peccato contrahi, valeat tamen & perseueret contractum. Excipitur votum simplex Religionis in societate IESV post expletum biennium probationis. Idem votum etiam dirimit contractum ex constitutione Gregor. 13. Bullâ Ascendente Domino: atque ex ea parte æquiualet solenni, hoc enim semper & impedit contrahendum, & dirimit contractum. Neque tantum obstat ne possit contrahi, verùm etiam si attentetur, ne sit ratum & firmum. Est enim spiritale quoddam connubium cum Deo, per quod traditio sui fit perfecta, quæ compleatur acceptatione. In simplici cum non sit consecuta traditionis acceptatiō, perpetua manet facultas alteri se tradendi, quamquam cum iniuria prioris, cui iam antè se tradiderat. In solenni cum ea traditio sui acceptatione perpetua sit consummata tollitur omnis potestas alteri se tradendi. Atque hæc semper vsurpata fuit Ecclesiæ praxis, quam prolixè deducunt quęstionum tum moralium, tum controuersarum cum hæreticis auctores. Nobis aperta sufficit Synodi Tridentinæ definitio: Inualida esse matrimonia ab ijs contracta, qui castitatem solenniter professi fuerint. Discrimen hoc inter votum simplex ac solenne non fuisse veteribus ignotum demonstrat Pamelius in notis Epist. 62. S. Cypriani ad Pomponium.

Sess. 24. can. 4.

Consulucrat S. Cyprianum Pomponius cum collegis, quid agendum de virginibus Deo dicatis, quæ detectæ essent dormisse cum masculis, in quibus vnus erat Diaconus, & tamen integras se perseuerare iactabant. Respondet Cyprianus nomine omnium Episcoporum vehementer eam consuetudi-

Baron. ad ann. 253. pag 456.

nem detestans, sed consultius existimans magnâ ex causâ relaxare votum simplex, quo se Deo obstrinxerant, quam Ecclesiam hisce turpitudinibus infamari. Quod si ex fide se CHRISTO dedicauerunt, pudicè & castè sine vllâ fabulâ perseuerent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent; si autem perseuerare noluerint, aut non possunt, non possunt, quia nolunt, melius est nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.

Obseruat Pamel. Cyprian. loqui de ijs virginibus, quę simplex votum castitatis emiserant, non de velatis; quarum votum erat solenne, idque multa conuincunt, imprimis cum ait: Quod si se CHRISTO dedicauerint, cum velatę ab Episcopis consecrari solerent, non à seipsis tantùm Deo dedicari: deinde quod eę virgines cum masculis habitarent, balneas promiscuas & nuptias adirent, quod earum quædam essent diuites, quòd certo habitu non vterentur, quæ omnia in velatas virgines non conueniunt. Velatę ab alijs habitu discernebantur, vt ex Can. vlt. Concil. Chartag. 4. cui S. August. interfuit, apertum est. Cæterum non omnes velatæ paupertatem professæ videntur, nec in monasterijs habitasse, nec magnopere interest an in monasterijs, an in ædibus parentum degerent virgines; id spectandum an consecratæ forent ac solenni ritu ab Episcopis velatæ; nam tum earum votum solenne censebatur, quod matrimonium redderet irritum: secus si velatæ non erant nec publicè ab Ecclesia in earum classem ac numerum receptæ. Fuisse videtur velata ad quam lapsam scribit Ambros. quæ se spopondit CHRISTO & sacrum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere, communi lege connubij adulterium perpetrat. Item alias non licere tale coniugium, quomodo Herodi non licuit habere vxorem fratris, si hęc de vxore hominis quanto magis de virgine Deo consecratâ. Innocent. ad Victricium, non obscurè distinguit votum solenne & simplex eam quę sacrum velum accepit, &

C. 5 ad vnam lapsam. L. 3. de virgin.

proinde

proinde solenne votum emiserit, non posse admitti ad pœnitentiam si nupserit &c. Siricius Pontif. Monachos & Sanctimoniales si matrimonia contrahant, non tantùm excommunicari præcepit, sed etiam in ergastulis vsque ad finem vitæ pœnitentiam agere. Epiphan. eiusmodi matrimonia siue à viduis, siue à virginibus inita grauiter reprehendit. Vera tamen coniugia non irrita esse significat. August. docet nuptias post votũ ratas esse, nec debere dissolui. Hieron. sanctum virginum propositum & cœlestis Angelorumque familię gloriam quarumdam non bene se agentium nomen infamet, quibus apertè dicendum est, &, aut nubant, se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere. Loquitur Hieronym. de ancillis nobilissimarum Virginum. Digna res risu imò planctu, incedentibus dominis, ancilla virgo procedit ornatior, & pro nimia consuetudine quam incomptam videris dominam suspiceris. Non omnes ancillas fuisse Deo sacratas perspicuum est ex Epistola ad Eustoch. si quas habeat eiusdem propositi, eas magis honoret, & ad mensam suam adhibeat, vt earum honor aliarum sit inuitatio: si quæ dissimulat & seruitutem refugit illi Apostolum legito; melius est nubere quam vri. Inuitandas esse ad continentię propositum non cogendas alibi insinuat: si virgo ęs, quî times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nubis, agit de virgine quæ simplex dumtaxat votum emiserat, & domi non in monasterio agebat; quam vult potius nubere apertè petitâ dispensatione, aut etiam absque ea, quam cum scandalo impudicè viuere: non quod peccatum non sit, sed quod minus sit. Neque vero hoc dico quod post peccatum tollam pœnitentiam, vt quod malè cœpit malè perseueret, sed quod desperem in eiusmodi copula diuisionem. Licet illicitè contrahatur, tamen sunt veræ nuptię, vbi votum est tantum impediens non dirimens, & ex ea parte minus est malum nubere quàm assiduè fornicari, tum ob fidem coniugij, tum ob prolem legitimam, tum alijs ex causis, cum liceat debitam

Heresi Apost. De bono coniug. c. 9. & 10. & epist 4. ad Bonif.

Ep. ad Demetriad.

Cap. 47 de vitando sub cõtub.

ſemper reddere: aliquo tamen modo eſt minus malum nubere quam fornicari, quod qui nubit reddat ſe inhabilem ad ſeruandum votum. Opinari poſſit quiſpiam in Eccleſia primitus nullam fuiſſe ſolennitatem voti, quod foret indiſpenſabile, ſed eam progreſſu temporis inductam à poſterioribus Pontificibus. Potuiſſe Epiſcopos in omnibus votis diſpēſare Dei nomine cū Eccleſię bonum exigeret. Nuſquam eiuſmodi nuptiæ reperiuntur irritæ redditę, quia votum tum non erat ſolenne, vt modo virginum, quæ monaſticam profeſſionem emiſere.



CAPVT XXIX.

De Virginitatis voto, quod edidit ac publicauit illibata Dei Mater.



CVM ab Archangelo Gabriele ſalutata diuini cōceptus nuntium accepiſſet intemerata Virgo; non quidem ambigua fuit aut dubitauit de Dei omnipotentia, aut Archangeli perſona, aut earum rerum quæ nuntiabantur veritate; ſed de ſua integritate tuenda ſollicita, deuotæ ab ſe

Luc. 1. 34. Deo Virginitatis votum oppoſuit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Videtur hic, inquit Ambroſius, non credidiſſe Maria, niſi diligenter aduertas: neque enim fas eſt, vt electa ad generandum vnicum Dei filium, fuiſſe videatur

deatur

deatur incredula; etenim cum dixit, quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit; sed qualitatem quæsiuit effectus, an fieret sine Virginitatis Deo dicatæ iactura: eademq; est aliorum sententia, cupiuisse Virginem scire modum, quo diuinus hic conceptus in suo vtero proficisceretur, nec ab incredulitate, aut diffidentia, sed ab incomparabili affectu pudicitiæ profectum hoc esse responsum: eoque iam antea votum Virginitatis à Virgine nuncupatum indicari. D. Augustin. Virginitatem Mariæ Deo dicatam, indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit; quomodo fiet illud? quod profecto non diceret, nisi Deo Virginitatem ante vouisset, sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Mox ostendit B. Virginem sua sponte absque spe & expectatione partus huius diuini ex ea futuri; Virginitatem suam Deo consecrasse, idque fuisse præstantius, & oportunius non modo pro dignitate eius diuini conceptus; verùm maximè ad ceterarum Virginum exemplum. Poterat & iuberi Virgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet. Sed exemplo sacris futura Virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, Virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset conceptura, nesciret, vt in terreno mortaliique corpore cælestis vitæ imitatio, voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non necessitate seruiendi. Ita CHRISTVS nascendo de Virgine, quæ antequam sciret, quis de illa fuerat nasciturus, Virgo statuerat permanere, Virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. Non modo ex Virgine; sed ex sanctimoniali Deo dicata Virgine Deum concipi ac nasci decebat. Ea demum Virginitas specialis virtus habetur, quæ voti religione Deo consecrata seruatur. Eodem sensu Greg. Nyss. Angelus partum annuntiat, & illa Virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonstrationi

Lib. ex Virgin.

tioni anteponendam indicat, nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi consuetudinem non virorum si nuptiarum causa assumpta esset à Iosepho, quomodo Angelum de partu prędicentem, quasi re noua, & insolita obstupefacta aduersata esset, cum prorsus speraret, se quoque ipsam aliquando, iuxta legem naturę, matrem esse futuram? Non erat obtusi adeo ingenij, aut improuida Virgo quin sciret quo fine, aut fructu communi matrimonium iniretur, sed quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium intactum seruari oportebat; propterea, inquit, & si Angelus sis, & de cælo veniens. Etiamsi supra hominem sit id quod apparet; tamen, vt virum cognoscam, fieri non potest. Iam ante conuenerat inter SS. Virg. & B. Ioseph. de perpetua castitate seruanda, & crediderim ego hoc suo responso Virginem non tantum suum, sed & mariti votum indicasse. Non cognosco virum, nec ille me cognoscit, sunt enim hæc relatiua, ex mutuo consensu, abstinemus ab vsu coniugij; idque mentis nostræ constans propositum vterque voto nuncupato Deo obtulimus, ac confirmauimus. Hoc idem votum Deiparæ Virginis agnoscunt, Beda, Anselmus, Rupertus, Bernardus, cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit vt illud fiat? Magister sententiarum opinatur D. Virginem vouisse sub hac aut simili conditione; nisi Dominus aliter iuberet aut reuelaret; vt constare posset verum matrimonium inter ipsam & B. Iosephum; qua de re posterius. S. Thom. tradit absolutè, Virginitatem vouisse, sed [illegible] post desponsationem, ceu initum coniugium cum Iosepho, ex eius consensu, ac simul cum illo vouisse. Quia, inquit, tempore legis oportebat generationi inseruire, qua Dei cultus propagabatur; non creditur antequam desponsaretur Iosepho, absolutè Virginitatem vouisse; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam

In c. 1. Luc. de excell. Virg. in ca 3. Cantic. 4 d. 30. 20.

suam diuino commisit arbitrio: postmodum accepto sponso secundum quod mores illius temporis ferebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. Detulerit S. Thom. pro sua modestia auctoritati Magistri sententiarum, & Augustini, quem ille allegat, sed non omnino sincere ac fideliter: proposuerat Maria in Virginitate manere, nisi Deus aliter iuberet, loco, proposuerat, apud Gratian. & Augustinum habetur, vouerat: exceptio illa, nisi Deus aliter iuberet, apud neútrum habetur. Item B. Maria proposuit se seruaturam votum Virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit ore; quodque subiecit se diuinæ dispositioni, & proposuit se perseueraturam Virginem, nisi Deus aliter reuelaret; apud Gratianum totidem verbis adscribitur Augustino, sed reuera illius non est, nec vsquam reperitur. Matrimonio repugnat quoque propositum firmum tuendæ castitatis, etsi non æque ac votum. Hoc porro votum absolutum ab omni conditione longè perfectius est, quam si aliquâ adiectâ restringatur: votum Deiparæ debuit esse perfectissimum, consecuturis deinceps Virginibus exemplar futurum. Conditio illa, nisi Deus aliter iuberet, aut reuelaret, duplici sensu sumi potest: primùm vt suspendat obligationem voti, donec impleta sit; quasi dicat: voueo seruare Virginitatem statim atque Deus iusserit, aut reuelarit; & tum nihil differt à desiderio vouendi, eritque aliena conditio à Virginis prudentia & humilitate: quasi diuinam iussionem aut reuelationem in amplectendo vitæ statu expectarit. 2. Vt non suspendat obligationem voti, sed eius terminum constituat; voueo quamdiu Deus aliùd non iusserit, aut reuelarit; qui modus videtur addere animum perfectè subditum Deo, & specialem actum obedientiæ: superflua tamen ea est conditio, quę in omni voto continetur: quare Virginis absolutum fuisse votum pronuntiant doctissimi quique recentiores, idque editum ab ea, iam à prima pueritia, cum parentes triennem obtulerunt in templo; aut etiam infantia, cum primum rationis vsu prædita

 fuit,

fuit, ac diuinitus edocta, id munus Deo benefactori suo perquam gratum & acceptum fore; à primo Conceptionis immaculatæ puncto, quo fuit illi rationis vsus acceleratus, infusa gratia copiosissima, qua, tum ab originaria culpa præseruaretur; tum omni virtute cumularetur; ex eo puncto totam se gratissima Virgo Deo tot auctori bonorum, eo inspirante, consecrauit, ac perpetuo conseruaturam Virginitatem vouit, Deumque testem appellans etiam iuramento confirmauit; vt nulla illi voto deesset absolutio, ac perfectio. Post vero cum desponsata est S. Iosepho; cum in eius ædes traducta simul degerent coniugio copulati; iterum tum idem votum innouauit ac repetijt: ac denique Deo inspirante, Archangelo partum nuntianti, hoc responso votum illi suum, ad totius Ecclesiæ ac posteritatis bonum, euulgauit. Prima mortalium Virginitatis votum emisisse creditur; publicè illud sanè prima testificata est: quo pretinet Ecclesiæ Antiphona: Beata Maria, Dei genitrix, Virgo perpetua, Templum Domini, sacrarium spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro IESV CHRISTO; cuius honoris causâ ac diuini conceptus, partusque ex ea futuri, licet ignara mysterij, tanto ante Virginitatem Deo consecrauit. *Porta hæc clausa erit*, arctissimo Virginitatis perpetuæ voto obserata; *& vir non transiet per eam quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*; in honorem editi per eam Saluatoris filij Dei, cuius humanitatis hypostaseos diuinæ nexu religatæ, purissimus extitit thalamus; in qua diuina illa caro efformata, de purissimis eius cruoribus; in qua nouem menses commorata plenitudo diuinitatis. Nemo negauerit Virginem Deo sacratam voto expresso, sanctam corpore & spiritu, qui filij Dei matrem esse cogitarit: Præclarè Bernardus: Voluit matrem suam esse Virginem, de qua immaculata, immaculatus prodiret, omnium maculas purgaturus: sed liceat adijcere, voluit Saluator Ecclesiæ toti constare hoc responso ad Archangelum, matrem suam Virginem

Ezech. 44. 2.

Hom. 2. super Missus.

nem

nem esse Deo consecratam ac deuotam, vt omnium studia ad eam virtutem incitaret, vt præiret infinitis deinceps sanctimonialibus, atque omnium castitatis amatorum dux existeret, Magistra ac Patrona. Iterum Bernard. vt igitur quæ sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura, sancta esset corpore; accepit donum Virginitatis; vt esset & mente, accepit humilitatis, adde fidei, spei, charitatis, religionis eximiæ, quâ se totam diuino cultui manciparet. Quid loquar quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit à CHRISTO eligi, vt esset etiam corporale Dei templum, in quo corporaliter, vt legimus, habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem; Virgo peperit salutem vniuersorum. Nemo mirabitur, si sanctissima Virgo voti religione expressa, Deo religata cohæserit, qui cogitarit illam Deum vtero intemerato gessisse, peperisse, lactasse, nutriuisse, vno verbo Dei summi matrem extitisse sanctissimam.

Ambro. ep. 82.





CAPVT XXX.

Quid de Virginis responso ac voto tradat Caluinus in Harmonia.



VID? nisi quod audeat coniuratus Virginitatis hostis Epicurçorum Coripheus. Videtur sancta Virgo non minus maligne restringere potentiam Dei, quam prius Zacharias; cum, quod præter communem naturæ ordinem est, impossibile esse colligit. Nec vero magnopere laborandum est, vt eam purgemus ab omni vitio. Prodit Caluinus impietatem suam, malignum, quo plenus erat, spiritum, velut è diametro pugnantem cum pio ac Sancto Spiritu, quo SS. PP. Virginis responsum explicarunt, & dignis laudibus celebrarunt. Vnde Caluinus coniecit sacram Virginem restringere voluisse potentiam Dei, & quod præter communem naturæ est ordinem, id impossibile iudicasse? axioma id est Caluinisticum, vt sacram negent Eucharistiam, non orthodoxum; Virgini plane persuasit Archangelus apud Deum nihil esse impossibile. Si æque restrinxit potentiam Dei, ac Zacharias, cur eam non æque reprehendit Angelus ac Zachariam: cur nihil intulit pœnæ, sed prolixiore responso cohonestauit, quem quæsierat modum diuini conceptus, aperuit illæsa Virginitate, superuentu Spiritus Sancti? Cur Elisabeth propinquo Dei Spiritu plena, beatam illam, quæ credidisset, appellat, ac

cetera

cætera diuinitus prædicta mysteria deinceps in ea perficienda confirmat? quis credet gratia plenam, in qua Deus existeret, eximia & singulari plane ratione Dei potentiam restringere voluisse? Iam quæ potest impudentior esse impietas, quam dicere non esse magnopere laborandum vt sanctissimã Virginem ab omni purgemus vitio? istud enim non solum est impium esse; sed ipsam impietatem omni abiecto pudore profiteri. Sed pergat Caluinus. Quod autem ex hoc loco occasionem quidam sumpserunt, vt dicerent Virginem habuisse votum perpetuę Virginitatis, quod alioqui superuacanea fuisset ista responsio, nimis infirmum est, imo absurdum, ac ridiculum: quam effrons Caluinus, qui tot SS. PP. quot superiori capite produximus auctoritate neglecta nulla vel tenui probata ratione, audet temerariam aut potius hæreticam mentem suam prodere, atque S. Augustini, Anselm. Nysseni, Bedæ, Bernardi, Ruperti, contrariam sententiam infirmam, absurdam, & ridiculam dicere? Planè foret superuacua, inepta, & nulla Virginis responsio; si verbum cognoscendi significaret actum, & sensus foret, modo non cognosco, aut hactenus non cognoui virum, aut etiam proposui non cognoscere maritum meum Ioseph. Nam Angelus ingessisset cognosces postea, aut propositum Deo volente commutabis: significat ergo consuetudinem: quomodo si dicat, abstemius non bibo vinum, neque solum consuetudinem, sed cum impotentia coniunctam quasi dicat, non soleo nec possum cognoscere virum meum Ioseph: si sola consuetudo esset significata, potuisset Angelus mox respondere, si non soles, at nunc cognosce, & concipies: adiuncta est ergo impotentia, non naturalis, in adolescentula nuptui tradita, sed moralis, non ex publica, sed priuata lege, quam sibi per votum imposuerat; quomodo si dicat Carthusianus, non vescor carnibus, quarum sibi speciali voto facultatem & vsum ademit. Hinc igitur SS. PP. & Theologi tum veteres, tum recentiores, editum à B. V. votum Virginitatis

 perpetuæ

perpetuæ confirmant, idque verosimiliter, priusquam iniret coniugium, ad idemque votum pariter seruandæ continentiæ virum suum S. Iosephum induxisse. Ad hæc quid Caluinus pro omnibus hæreticis & Epicuræis? Existimabimus Virginem passuram se in matrimonium collocari, vt eum luderet. Fuisset profecto perfidia graui reprehensione digna, si sanctum cõiugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset. Nempe cum Dei ludibrio existimant ab eis coniugium sperni, quicumque illo non semper vtantur: Nihil nisi carnem sapiũt, nihil de sincero mentis affectu, sed de corporis & sexus vsu, de vno semper concubitu cogitant. An non licuit S. Cæciliæ Valerianum sponsum, & sexcentis alijs maritos accipere, bona tamen cum spe & mente seruandę pudicitiæ illibatæ? Si licet sterili & impotenti viro scientem & consentientem vxorem ducere, quod nec hęretici inficiantur, cur Virgini votum habenti diuino instinctu, mysterij causa, non liceat nubere scienti, & consentienti viro, vsum coniugij nunquam expetituro, quod diuina reuelatione perspectum habeat? licet coniugatis post initum matrimonium mutuo consensu abstinere; licet alteri, altero repugnante ante illud consummatum Religionem ingredi; cur contrahere non liceat, nulla cogitatione suscepta de vsu matrimonij, imo ea lege, & conditione, vt matrimonij nullus sequatur vsus? qua lege Pulcheria Imperatrix cum Marciano cõtraxisse fertur, & aliæ plures. Sed de virgineo hoc SS. Virginis & S. Iosephi coniugio posterius agetur. Non omittam hic quod ex Magistro tradunt eruditi: Nuptias eorum, qui cum impotentia contrahunt, scientes; haberi legitimas auctoritate Cælestini Papæ. Quanquam difficile sit, vt cum impotente quis contrahat, si tamen contraxerint Romana Ecclesia vult vt tanquam sororem habeat, quam vt vxorem habere non potest. Quare non prius inter impotentes dissoluuntur matrimonia, quam alter coniugum affirmarit, se procreandæ prolis causa contraxisse. Ac tum sanè defuit consensus. Confirmat

Tit. de frigid. & malef.

De bono coniugal. l. 3.

mat id S. Augustin. bonum matrimonij non mihi videtur propter solã procreationem filiorum, sed propter naturalem in diuerso sexu societatem, alioqui iam non esset coniugium in senibus.


Si ergo seruetur fides & obsequium inuicem debitorum officiorum etiam languescentibus, & pœnè cadauerinis vtriusque membris, manet tamen coniugatorum tanto sincerior quanto securior castitas. Coniectura Caluini, quod S. Virgo in futurum tempus prospexerit & exclamarit nullam sibi cum viro fore cohabitationem; cum haberet sensus omnes admiratione ligatos ac constrictos, audiens nasciturum Dei filium, valde quæsita & affectata est, tum & à Virginis moderatione & prudentia prorsus aliena: Turbata quidem fuerat incerta muliebris benedictionis & fœcunditatis tanta mentione, sed non perturbata nec cum post audijt altissimi filium se concepturam continuo se filij Dei matrem Virginem futuram credidit, & tametsi credidisset, cur exclamasset, quomodo fiet istud potius, quã quod extremo loco respõsum dedit ingessisset. Quid quæsierit docet Archangeli responsum, de modo diuini conceptus. Ad naturam, inquit, Athanas. respiciens & de Iosepho cogitans, cui nupta erat, tale responsum dedit. Præclarus auctor Caluinus qui suam coniecturam tot SS. PP. grauissimis sententijs anteponat, Sed redeo ad eius impijssimam blasphemiam, non esse laborandum, vt Virginem ab omni vitio purgemus. Quæ non alio mihi referri videtur, quam ne laboremus in tuenda Virginis intemerata Virginitate; si non ante partum, certè in partu cum Iouiniano; & magistro suo Bucero, imo & post partum, cum alijs eius sceleratis sequacibus, vitiatam fateamur. Vt pernegant hæretici CHRISTVM Dominum immoto lapide sepulchrali resurrexisse, & ostijs clausis ad discipulos adijsse in cænaculum, aut in cęlos penetrasse non disruptos, sic pernegant vtero matris inuiolato in lucem prodijsse. Connexæ sunt hę blasphemiæ, quibus obstruendis orthodoxi

Her. de Deip.

orthodoxi cum 5. & 6. Synodo, totaque Ecclesia Virginem ante partum, in partu, post partum intemeratam profitemur; Virginum ducem & Magistram, quę prima Virginitatem professa, cęteris exemplo pręiuerit. Quæ Virgo Virginum ab Ecclesia salutatur, & quasi vox concreta non sufficiat, sancta & immaculata Virginitas, à D. Iacobo in liturgia. Virginum gloria ex qua Deus carnem assumpsit. A Nazian. Mater & Virgo supra omnes decora Virginum maxima: Ab Epiphan. Princeps Virginitatis: A Cyrillo Virginitatis corona. A Damasceno Virginitatis fœcundissima planta, per quam Virginitatis pulchritudo latissimè se diffundet. Item Thesaurus Ab Idelphon. fastigium omnium Virginum, caput & exemplar omnis Virginitatis. A Chrysologo, Regina totius castitatis, quæ Virginitatis decus & matris protulit dignitatem. Denique à Bernard. Regina Virginum, Virginitatis primaria. Obseruat dictum: offerantur post eam, nam primatum sola vindicat sibi post magistram discipulæ, post dominam ac Reginam famulæ, post matrem filiæ consequentur quocunque ierit ac præcesserit Agnus Virgo Virginis filius, eo consequentur Virgo mater, & Virginum innumerabiles chori.

In tragœdia hæres. 78. Hom 6 contra Nestor & c. 1. de Natiuit. Serm. 1. 2. & 23. Serm. 143. Hom 2. super Missus signum magnũ.

CAPVT



CAPVT XXXI.

Deiparæ Virginis exemplum secutæ sunt innumeræ Virgines iam ab ortu nascentis Ecclesiæ.



RÆCLARE dictum à S. August. à Maria cæpisse dignitatem Virginum sacrarum, nec minus verè eleganter D. Ambros. Egregia Maria, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis pium CHRISTO vexillum leuauit. omnes ad cultum Virginitatis sanctæ Mariæ adducantur exemplo.

Tunc ait toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cęlestis vsus inolcuit. Hæc est illa cælestis militia, quam laudantium exercitus Angelorum promittebat in terris.

Nazian. de Virginitate.

Ante quidem vmbroso in paucis splendore micabat
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret
Exiguis spectanda notis.
At postquam CHRISTVS per casta viscera matris
Absque patre est tardas vitæ progressus in auras;
Lustrauit muliebre genus, tum denique nostro
Virginitas generi, præclaro lumine fulget.

Hieron. mihi Virginitas in Maria dedicatur & CHRI-

STO; mors per Euam, vita per Mariam, ideoque & ditius Virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cæpit à fæmina, statim vt Dei filius ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet & Angelos in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit.

Caput Holofernis à Iudith truncatum censeri potest concupiscentia carnis, quæ ferè dominatum obtinebat in vitijs, de qua Virginis Dei matris exemplo, ac patrocinio, quam plurimę Virgines & viduę continentes gloriosissimè triumpharunt, de quibus in pretio & honore habitis iam ab exordio nascentis Ecclesię testes locupletissimi producuntur. S.
Ep. 8. Ignatius vir Apostolicus Epist. ad Philip. Salutat congregationem Virginum, legionem viduarum, quæ iam tum in
Ep. 10. magnam multitudinem excreuerat, & ad Smirnen. Saluto & eas, quæ in perpetua Virginitate degunt, & viduas. Consue-
Ep. 12. uisse eas sese Domino consecrare docet ad Antho. Virgines
13. agnoscant cui seipsas consecrarint; & ad Hieronym. Diaconum, cui Romam ad Martyrium proficiscens, eam commendarat Ecclesiam. Virgines serua, vt pretiosa CHRISTI monilia. Denique ad Tharsens. eas, quæ in Virginitate degunt in pretio habe, velut CHRISTI Sacerdotes, vi-
1. Aduersus Iouin. duas in pudicitia permanentes, vt altare Dei: Clemens Romanus, qui vt auctores sunt Epiph. & Hieronym. in suis encliticis plura de Virginitate conscripsit; ad has & Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus Apostolus meminit scribit Epistolas, omnemque penè sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit, ac multi deinceps Apostolici & Martyres & Illustres tam sanctitate, quam eloquentia viri, quos ex proprijs scriptis nosse perfacile est.

Iustinus Martyr, ad Antoninum Pium. Permulti profecto sexus vtriusque & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris CHRISTI disciplinam sunt secuti, incorrupti & cælibes perdurant, & glorior me per omnę genus hominum

num nostrorum tales monstrare posse. Tertull. de pudicitia, flos morum, honos corporum. Ad vxorem puellę in terris non nubendo de Angelica familia deputantur scripsit librum de velandis Virginibus qui liber etiam exstat hodie, denique Virgines suas Corinthi velant, quid docuerint Apostoli, quid didicerint approbant, extat & Pij decretum de ritu seruando in Virginum consecratione, quem ritum Ambrosius & Eusebius ad prima Ecclesiæ tempora referunt. *De Instit. Virgin. vita Cōstāt.*

Cyprianus tam refertus est orbis, impletus est mundus eorum, qui capere continentiam possunt, more spadonum viuentes ad regnum Dei. Flos est ille Ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago, resplendens ad sanctitatem Dei, illustrior portio gregis CHRISTI: gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesię matris gloriosa fœcunditas, quantoque plus copiosa Virginitas numero suo addet, tanto plus gaudium matris augescit.

Ambros. Si quis putat consecratione Virginum minui genus humanum, consideret quia vbi paucæ Virgines, ibi etiam pauciores homines, vbi Virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina totiusque Orientis, & Africana Ecclesia, quot annis sacrare consueuerunt. Idem ad Valentinianum aduersus Symmachum indicat imperij opes nequaquam pares fore Virginibus Christianis nutriendis, si sumptu publico forent alendę, vt olim vestales, ponamus tamen subsidia largitatum conferenda Virginibus, quæ Christianis munera redundabūt, quod tantas opes sufficiet ærarium? *3. De Virgin. Lib. 1. c. 13.*

Hieron. Post crucem CHRISTI statim in actis Apostolorum, vna domus Philippi Euangelistę quadrigam producit, Virginum filiarum, vt Cæsarea in qua ex gentibus Ecclesia per centurionem Cornelium fuerat congregata etiā Virginum puellarum prębeteret exempla. Cumque Dominus in *1. In Iouin.*

Euangelio dixerit; lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem, iſtæ quia Virgines erant, etiam poſt prophetaſſe dicuntur. Extabant Hieronymi tempore earum cubicula, quæ S. Paula Hieroſolymam itura pio inuiſit affectu. De Philippi Apoſtoli filiabus eas quoque Virgines perſeueraſſe Polycrates auctor eſt; etſi viris traditas aſſerat Clemens Alexandrinus, S. Aug. CHRISTVM alloquens, adſpice agmina Virginum, puerorum puellarumque ſanctarum in Eccleſia tua; eruditum eſt hoc genus. Et mox ſi illud etiam quod non iuſſiſti, ſed tantummodo volentibus arripiendum propoſuiſti, dicens qui poteſt capere capiat, arripuerunt, vouerunt, & propter Regnum cęlorum ſeipſos non quia minatus es, ſed quia hortatus es caſtrauerunt, Fauſtus Manichæus obijciebat S. Auguſt. quid certatim ſemper ad hanc mulieres incitatis profeſſionem, ſuaſionibus veſtris vt prope iam maior in Eccleſijs omnibus Virginum apud vos, quam mulierum numeroſitas habeatur, neque eam obiectionem reijcit S. Auguſt.

Bar. ad an. Ch. 58. In 628.

D. S. Virgin. Lib. 3. aduerſ. Fauſtū c. 4.

Nazian. Ruffinus, & Theodoretus, Helenam cum inquirendæ crucis cauſa Hieroſolymam veniſſet, reperiſſe illic Virgines ſacratas, quas ad prandium inuitarit, & tanta eas deuotione curarit, vt indignū crederet, ſi famularū vteretur officijs, ſed ipſa manibus ſuis famulæ habitu ſuccincta cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet orbis Regina, & mater Imperij, famularum CHRISTI ſe famulam deputaret. Athanaſ. ad Conſtantiam.

1. Hiſto. 8. lib. 1. cap. 18.

Apolog.

Certe Virginitate præditas ſponſas CHRISTI Catholica Eccleſia appellare ſolita eſt, quas Ethnici conſpectas, vt templum verbi admiratione proſequuntur. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ pater tuus Conſtantinus Auguſtus in pretio habuit, & tua religioſitas ſæpè in ſuis ſcriptis, pretioſas ac ſanctas nominauit. Id quoque teſtatur Euſeb. maximis eos honoribus proſequetur, qui vitam ſuam cęleſti Philoſophiæ dedicauiſſent, ſanctiſſimum ergo perpetuarum Virginum cœtum conſtanter colebat, quod in earum mentibus

bus Deum ipsum cui se consecrassent, inhabitare crederet. Addit Theodoretus, Constantinum illos ex publico alimenta præbuisse, nam cum narrasset Episcopos Concilij Nic. epulo exceptos, & muneribus donatos à Constantino, subijcit: quin etiam litteras ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitque vti certus frumenti numerus viduis & ijs qui perpetuam seruant Virginitatem; quin etiam illis qui diuinis mysterijs obeundis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus, quotannis suppeditaretur, eumque non tam egentium quam sua ipsius munificentia mensus est: huius congiarij adhuc tertia pars suppeditatur. Quippe impius Tyrannus Iulianus totum penitus abstulerat; sed qui & successit in imperio quod iam suppeditatur conferri mandauit. Prudentius hymno de S. Laurentio.

Cernis sacratas Virgines?
Miraris intactas anus?
Primique post damnum thori,
Ignis secundi nescias?
Hoc est monile Ecclesia:
His illa gemmis comitur,
Dotata sic CHRISTO *placet:*
Sic ornat altum verticem.

Pulcheria Augusta Arcadij filia, Theodosij iunioris soror, nondũ annos nata quindecim integritatis voto se adstrinxit, ad eiusdemque studium sorores suas induxit.



CAPVT XXXII.

An primitiui fideles qui describuntur Actor. 4. continentiam seruarint; & de Monasteriјs toto orbe dispersis.



MIHI non dubium est quin primitiui fideles continentiam seruarint, cum ipsam Religiosæ vitæ expresserint disciplinam & Euangelicæ perfectionis normam, omni deinceps posteritati præscripserint. Quod erat institutum à CHRISTO Domino vitæ sanctioris genus, id Apostoli non modo, cum in eius agentis adhuc in terris societate ac consuetudine domestica versarentur, amplexati sunt; sed eodem in cælos digresso retinuerunt, & excoluerunt aucto fidelium primitiuorum numero. Quotquot ad eam vitæ rationem & perfectionem abdicatis omnibus facultatibus adspirassent in eandem formam ac communionem receptis.

De voto paupertatis habemus expressum S. Lucæ testimonium. Quotquot possessores agrorũ & domorum erant, vendentes illas afferebant pretia illarum ad pedes Apostolorum, idque propria eos voluntate, nulla adductos necessitate fecisse, paupertatis quam Deo deuouerant studio, constat ex Ananiæ

Ananiæ & Sapphiræ historia, de quibus Hieronym. Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici: & ideo condemnati quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea vouerant, partemque sibi iam alienę substantiæ reseruauerunt, metuentes famem, quam vera fides non timet, præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Si nulla intercessisset arctior obligatio voti paupertatis, neque Ananias in Spiritum Sanctum mentitus esse diceretur, neque vnà cum vxore tam graue supplicium promeruisset. *Act. 6.* *Epistol. ad Demetria.*

Ad votum paupertatis accessisse quoque votum obedientiæ, & castitatis, inde conficitur, quod sine hoc vtroque voto, multitudo fidelium apte commodeque regi, & ad charitatis propositam perfectionem dirigi non poterat. Si magno est adiumento, ad perfectionem vitamque contemplatiuam abdicatio possessionum & facultatum externarum, longe maiori est abnegatio suimet iudicij, & proprię voluntatis, tum vero omnium corporis voluptatum quæ mentem eneruant, atque impediunt maximè ad eam charitatis perfectionem confert abiudicatio. Quapropter à primitiuis fidelibus orta videtur religiosę vitæ institutio, & triplex hoc votum præcipuè obseruatum & excultum: de continentia certè non licet ambigere nisi forte quis vxorum quoque communitatem inducendam putat, quam visus est Plato in ficta sua Republica desiderare, & quæ fuisse creditur Nicolaitarum hæresis. Sed absit à tam sancta vita tam execranda naturę repugnans fœditas. Agebant tum omnes cęlibem vitam, qui primus videtur ad perfectionem gradus, quotquot eius studio sese rebus omnibus externis exuebant, & paupertatem erant amplexi si qui prius matrimonio iuncti erant, tamen mutuo consensu continebant, neque iam mariti aut vxores sed fratres erant ac sorores, vnde hæc orta quæ tum maximè vigebat communis appellatio.

Hieronymus, quem proximo capite producemus, de Essenis

nis agens, sic ait, ex quo apparet talem primam in CHRISTO credentium fuisse Ecclesiam, quales Monachi nunc esse nituntur, & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & refert Lucas Hierosolymis primum fuisse credentes. Nota illud continentiæ, sine qua non modo decus omne religiosæ vitę perit, sed nec doctrinæ, nec orationi commodè vacari potest. Facilius in Religioso instituto, quoad paupertatem, quam quoad castitatem aut obedientiam indulgeatur dispensatio. Ex hac viuendi primitiuorum fidelium forma S. August. eius vitæ communis, quam inter clericos suos, eosdemque religiosos instituerat, originem rationemque deducit. Quomodo autem viuere velimus, quomodo Deo propitio, iam viuamus. Quamuis de scriptura sacra multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro actuum Apostolorum lectio recitabitur. Vt videatis, vbi desumpta sit forma quam desideramus implere. Legit Lazarus Diaconus quæ in actis Apostolorum scripta sunt cap. 4. & inter alia *multitudinis autem credentium*, &c. *Quotquot erant possessores prædiorum, vel domorum &c.* Quibus lectis Augustinus eadem & ipse repetijt, de hisque ad suos præclaram habuit orationem. Eadem Basilius de Regul. Monast. & denique omnes qui Monachis selectas viuendi regulas præscripserunt. Quid adhæc impij qui in Christianismo sectantur Epicurismum? Exclamat iure Baronius sic, his & Apostolorum doctrina, & exemplo firmatis ac stabilitis adhuc tamen perfricta fronte, procacique animo non verentur in sanctas regulariter viuentium institutiones obloqui atque furere. Sanè cum maximè glorientur se Ecclesias suas instituere ad formam Ecclesię primitiuæ, vt in electione Diaconorum, & ministerio mensarum; nullum tamen est apud eos vestigium vitæ communis, quę Act. 3. & 4. commendatur, quam Apostolicam vocat S. Aug. Imo cœnobia quæ à communi

Serm. 50. de diuersis.

ad ann. Ch. 34. pagin. 266.

communi vita nomen habent passim euertunt, & in prophanos vsus commutant. Quid mirum communi vitæ repugnat è diametro eorum superbia, cupiditas & intemperantia. S. Aug. Apostolici, inquit, dicuntur, qui se hoc nomine arrogantissimè vocauerunt, eo quod in suam communionem non acceperint vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet Ecclesia Catholica & Monachos & Clericos plurimos. Sed ideò isti hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separantes nullam spem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. Igitur in primitiuorum fidelium communi vita non erant, qui vterentur vxoribus, vt non erant qui res proprias possiderent. Non omnes tamen fideles profitebantur tum communem vitam, vt ipso viuente in terris saluatore soli Apostoli, videntur eam professi qui dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia*; inter quę & vxores censebantur non reliqui 70. discipuli, non Lazarus, Martha, Magdalena & reliquę quę de suis facultatibus CHRISTO ministrabant. Non est credibile filios familias parentibus nondum credentibus aut coniuges altero non credente desertis omnibus ad eam communem vitam potuisse se adiungere. Fuit murmur Gręcorum aduersus Hębreos quod eorum viduæ minus curarentur, in quotidiano ministerio: at de prolibus sustentandis, nulla est mentio: quare solę viduę ac virgines vni huic communi vitæ aggregatę, non coniugatę nisi quæ prole carerent, aut in sorores spiritales comutarentur. Redeamus ad Basilium, & de Monasterijs toto orbe dispersis breuiter adijciamus. Accusamur inquit Basil. quod homines habemus exercitatores pietatis, qui renuntiauerunt mundo & omnibus temporalibus curis, quas spinis assimulat Dominus, quæ non permittunt, vt verbum ad fertilitatem perueniat, tales mortificationem IESV in corpore circumferunt, & leuata cruce sua, sequuntur Deum. Ego vero totius vitæ meę pretio æstimauerim, meas esse has iniurias, & habere apud meipsum viros, qui sub me præceptore, hanc exercitationē elegissent. Nunc autem in Ægypto talem

hæres. Apost. quæ est 46.

Matth. 19 27.

Ep. 63.

a.

lem esse audio virorum virtutem, & fortassis quidem etiam in Palæstina, vitam secundum Euangelium rite peragunt, audio etiam in Mesopotamia esse viros perfectos & beatos, nos autem pueri sumus ad perfectorum comparationem: hæc pro animi sui demissione Basilius, eius tamen instituta sequuntur quotquot in Græcia atque in Oriente, seu in solitudine, seu in monasterijs monachi degunt. Quod Ægypti mentionem ingerat Basilius magni Antonij causa id facit, de quo Hiero. ait, omnium ab eo studia incitata, non quod ipse eius instituti fuerit auctor, nam ante illum monasteria fuisse indicat Athanas. in eius vita, illum prima spiritalis militiæ rudimenta in monasterijs posuisse sub aliorum magisterio, & in aliorum conuictu, quorum exemplo, atque imitatione in dies perfectior euaderet, apum more, ex singulis aliquam delibans vtilitatem. Exinde maioris ipse perfectionis ardore longius se ab hominum consuetudine remouit, atque abdidit in interiorem solitudinem, quo suos quoque transtulit discipulos, cum illius sanctitas toto iam mundo eluceret. Tantus animorum motus ipsius exemplo factus est, vt & Armeniæ, & Scythiæ, Nitrię, & vtriusque Thebaidis, ac totius Ægypti deserta monasterijs complerentur.

Hieron. in vita S. Hila. In Palæstina verò Hilarion ex Antonij disciplina, quam totam paucis mensibus imbiberat, primus monasteria fundauit, ille auctor & conditor huius conuersationis in ea prouincia fuit. Habebat Dominus IESVS in Ægypto senem Antonium, habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem. Itaque eius exemplo cęperunt ibi esse innumerabilia monasteria; & omnes ad eum certatim concurrere, vt cęlestis vitę pręcepta haurirent. Quod ille cernens laudabat Domini gratiam, & ad profectum animę singulos hortabatur. Ex actis Martyrum ad annum 301. colligit Baronius iam tum ăsceteria fuisse, cum Eusebius tradat nonnullos ex Ascetis martyrium passos, si erant Ascetæ, erant & Asceteria, si virorum, multo magis sacrarum virginum quas pudor & timor facilioris lapsus magis recludebant. *Pag. 764.*

debant. In actis SS. Indes & Domnæ fit mentio prępositæ monasterij, à qua Domna clam virili habitu emissa fuerat, sed non cessabat sceleratus Maximianus in omnia Asceteria furere ac desæuire.

Idem ad annum 328. vitam S. Antonij atque instituta recensens, demonstrat Antonium, si non institutorem, at instauratorem Cœnobiticæ vitæ fuisse, cum ad eum visendum plurimi ex omni hominum genere confluerent. Quę grassante persecutione fuerant extincta cænobia, ab eodem instaurata & toto orbe Christiano propagata. Erant, inquit Athan. in monte monasteria, tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, & legentium, & orantium. Tantumque ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad mutuam charitatem, & misericordiam indigentibus exhibendam iugi studio laborarent. Chrys. si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Ægypti Eremus innumeris monachorum ac virginum distinguitur atque illustratur habitaculis. Sed infinitum sit hæc omnia SS. PP. monumenta persequi, vnum addam Casianum, qui Cœnobitarum disciplinam scribit à tempore prædicationis Apostolicæ exordium sumpsisse. Cum multi perfectionis amore adducti, non eo tantum essent contenti, quod omnes facerent, vt omnia sua in commune conferrent, sed his multò sublimiora cumulantes, in suburbana quædam loca secretiora secederent. Qui quod à coniugibus, & ab omni suorum consortio, & mundi conuersatione abstinerent, monachi à solitudine à communitate vitę cænobitę dicti sunt. Inter hos principem extitisse Marcum Euangelistam horum Alexandrię institutorem; quamquam non probamus omnes initio fideles omnia in commune contulisse, ac paupertatis votum vsurpasse. Dicta sunt eorum habitacula σεμνεῖα honestatis


Hom. 8. in Mat.

l. 2. c. 5. coll. 18. c. 5.

statis & grauitatis, μοναστήρια solitudinis loca, ac diuersoria. A quibus in Ægypto versantibus & forte eorum lingua Nonni & Nonnæ vocabula in sermonem vulgi venerunt. Arnobius veteres de nostratibus iam tū legis Dei nostri tanquā Chamitas patris irrisores, ita iocari inducit. Ille Clericus, ille Monachus, illa sanctimonialis, ille qui sanctus vocatur & Nonnus, hoc vel sic agit: & S. Hier. de falsis viduis. Quia maritorum expertę dominatum, viduitatis pręferunt nouitatem, castę vocantur & Nonnæ. De institutis à S. Marco Essenis nunc dicemus.

in Psal. 105.

21. ad Eustoc.



CAPVT XXXIII.

De Essenis à Philone & Iosepho collaudatis, recténe Hieronymus eos Christianos censuerit.



HIERON. de scriptoribus Ecclesiasticis, in Marco, sic ait: Constituit Ecclesiam tantâ doctrinæ, & vitæ continentiâ, vt omnes sectatores CHRISTI ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudęorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem, gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit; & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia; sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memorię tradidit. Exstat liber hic Philonis de

vita contemplatiua, seu de supplicibus inscriptus. Idem Hieronymus in Philone. Philo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ, apud Alexandriam scribens, Ecclesia, in nostrorum laude versatus est; non solum eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse commemorans & habitacula eorum, dicens σεμνεῖα vel Monasteria, vt priori cap. sequutus est Heronymus Eusebium, qui ea de Christianis sub Essenorum nomine scripta, à Philone contendit, in quam eandem sententiam Epiph. conspirat. *l. 2. hist. 15. 16.* *hær. 29.*

Reperies autem studiosè hoc argumentum in commentarijs Philonis in libro de Essenis ab ipso inscripto, qui horum conuersationem & laudes eorum exequutus, & monasteria ipsorum in vicinia circa Maram paludem recensens, non de alijs quibusdam narrauit, quam de Christianis; Iesseos à IESV aut à Iesse, ex quo IESVS originem duxit, appellatos ait Christianos, denique Cassianus Essenos fuisse Christianos veros existimat dum asserit Ægyptios Monachos à Sancto Marco institutos. Beda præf. in Marcum. Sozomenus & alij. Suidas verbo Essei sic dictos ait à contemplando, & genus quoddam putat fuisse Recabitarum. Chrysost. ho. 44. in acta; à vitæ sanctitate, Esseni qui etiam Osij, id est Sancti dicuntur. Idem Philo libro cui titulus quod liber sit probus. Exordio autem nascentis Ecclesiæ Christiani passim sancti vocabantur. *l. 2. de institu. Cænob. c. 5.*

Sed reclamant aduersarij contendentes Essenos longe fuisse antiquiores, de quibus agat Iosephus ante Christum natum, cum agit de Herode, de quibus item agat Plinius, & Solinus ex Plinio mutuatus. Gens sola in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum in diem ex æquo conuenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos vitæ fessos ad mores eorum fortunę fluctus agitat. Ita per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur, tam *Ioseph. l. 18. antiq. c. 2. & l. 2. de bell. Iud. c. 7. Plinius l. 5. c. 17.*

Polyst. 36. secunda illis aliorum vitę pœnitentia est, ait eos in Iudæa ad occidentem posita habitasse. Solin. ijsdem prope verbis interiora Iudææ Esseni tenent, nullę ibi feminæ, venere se penitus abdicant, locus addictus pudicitiæ &c. Æterna gens cessantibus puerperijs meminit Essenorum etiam cum laude Porph. apud Cyrillum Alexand. lib. 5. contra Iulianum. 12. de Monac.

Ad hanc obiectionem duplex adfertur à Bellarmino responsio. Prior non eosdem esse Essenos quos Philo describit, & quos Iosep. Hos enim antiquos esse, quibus multa erronea & superstitiosa tribuantur; illos Philonis recens exortos, quibus nulla adhæserit superstitio; quare S. Nilus initio Asceticorum aut illos Iosephi habuisse quidem mores similes moribus Monachorum, sed quia CHRISTI fide caruerint, nihil illis profuisse sanctos mores, potuerit Iosephus confudisse Essenos cum filijs prophetarum, aut huiusmodi religiosis veteris testamenti, qui simul vitam agerent.

Posterior responsio eosdem esse ex mente quoque Hiero. ad Eust. Tales Philo Platonici sermonis imitator tales Iosephus Græcus, Liuius in 2. Iudaicæ captiuitatis historia Essenos refert, quam opinionem tuetur Mattheus Galenus, qui contendit Iosep. non fuisse assecutum mysteria Christianorum, &.ideo frequenter hallucinatum. Videntur tria quædam genera eiusdem nominis exstitisse, Esseni Samaritani, de quibus Epiphanius, Esseni Iudęi quos tamen ipse Ossenos vocat, & Esseni Christiani ex Iudæis conuersi, quos Esseos vel Iesseos vocat. Credibile est Iosephum confudisse nostros Iesseos cum suis Essenis præsertim cum eo tempore Iudęi pro Christianis haberentur. Sane ex eo auctore quem mendaciorum historicum non iniuria quispiam dixerit, sumpserit Plin. de antiquitate Essenorum de quibus mirum est vt obseruat Baron. nullā fieri mentionem nec in veteri, nec in nouo testamento; cum frequens in Euangelio mentio fiat Pharisæorum, Saducæorum, Herodianorum, nulla fit Essenorum.

Reca-

Recabitas ab ijs diuersos extitisse colligitur, quod Recabitæ non nisi ea quę tellus sponte ferebat, absque cultura in victum assumerent; Esseni autem agriculturæ vacabant: Deinde videntur Recabitę tempore Sedechiæ, cum vrbs obsideretur à Babilonijs, in eam se recipere coacti, ab instituto destitisse; quanquam genus eorum non penitus defecerit ex Domini promisso. Egesippus meminit cuiusdam Recabitæ qui interfuit neci Iacobi Iusti. Deinde mirum est Iosep. aduersus Appionem calumniatorem Iudaicæ gentis non opponere lauditissimos mores Essenorum. Si quis ex ijs plurimos ab Apostolis ad fidem conuersos contenderit, sicuti ex Nazaræis, aut si quę exstabant reliquiæ, ex filijs prophetarum, agentium in monte Carmelo, contentiosum funem trahere nolumus. Vt eos quos Philo laudauit Christianos fuisse nobis persuademus, argumento est, quod Philo dicat eiusmodi genus hominum apud Alexandriam, magno esse numero, immo & in alijs Ægyti regionibus agere, quin insuper in multis orbis partibus, ac etiam addat idem vitæ genus à Græcis & Barbaris esse receptum. Itaque vel commenticij sunt Esseni Iudæorum à Iosepho laudati, aut certe sunt ab ijs quos Philo celebrat recens exorta disciplina florentes omnino diuersi. Quod Philo Sabbathi obseruationem in illis commendat, nihil mirum, cum adhuc Apostoli Iudaizarent vt obseruauit S. Hieron. nondum esset cum honore synagoga sepulta; Esseni Iosephi agebant in ciuitatibus, Philonis in agris & villis, illi prandebant quotidie, atque cenabant; hi semel quaque die post occasum solis cibum sumebant; & quidam ad tertiam vsque diem ieiuni perdurabant illis apponebatur singulis à coquo pulmentum, his pro omni obsonio erat sal, cum pane, & hyssopo, vtrique sane plurimum discreparunt à disciplina nouorum Epicureorum, quorum omnis in cute curanda venereaque voluptate explenda cogitatio.

Apud Euseb. l.2.c.22

CAPVT



CAPVT XXXIV.

De Virginibus sacratis, earum pulla veste & velamine sacro.



Ad annum Domini 377. DVPLICIS generis fuisse sacras Virgines obseruat Baronius occasione S. Ambrosij ad sororem scribentis de Virginibus, cuius hæc sunt verba: Erant planè sacræ Virgines Ecclesiæ gemmę, ornantes Episcoporum coronas, eędemque Deo dicatæ duplicis erant generis, alterius nimirum eæ quę in domo paterna cum suis parentibus ac cognatis agebant è quarum numero S. Marcellina soror S. Ambrosij quæ Romæ à Liberio Papa Deo sacrata domi agebat, atq; alias ipsa diues in eandem professionem & consortium sibi adlegerat, sicut & Romę itidem Eustochium, Demetrias, Asella, & aliæ apud suos habitantes, Deoque seruientes, alterum earum genus erat, quæ sub vno conclaui nempe in monasterio religiosam vitam ducerent, quarum plurimæ ex remotis orbis partibus ad Ambrosium consecrandæ confluebant. De ijsdem virginibus duplicis generis Nazianzenus. *In Carmine ad Hellenium:* Multas quidem in omnibus illis regionibus, quas salutifera CHRISTI doctrina paragrauit, inuenire est, quæ partim in sodalitio viuunt, eandemque cælestis vitæ cupiditatem vouent, atque idem vitæ institutum sequuntur, partim infirmis suis parentibus, aut fratribus quos castitatis suæ testes habent sedulæ assistunt, mihi quidem etsi paruus est eiusmodi mulierum numerus, cælestibus tamen pulcherrimisque

CHRISTI

CHRISTI ſideribus, adeo geſtio atque exulto; vt pro paucis his meis de virtutis præſtantia, cum multo pluribus in contentionem venire non dubitem. Hiſce ſacris Virginibus ad Eccleſiam venientibus locus ab alijs tabulari interſtitio ſeparatus dabatur, & quidem ornatus appoſitis diuerſis ex diuina ſcriptura Virginitati congruis ſententijs, ac monumentis: vt S. Amb. Virginem lapſam admonet. Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipſe ſcriptus paries ingerebat recordari debuiſti? &c.

Theodoretus vbi vitam S. Domnæ expoſuiſſet, multæ, inquit, aliæ partim quidem vitam amplexæ ſolitariam, partim autem viuere amarunt cũ pluribus, adeo vt ducentæ & quinquaginta plures aut pauciores ſimul viuãt vno cibo veſcentes, ſuper ſolas ſtoreas ex inſtituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis vero linguas conſecrantes. Sunt autem innumerabilia eiuſmodi ſapientiæ gymnaſia, non ſolum in noſtra regione, ſed etiam per totum Orientem. Ijs autem plena eſt Palæſtina, & Ægyptus, & Aſia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim CHRISTVS honorauit Virginitatem, vt qui natus ſit ex Virgine; prata Virginitatis natura germinauit, & hos ſuaue olentes, & qui numquam marceſcunt flores adfert Creatori non virtutem in maſculo & femina diſcernens.

Carthaginenſem Eccleſiam abundaſſe Virginibus Deo dicatis perſpicuum ex libellis & Epiſtolis S. Cypriani, & quod moriturus, cum ad eius martyrium quamplurimæ conueniſſent, cuſtodiri eas iuſſit, ne quid à gentilibus aut militibus iniuriæ paterentur, quam eius paſtoralem vigilantiam merito celebrat S. Auguſtin. Marcellæ laudibus ponit Hieronymus cum antea Romæ ignotum foret Monachorum propoſitum, nec auderet quiſquam propter rei nouitatem ignominioſum, vt tum putabatur, & vile in populis nomen aſſumere, Marcellam, quæ à Sacerdotibus Alexandrinis Antonij adhuc ſuperſtitis, & monaſteriorum Thebaidis diſciplinam didiciſſet,

dicisset, non erubuisse profiteri quod CHRISTO placere didicerat. Quare cum in agro suburbano monasterium instituisset, eius imitatione crebra Virginum cœnobia & Monachorum innumerabilem multitudinem esse cœpisse, vt præ eorum frequentia, quod prius fuerat ignominiæ, esset postea gloriæ. De Virginum Alexandrinarum quas Ariani hæretici diuexarant ac dehonestarant multitudine animique constantia ex S. Athanasio, & passim de alijs Virginibus siue in monasterijs, siue domi apud propinquos agentibus, multa Baronius. Exemplo omnibus est Deipara Virgo, non modo in ædibus paternis, verum & coniugij statu Virginitatem professa.

Mirum igitur est quosdam orthodoxos etsi pios viros Virginum in sæculo degentium statum condemnare; aut murum illis, aut maritum conuenire, non debere Virginitatem profiteri nisi intra monasterij septa recludantur. At contra quispiam dixerit id Iouiniani hæresim sapere, & palam id esse homines absterrere à statu perfectiori continentiæ. Si non improbatur in clericis & viris, hic medius gradus & modus continentiæ, cur generatim improbetur in feminis, quarum quædam longius absunt à periculis ob pudorem innatum, occasionum fugam, virtutes animosque certè viris non inferiores, multis neque murus neque maritus conuenit, nec aptæ sunt coniugio, nec monasterio. Vel ob indolem alienam, vel ob inualetudinem, vel ob dotis inopiam, aliasque causas; nec murus, nec maritus continentiam adfert, sed gratia Dei, bene constitutus ac moratus animus, Dei timor & amor, qui sanctis meditationibus pariter atque exercitationibus alitur. Non modo visuntur in Belgio numerosissima ingenuarum ac liberarum Virginum Beghinasia, & nobilium illustria collegia; Verum & seorsim in suis aut parentum ædibus degunt quam plurimę cum opinione virtutis & sanctitatis, nulla vnquam sinistri rumoris aspersę nota. Si quæ quandoque prolapsæ peccant, peccant & religiosæ & coniu-

gatæ

gatæ, peccant & viri, Clerici, Religiosi, Sacerdotes, sed non est in culpa professio castitatis.

Consueuerant olim Sacræ Virgines nigra indui veste & pallio operiri vt de S. Euphemia nobilissima Virgine Chalcedonēsi legimus apud S. Asterium, adstabat Virgo pulla veste & pallio Philosophiam professa. *Nicenū 2. act. 4.*

Solent quædam cum futuram Virginem spoponderint pulla tunica illam inducere & fuluo operire pallio. Item pulla tunica humi cum iacuerit, minus sordidatur, & ibidem de cingulo. Cingulum laneum & tota simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimenta, quam scindere. De S. Demetriade omnem corporis cultum & habitum sæcularem quasi propositi sui impedimenta proiecit, pretiosa monilia, & graues censibus vniones ardentesque gemmæ recluduntur scrinijs, vili induitur tunica, viliore tegitur pallio, & insperata auiæ genibus repentè prouoluitur fletu tantum & lacrymis quæ esset ostendit: obstupuit sancta & grauis femina alienum habitum in nepte prospiciens. De S. Asella cum primum hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem quam à matre impetrare non poterat induta pio negotiationis auspicio se repente Deo consecrauit, vt intelligeret vniuersa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ iam sæculum damnasset in vestibus. De eadem veste D. Athanasius sanctimonialem monet, vt fuscam & vilem vestem gerat, & antiquior Tertullianus ô sacrilegæ manus quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. De Velamine sacro non erat in Ecclesia Romana subtile ac peruium id velum, sed ex densiore tela contextum nigri coloris, de quo D. Ambr. non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, vsu nobile castitatis, non exquisita sed abdicata lenocinia pulchritudinis. Solebat illud à Sacerdote solemni ritu benedici, scio ad im- *Hieron.*

precationem Pontificis flammeū Virginale sanctum operire caput. Hieron. ad Demetriadem, cuius Virginis nobilissimæ dum meminit S. August. auiæ Probæ & Iulianæ matri gratias agens velationis apophoretum gratissimè accepi. Quod velationis celebritas nuptiarum instar magno apparatu peragere-
Hieron. ad Sabinianum. tur. Moris est in Ægypti ac Syriæ monasterijs, vt tam Virgo quam vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renunciantes omnes sæculi delicias conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter & velato.

Ad annū 362. Lib. 6. De mitellis Baronius notat ex Optato Virgines Africanas instar sacri veli capitibus impositas gestasse; Erat tegumentum ex lana purpura pictum potius quam tinctum, in quo CHRISTI nomen aut Crucis signum purpureo expressum signo visebatur. Erant alias mitellæ inter muliebria ornamē-
Epistol. 23. ta, de quibus Hieronym. agens de Blesilla tunc crines ancillulæ disponebant, & mitellis crispantibus vertex arctabatur innoxius, nunc neglectum caput scit sibi tantum sufficere quod velatur. Erat hoc sacrum velum voti solemnis nuncupati indicium, & quæ solemni ritu velatæ erant sanctimonia-
1. De valēdis Virgin. les more antiquo nupsisse CHRISTO dicebantur. Tertullianus. Nupsisti enim CHRISTO, illi tradidisti carnem tuam, illi desponsasti maturitatem tuam incede secundum
Cap. 6. sponsi tui voluntatem. Optatus Milleuitanus. Spirituale nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi iam venerant voluntate, & professione sua, & vt sæcularibus nuptijs se renunciare monstrarent, spirituali sponso soluerant crinem. Iam cœle-
Epistol. 2. 12. stes celebrauerant nuptias. Innocentius ad Victricium quæ CHRISTO spiritualiter nubunt & à Sacerdotibus velan-
Epistol. 27. tur. Hieronym. matrem Virginis Deo sacræ socrum Dei di-
Baron. ad ann. 57. cere non est veritus quod Rufino nodum in cirpo quærenti displicuit. Haud dubiè & hęc præclara vetustatis monumenta nostratibus Epicuræis displicebunt, cum præter carnem nihil.

nihil sapiant; tamen de earum Virginum & viduarum consecratione pauca adijciamus.



CAPVT XXXV.

De viduis & diaconissis.


E seruanda viduitate pręstantes habemus Epistolas S. Hieron. ad Saluinam Nebridij viduam propinqui & contubernalis Augustorum, ad Furiam probi Consulis nurum. Ad Ageruchiam de monogamia quam auiæ matris amitæque probatarum in CHRISTO feminarum nobilis turba circumstat, quarum auia Metronia per quadraginta annos vidua perseuerans Annam nobis filiā Phanuelis de Euangelio retulit. Benigna mater quartum & decimum viduitatis annum implens, centenario Virginum choro cingitur. Soror Celerini patris Ageruchia, quæ paruulam excepit infantem & in suo natam suscepit gremio per annos viginti marito destituta erudit neptem, quod à matre didicit. Blesilla eius filia, Læta nurus, quas & dicatis libellis æternæ memorię consecrauit. His adiungenda Paula mater Eustochij, cuius epitaphium scripsit virtutum eius Encomium monumentum ęre perennius: denique Marcella quam ęgregiè celebrat ad Principiam & cum Anna quoque comparat Euangelica, orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense priuata est, cumque eam Cerealis, cuius clarum inter

consules nomen propter ætatem & antiquitatem familię, & insignem, quod maximè viris placere consueuit, decorem corporis & morum temperantiam ambitiosius peteret, suasque longęuus polliceretur diuitias, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltro appetens, illa respondit, si vellem nubere & non æternæ me cuperem pudicitię dedicare, vtique maritum quærerem non hæreditatem, illoque mandante, posse & senes diu viuere, & iuuenes cito mori, eleganter lusit, iuuenis quidem potest cito mori, sed senex diu viuere non potest; qua sententia repudiatus exemplo cęteris fuit vt eius nuptias desperarent. Accedunt libri aduersus Iouinianum, quibus nihil prætermisit Hieronym. tum è sacris, tum è prophanis litteris siue exemplorum siue præceptorum ad monogamiæ laudem, digamiæque vituperationem, ad viduam Christianam dignis eo gradu moribus instituendam disertissimè explicat. Agit Apo-
1. Tim. 5. stolus prioris ad Timot. 5. de viduis & primum quis delectus habendus sit? In viduis, honorandis, id est, alendis publico Ecclesiæ sumptu, ex oblationibus fidelium instar earum quarum est mentio Act. 6.

Viduas honora quæ verè viduę sunt, subsidijs & solatijs humanis destitutæ. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet* opulentos, à quibus commodè sustentari possit, *discat primum suam regere & mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo*, legunt alij discant, filij viduæ, propinqui &c. Instituat eos Christianis moribus exemplo ad omnem virtutem verboque præluceat ad Dei gratiam sibi & illis demerendam. *Quæ autem verè vidua est & desolata speret in Deũ & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die, nam quæ in delicijs est, viuens mortua est, & hoc præcipe vt irreprehensibiles sint. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*; Quæ nimirum cæteris sumptu Ecclesię alendis præficiatur, quæ sit earum antistita aut certè allegatur in numerum alendarum; hac

ætate

ætate non poteſt eſſe periculum incontinentię & ante eam poſſunt ſibi victum parare, *quæ fuerit vnius viri vxor*, quia ſæpius nupſiſſe argumentum eſt incontinentiæ: vnde Iudith laudatur quod ſecundum virum non quæſierit, & Anna vidua Luc. 2. *In operibus bonis habens teſtimonium ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.* Didiciſti catalogum virtutum tuarum quid debeas nomini tuo, quibus meritis ſecundum pudicitiæ gradum poſſideas. Hieron. Saluinæ. *Adoleſcentiores autem viduas deuita*, vel vt alij vertunt, reijce, Cyprianus, præteri. Ne admittas in numerum alendarum ab Eccleſia, ne illis grauetur. *Cum enim luxuriatæ fuerint in* CHRISTO *nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Per fidem, intelligunt omnes interpretes veteres & recentes Græci, & Latini, votum continentiæ, & eo ipſo viduas illas quia nubere volunt obnoxias eſſe æternę damnationi, quia fidem qua pactę erant CHRISTO ſponſo continentiam ſe ſeruaturas, abiecerunt, & violauerunt: in Virginali & viduali continentia, inquit S. Aug. excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa & voti debito oblata, iam non ſolum capeſſere nuptias, ſed etiamſi non nubatur nubere velle damnabile eſt. lib. de bono viduitatis c. 8. & alijs locis. Idem tradunt cæteri patres citati à Bellarmino li. 2. c. 24. Conſilium Carthaginenſe quartum, cui interfuit S. Aug. canone 104. Si quę viduę quantũlibet in iunioribus annis poſitę, ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerunt, poſtea vero ad nuptias ſæculares tranſierint, ſecundum Apoſtolũ damnationẽ habebunt, quoniã fidem caſtitatis quam Deo vouerant irritã facere auſę ſunt. Idem habetur in Toletano 4. canone 55. Quamquam eę nuptiæ non reperiuntur irritatæ, quod votum non eſſet ſolemne, quale Virginum Monaſticam profeſſarum, ſed dumtaxat ſimplex impediens non dirimens coniugium.

Iudith. 16. 26.

Lutherus

Lutherus lib. de votis Monasticis contendit per fidem non intelligi votum continentiæ, sed fidem Christianam, à qua illæ viduæ defecerant ad iudaismum aut paganismum, nam ait Apostolus quasdam conuersas retro satanam & luxuriatas aduersus CHRISTVM quæ indicant apostasiam à fide, sed si de Christiana loqueretur Apostolus, frustra præmisisset nubere volunt, nam siue velint, siue nolint nubere, quæ à fide Christiana defecerunt habent damnationem, sed culpat Apostolus quod nubere velint. Prima fides sumitur, non pro omnium prima, sed pro priore data CHRISTO. Priore ea quæ marito datur in nuptijs. Frequenter autem in scripturis fides nominatur quæ in seruandis promissis sita est fides Christiana propriè non fit irrita, sed amittitur. Fides voti continentiæ fit irrita, nec solum per apostasiam à fide, sed per quodcunque peccatum lætale abitur post satanam. Luxuriari aduersus CHRISTVM propriè est scortari in iniuriam CHRISTI sponsi, vt aliàs dictum est. Caluinus contendit per fidem Apostolum intelligere fidem in baptismo datam, sed quorsum premisisset nubere volunt, quare videns expositionem veterum de voto continentię reijci non posse, addit viduas illas excessisse annum sexagesimum, & iam ineptas fuisse coniugio. Duabus vero de caussis tyrannicam de cęlibatu legem maximè improbandam, quod fingamus cultum esse coram Deo meritorium, & quod vouendi temeritate præcipitentur animæ in exitium. De priore caussa iam cumulatè dictum est, de posteriori mox agemus an iuniores vouere possint. Hic certè de iunioribus agi, perspicuum est otiosis, curiosis, & verbosis, quę forent in CHRISTVM scortatę & luxuriatæ, si fides dicatur promissio dumtaxat Ecclesię facta ad ministerium diaconissarum liberius obeũdum facilè poterat illa promissio rescindi de perdito dono continentię, si votum Deo factum ex sententia Caluini potest rescindi ab eo, qui stimulis carnis agitatus continere non valet. Scortatio prætererat vt in eam damnatio referri non possit emendata per nouam volun-

tatem

tatem honesti coniugij, vt ait Caluinus. Iuniores viduas, quas vult Apostolus nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: licet quidem eas interpretari quæ sint otiosę, verbosæ & curiosę, non tamen eas quæ iam primam fidem CHRISTO dederint, nisi accedat Apostolica dispensatio, cum id votum non foret solemne, sed simplex non difficulter in eo Episcopi dispensare poterant.

De diaconis vt obiter dicam quemadmodum foribus qua viri ingrediebantur præfecti erant ianitores, dicti ostiarij: ita & qua mulieres ingrediebantur, præerant diaconissæ, sacrorum vestibulorum custodes appellatę à S. Ignatio. Quæ distinctio virorum & mulierum à templo Ierosolymitano in Ecclesiam inducta est. De ijsdem Clemens 3. constitut. 15. Elige diaconissam fidelem & sanctam ad mulierum ministeria, nam accidit aliquando, cum in aliquorum domos diaconum ad mulieres mittere non potes propter infideles, mittes igitur mulierem diaconissam, propter improborum cogitationes, nam ad multos vsus muliere diaconissa indigemus.

Ac primum cum illuminantur mulieres Episcopus vngit frontes earum, deinde diaconissa eas abstergit, non enim necesse est mulieres aspici à viris. Epiphanius hæres. 9. ministrarum quidem diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, non ad sacrificandum, neque vt quidquam aggredi permittantur; verum reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam lauacri, aut visitationis, affectionis, aut laboris & quando nudatum fuerit corpus mulieris, vt ne à viris sacrificantibus aspiciatur, sed à ministrante muliere, non tantum ex viduis, sed præcipuè ex Virginibus ætate prouectis eligebantur diaconissæ. In Conc. Chalced. assignatur annus 40. etsi viduæ nonnisi post 60. cooptarentur. De diaconissa intelligunt plerique illud Apostoli: Commendo autem vobis Phœbem sororem nostram, quę est in ministerio Ecclesiæ, quę est in Cenchris. An vidua an

Can. 15 Pamel. scol. 72. in lib. Tert. de exhort. Rom. 16.

Hhhh Virgo

Virgo fuerit ignoratur.

Nicena Synodus inter laicas eas annumerat; quod nullo ordine essent initiatę, dicebantur quandoque diaconissæ, quæ viris ad ordinem diaconatus promotis, vnà cum ijs continentiam vouebant, & seruabant. Quemadmodum ab ijsdem maritis dicebantur, Presbyteræ & Episcopæ. Viduę quoque seniores dicebantur Presbyteræ canon. 11. Concilij Laodicensis ob prouectam ętatem, vide Concilium Turonense 2. cap. 20. Baronium ad annum CHRISTI 34.

Extat Zachariæ Papę decretum de non admittenda in contubernium Presbytera, Diacona, vel Monacha, & Epistola Basilij ad Peragorium Presbyterum eiusdem argumenti, nullum igitur incontinentiæ vestigium deprehendi potest ex his vocabulis, in hominibus sacro ordine initiatis, sed summa potius laus & commendatio suscepto ab vtrisque coniugibus perpetuæ & Deo deuotę continentiæ proposito ac voto. Præterire non possum exemplum incomparabilis viduæ Iudith, quam scriptura sacra viduis omnibus proponit. Genere erat

Iudith. c. 8. 7. & formâ nobilis, *eleganti aspectu nimis*, ætate florens, annos nata non amplius quam triginta tres, opibus potens, *cui vir*

C. 8. v. 7. *suas reliquerat diuitias multas & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum & gregibus ouium plenas*; liberis carens, cum in propinquos ab eius morte facultates eius diuisæ fuerint, singulariter tamen vidualem continentiam adamarit, quam & oratione, & ieiunio, & cilicio tuebatur, in superiore cœna-


C. 8. v. 6. culo ac secreto cubiculo clausa cum puellis; *habens super lumbos cilicium; ieiunans omnibus diebus prater sabbatha*. Holoferne truncato iure ab vniuersis acclamatur *Benedicta: tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum*. De hac magnificè Hieronymus ad Furiam: vidua confecta ieiunijs, habitu lugubri sordidata, non tam mortuum virum lugens quam corporis squallore sponsi quærens aduentum: vin-

cit viros fœmina, castitas truncat libidinem, Holofernis de medijs hostibus caput reportat, habituque repentè mutato ad victrices sordes redit, omnibus sæculi cineribus mundiores. De eadem victrice vidua Ambrosius. C.9. de viduis.



CAPVT XXXVI.

De Virginum & viduarum solenni consecratione.



RÆTER ea quæ iam producta sunt vetustatis huius sacræ monumenta, pauca adijciam ad gustum aut fastidium magis Epicureorum. S. Ambrosius de sororis suæ S. Marcellinæ festo Natali Saluatoris inauguratione ac velatione facta à Liberio summo Pontifice, sic meminit. Tempus est, soror sancta, ea, quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior eò sermo accedat gratior. Namq; his cum die Saluatoris Natali ad Apostolum Petrum, Virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares. Quo enim melius die, quam quo Virgo posteritatem acquisiuit, atque astantibus etiam puellis compluribus, quæ certarent inuicem de tuâ societate. Bonas, inquit, nuptias, filia desiderasti. Vides quantus ad Natalem Sponsi tui populus conuenerit, & nemo impastus recedit. Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina conuertit; In te quoque sincerum sacramentum conferet Virginitatis; Hic est, qui quin-

que panibus & duobus piſcibus quatuor millia populi in deſerto pauit, Plures potuit, ſi plures iam tunc qui paſcerentur fuiſſent: denique ad tuas nuptias plures vocauit; ſed iam non panis ex hordeo, ſed corpus miniſtratur è cœlo, Euchariſtia ſacroſancta, & alludit S. Pontifex ad epulum nuptiale, quod eo die præbebatur inuitatis; non enim minori celebritate peragebatur hæc publica velatio ac conſecratio Virginum, quam cum ſponſis terrenis nuptijs traderentur, quibus ſanè cœleſtis ſponſus nihil dignitate concedebat. De Demetriadis illuſtriſſimæ conſecratione meminit S. Auguſtinus apophoretorum ad ſe tranſmiſſorum, quæ non niſi in ſplendidiſſimis epulis præbebantur, atque vnà cum S. Alypio tum eius matri Iulianæ tum auiæ Probę gratulatur, gratiaſque agit; & ſanè tam illuſtris ad Deum Virginis, quę prima erat in orbe Romano, conuerſio S. Auguſtini monitis & hortationibus adſcribenda fuerat; De eadem Hieronymus, in cuius propoſito mentem mater & auia ſuam cognoſcentes attonitæ præ gaudio, quidquid fuerat nuptijs prǫparatum, ne ſponſo fieret iniuria, imò vt ad eum priſtinis opibus dotata perueniret, Virgini traditum eſt vt quod in rebus mundi periturum erat, domeſticorum Dei ſuſtentaret inopiam. Huius ceremoniæ in Virginibus miniſtrum fuiſſe Epiſcopum ex eo colligitur, quod iam è Hieronymo citatum eſt, ſcio ad imprecationem Pontificis flammeum Virginale ſanctum operire caput; tum & apertè habetur in Chartaginenſi 4. can. 11. Sanctimonialis cum ad conſecrationem ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis; idemque liquet ex decretalibus Romani Pontificis Damaſi ad Numidię, Leonis ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos, inter ea quæ Coepiſcopis inhibita ſint ponunt Virginum conſecrationem. Ad Epiſcopum pertinet ſacras Virgines benedicere in perlectis dist. 25. Iſidorus, & anterior Hieronymus ad Oceanum fiebat ea conſecratio ac benedictio diebus maximè ſolennibus, in Epiphaniâ, Albis, Paſcha,

Paſcha, & Apoſtolorum tantum Natalitijs. 20. qu. 1. c. Virgines Pij I. Martyr & Gelaſij I. 14. ca. deuotis. Diuus Ambroſius exhortatione ad Virgines: Venit dies Paſchę, in orbe toto Baptiſmi Sacramenta celebrantur, velantur ſacræ Virgines, vno ergo die ſine dolore plures filios & filias ſolet Eccleſia parturire. Ad Virginem lapſam: Non es memorata diei ſanctæ Dominicæ reſurrectionis, in quo diuino altari te obtuliſti velandam: in tanto itaque ſolenni Eccleſiæ conuentu, inter lumina ſplendida, & regni cœleſtis canditatas, quaſi regina regi nuptura proceſſeras. Qualis ea tibi die allocutio facta eſt: Aſpice filia, intuere, obliuiſcere populum tuum, & aſpice quantus ad ſponſi, Dominique tui nuptias populus conuenerit. Seruare te fidem oportuit, quam ſub tãtis teſtibus pollicita, & ſemper cogitare cui Virginitatem ſpoponderas; facilius ſanguinem cum ſpiritu fundere, quam caſtitatem perdere, ſuper quam multis præconijs tunc illo conſecrationis die dictis ſacro velamine tecta es, vbi omnis populus dotem tuam ſpiritu, non atramento, ſubſcribens pariter clamauit, Amen. Publica erat maximeq; ſolennis ea Virginum conſecratio, quæ nihilominus, quam Monialium profeſſio, matrimonium omne diſſolueret, atque impediret. Hieronymus ad Sabinianum diaconum Virginis ad ſtuprum ſollicitatorem. Poſt Apoſtoli Petri Baſilicam, in quâ CHRISTI flammeo conſecrata eſt; poſt Crucis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Dominicæ Sacramenta, in quibus rurſum ſe in monaſterio victuram ſpoponderat (votis velut innouatis ac repetitis) audes crinem accipere tecum noctibus dormituræ, quẽ CHRISTO meſſuerat in ſpeluncâ. Redeo ad Ambroſium qui ad finem libri de Virginibus gratulatur non ex vicinis tantum, Bononienſi, Placentino, ſed ex vltimâ Mauritaniâ Virgines ſacrari geſtientes Mediolanum venire; & ſua memoria puellam nobilem ſubijcit, cum à parentibus & propinquis ad nuptias vrgeretur, ad ſacroſanctum altare confugiſſe: quo enim melius, ait, Virgo recurreret, quam vbi ſacrarium Vir-

ginitatis offertur? ſtabat ad aram Dei pudoris hoſtia, victima caſtitatis, nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poſcens, nunc iuſtæ impatiens moræ, ac ſummum altari ſubiecta verticem, num melius, inquit, frontem, quam altare, quod velamina ſanctificat, velabit? plus talis decet flammeus, in quo caput omnium CHRISTVS quottidie conſecratur l. 3. Plures in Alexandrinâ, totiuſque Orientis, & Africana Eccleſia quotannis Virgines ſacrari teſtatur, quam alibi homines prodire. Habuit igitur vetus Eccleſia Virgines ſacratas ac benedictas non minore numero, quam moderna. Laudat item Ambroſius Euſebium, quod Ambroſiam filiam Deo deuouerit, & addit, quod vtinam hodie parentes & meminiſſent & facerent, pio ei affectu ſollicitudinem reliquâ prole præſtantiorem cæteros inſtruis vt domo emittas, & alienis copules; ſacram hanc tecum ſemper habebis. In alijs paternę vteris pietatis neceſſitudine; in hac vltra patrem procedis, votoque & ſtudio progrediens vt placeas Deo; Quæ cum ſit præſtantior votorum cauſa, ſoluat quicquid pro ſe & omnibus filijs debes. Narrat Sulpitius Arborium virum præfectorium, cum vnica ſibi filia per Epiſtolam S. Martini illi impoſitâ fuiſſet à quartanâ febri liberata, eandem puellam Deo vouiſſe, ac perpetuæ Virginitati dicauiſſe: præfectumque ad Martinum ob virtutum eius teſtimonium, quo, abſente licet, curata eſſet, obtuliſſe, neque ab alio eam, quam à Martino habitu Virginitatis impoſito paſſum eſſe conſecrari. In viduis eiuſdem cæremoniæ miniſtrum habemus Sacerdotem cap. fin. 20. qu. 7. ex Toleta. ſed alius erat genus veli & veſtis, de quâ idem Toletan; Viduarum ſanctimonialium religioſam veſtem pręſcribit nō colorum varietate ſuſpectam, non partium ac ſpecierum diuerſitate notabilem; ſed abſque ſuſpicione manere; vſui tantū profeſſionis aptam, ſuoque ſexui competentem, ad teſtimoniū probitatis, vtque deinceps in dubium nihil reuocaretur, pallio, aiunt Patres, purpureo, nigriue coloris caput contegat ab initio ſuſceptæ religionis, vt probabilis illic ſanctitatis ſignum dum

De Virgin. instit. 1.

Cap. 3. vitæ S. Martini.

dum tulerit, vbi nullius falli potuerit visio intuentis, detestandæ præsumptionis nunquam ausus attentet.


Diuus Augustinus aduersus Faustum, lineis vestibus miscere purpuram, & linistima, vel linistema, vel linostema veste indui aliquando peccatum fuit, quia Deuter. 22. vetitũ, nunc non est peccatum, sed inordinatè viuere, & diuersi generis professionem velle miscere, vt vel sanctimonialis nuptarum habeat ornamenta, vel nupta Virginis speciem gerat omninò peccatum est, & si quid inconuenienter, in cuiusque vitâ contexitur, id tunc figuratur in vestibus, quod nunc declaratur in moribus. Hęc ille. Habitus Monachum non facit, sed tamẽ declarat, atque indicat. Conqueritur Hieronymus, de Virginũ sacrarum ancillulis quæ dominis comptiores, & ornatiores procedere solerent, vt pro consuetudine, inquit quam incomptam videris dominam suspiceris. Denique Chrysostomus solennis Virginum & professionis & cultus meminit, Virginitatem professis viles quidem pannos, pullam tunicam, velum candidum, pallium reliquumque habitum Virginalem commemorans, sed coniugali exquisitiorem, & vel serico magis illecebrosum, vt sub nigro colore facies decentior videretur & gratior. Et subdit: Ideò vos sæculares irrident mulieres quia honestissimum Virginitatis nomen, & insigne pulcherrimum perdidistis. Nemo iam Virginem digno honore prosequitur, quo scilicet se priuarunt, quas oportuit in Ecclesiâ venerandas esse, ac si de cœlo descendissent mirabiles; At nũc despectæ penitus sunt vitij sui causa. Nimirum ætate Chrysostomi, vt hâc quoque nostrâ non omnes Virgines, suę respondent vocationi; sunt externo vestitu multæ Virgines, quæ Virginum animi internis carent ornamentis. Sunt quæ suâ professione indigna comperiuntur agere, & maiori ambitu quęrũt ornari quam sęculares, quæ auro & gemmis ornantur. Sed non ea est Virginitatis culpa, nec simplicis atque abiecti vestitus ambitio.

Ad Demetr.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De Virginibus Ethnicis, Hæreticis, & Simulatis.



AVCA de ſingulis delibabo, vt Chriſtianarum Virginum decus, ac ſplendor magis eluceſcat, tum vt Ægypti ſpolijs Dei domus ornetur, & his quoque prophanorum exemplis homines ſacri ad pudicitiæ ac continentiæ ſtudium incitentur. Tertullianus de pręſcrip. Quid quod & ſummum Pontificem in vnius nuptijs ſtatuit diabolus? habet & Virgines, habet & continentes. Ad vxor. Hęc diabolus præcipit, & auditur, prouocat nimirum Dei ſeruos continentia ſuorum quaſi ex æquo. O continentiam gehennæ Sacerdotum! Ad finem libri de monogamis. Sunt & quę de totâ continentiâ iudicent nos Veſtæ Virgines, Iunonis Achaicæ, Dianæ Scythicæ, Apollinis Pithij; etiam bonis illius Ægyptij Antiſtites de continentiâ infirmitatem Chriſtianorum iudicabunt; Rectius dixiſſet malignitatem, & obfirmatam libidinem, quam pro copiâ diuinę gratię quæ nobis offertur infirmitatē. Nemo cum ope diuinæ gratiæ ad continentiam imbecillis & infirmus eſt cenſendus. Hieronymus Tertullianum imitatus: Quod in noſtri condemnationem obſeruat gentilitas, ſi hoc in CHRISTO non exhibeat veritas, quod mendacium tribuit diabolo; qui & caſtitatem reperit perditricem, vt omittam

tam Virgines Vestæ, Apollinis, Iunonis Achiuæ aut Argiuæ, Dianæ, Mineruæ, perpetuâ Sacerdotij Virginitate marcescentes. Quid referam Sybillas quarum insigne Virginitas, & Virginitatis præmium diuinatio, vel diuini potius consilij cognitio. Cassandram & Chrysem vates Apollinis ac Iunonis legimus Dianę Tauricæ, & Vestę Sacerdotes innumerabiles. Plura adfert exempla, inter quæ & Pythagorę filia Virgo, Virginum choro pręfecta, & castitatis doctrinis instituta. Affulsit gentilibus aliqua lux naturæ, quæ pudicitiæ & continentię virtutis honestatem demonstraret aut magis ipsa diaboli, vt loquitur Tertullianus, æmulatione id actum est Quantum Deo sanctitas placet, cum illam etiam inimicus adfectat, non vtique vt alicuius boni affinis, sed vt Domini Dei placita, cum contumeliâ affectans. De harum, & nostratium Virginum continentiâ, rectè S. Augustinus. Benè vtitur bono continentiam dedicans Deo; malè vtitur bono continentiam dedicans diabolo. Non enim ideo contemnenda vel detestanda sanctimonialium Virginitas est, quia & Vestales Virgines fuerunt; imò si, quæ se ei deæ gentilium Vestę sacrauerant, postmisso proposito, & corruptâ Virginali gratiâ, legali sententiâ viuæ in terrâ defodiebantur, si fana colentes tali sententia damnabantur, quantò magis quæ in sui Redemptoris honorem se veste mutauerint, & perseuerare noluerint, grauem debent exspectare sententiam. Quantum Virgines inter Christianas & Vestales intersit non modo S. Augustinus, verùm & Prudentius elegantibus ac nitidis versibus explicauit.

Sunt & Virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor & sancto tectus velamine vultus.
Et priuatus honos, nec nota & publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, & mens sobria semper
Lexque pudicitiæ, vitæ cum fine peracta
Hinc decies seni rediguntur in horrea fructus.
Quæ nunc Vestalis sit Virginitatis honestas

Discutiam, quæ lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parua teneris capiuntur in annis
Ante voluntatis proprię quam libera secta
Laude pudicitiæ feruens & amore Deorum
Iusta maritandi condemnat vincula sexus.
Captiuus pudor ingratis adducitur aris,
Nec contempta perit miseris sed adempta voluptas,
Corporis intacti non mens intacta tenetur,
Nec requies datur vlla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus & amissas suspirat fœmina tædas.
Tum quia non totum spes salua interficit ignem:
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammea canis
Nubit anus veterana sacro perfuncta labore.

Temporaneæ erant corpore magis quam animo Virgines, empticiæ & coactæ, non verè pudicę, quæ sponte continentiam delegissent. Quare & ad nuptias suspirabant, quas & ætate prouecta iam inibant. Audet quispiam, sed vereor ne temerè, Vestalibus assimilare sæculares Canonissas, quas semimoniales & temporaneas appellat, ab Apostolicâ sede nec probatas, nec improbatas. Crediderim probatas, veræ religionis ac pietatis amantes; etsi quædam earum in incæpto Virginitatis studio non perseuerent, ac iam ętate maturâ prouectaque nupturiant, ac frequenter admodum infortunato vtantur coniugio. Sed his omissis ad hæreticas Virgines appellatione magis quam reipsa veniamus, de Gnosticis impurissimis Epiph. & de Ario speciatim qui dimidio pallio & stola semper indutus colloquio blandus cum septingentis Virginitatem professis quas in vnum seducendo contraxerat, ab Alexandro expulsus est. Ariana quædam Virgo in Ambrosium intra Ecclesiam ausa manus inijcere mox subitaneâ morte temeritatis suę pœnas luit. De Donatistis Virginibus crebrò S. Augustinus & hæretici Virgines habent, & multæ sunt hæreticorum Virgines. Videamus si sponsum amant, aut Virginitas

Paulinus in vitâ Ambr. Tract. 13. in Ioann.

ginitas iſta cuſtoditur, cui cuſtodiatur? CHRISTO, inquit. Videamus ſi CHRISTO, & non Donato, cui probetur citò probare poteſtis; Ecce oſtendo ſponſum, quia is ſe oſtendit. Perhibente illi teſtimonium Ioanne ſponſæ amico. Hic eſt qui baptizat. O tu Virgo ſi ſponſo huic Virginitatem tuam ſeruas, quare curris ad eum, qui dicit ego baptizo; intellige cui voueris, ſponſus tuus totum orbem tenet, quare tu in parte corrumperis? Rex omnis terræ Deus eſt ſponſus tuus, quid ad paucos deduci vis? Hæreticæ ſanè Virgines omnes ſchiſmaticæ ſunt, ac ſeceſſionem ab Eccleſiâ faciunt; Lutherum ac Caluinum pro CHRISTO complectuntur, adulteræ ſunt, ſi non corpore, at mente, fide corruptæ, ſed proſequatur Auguſtinus. Totam eruit, tu dicis, partem hic habet. O placeres ſponſo ſi non corrupta loquereris, & corrupto, quod peius eſt corde, non corpore; amas hominem pro CHRISTO. Euidenter ergo nihil prodeſt illis ſeruare Virginitatem, habere continentiam, omnia quæ laudantur in Eccleſia nihil illis proſunt, quia vnitatem & charitatis tunicam conſcindunt. Item in Pſalmo 44. Sunt Virgines extrà templum Regis hæreticæ ſanctimoniales. Paucorum eſt in carne Virginitas, omnium in corde eſſe debet, illa corpus intactum; hæc fides incorrupta, hanc qui perdiderunt quod Paulus timet, ſine causâ in corpore Virgines ſunt; Quid enim corrupta corde ſeruat in corpore? Ideò mulier Catholica præcedit Virginem hęreticam. Obijcienti Iuliano ſi propter libidinis malum etiam de coniugibus Chriſtianis proles criminoſa profertur, ſequitur vt pudicitia Virginalis ſit fœlicitatis illatrix, & quia in impijs inuenitur, antecellant infideles pudicitię laude ſublimes, Chriſtianis libidinis labe pollutis. Reſpondet. Non eſt ita vt dicis, multum falleris, nec enim libidinis labe polluuntur qui benè libidine vtantur, quamuis generent libidinis labe pollutos, & ideo regenerandos. Nec in impijs inuenitur pudicitia Virginalis, quamuis inueniatur Virginitas carnis, quia vera pudicitia non poteſt

Ioann. 1
In pſal. 147.
2. *Cor.* 11.
L. 4. *c.* 8.

haberi in animo fornicante. Quare vtraque sui parte nutabat argumentum Iuliani, nec in coniugatis benè vtentibus matrimonio vlla culpa subest, nec in Virginibus impijs vera mentis inest Virginitas, amor pudicitiæ, ob ipsius virtutis honestatem, multoque minus ob Dei cultum & religionem. Quamquam & ipsa corporis integritas rara est in animo superbo & hæretico, nam ferè pœnâ talionis multantur, quorum animus Deo & Ecclesiæ subesse recusat, vt eorum quoque menti caro recalcitret, & eorum arrogantiâ hâc fœdâ carnis rebellione castigetur ac confundatur. Itaque de eisdem meretricibus magis quam Virginibus idem Augustinus. An non cum mœchis particulam suam ponunt, qui greges ebrios sanctimonialium suarum cum gregibus ebrijs circumcellionum die noctuque permixtos vagari turpiter sinunt? Et in Gaudentium quasdam eiusdem sectæ Donatistarum sanctimoniales se per saxa dimisisse & dissilientibus vteris homicidiorum scelere stuprorum scelera prodidisse commemorat. De falsis & simulatis Virginibus etsi minimè hæreticis Hieronymus ad Eustochium. Videas plerasque viduas antequam nuptas infœlicem conscientiam mentita tantum veste pertegere; quas nisi tumor vteri, & infantum proderet vagitus, erecta ceruice & ludentibus pedibus incederent. Aliæ sterilitatem præbent, & hac necdum nati homicidium faciunt. Nonnullæ cúm se senserint concepisse de scelere abortu venena meditantur, & frequenter commortuæ ad inferos perducuntur, trium criminum reæ, homicidæ sui, CHRISTI adulteræ, filij necdum nati parricidæ. Pudet dicere proh nefas triste, sed verum est. Vnde in Ecclesias Agapetarum pestis introijt (hâc enim voce ad tegendum turpe commercium abutébantur, de quâ & Chrysostomus) plus inferam, vnde meretrices vniuiræ? eadem domo, vno in cubiculo, & sæpe lectulo tenentur, & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimamus.

Epist. Parmen L. 2. c 9

L. 2. ca 27.

Nihil est necesse Lutheranas Caluinianasue Virgines, si

quæ

quæ sint, diligentius explorare. Vnam proponam pridem omnibus propositam eorum Reginam, & Ecclesiæ, si Deo placet, caput Anglicanæ, ex hac vnâ discetur omnes, in hâc velut speculo se contuebuntur.

Si spectentur hominum iudicia tum maximè viuentium, fuit longè fortunatissimum ac maximè diuturnum Elisabethę regnum Angliæ, sed Dei iudicio & SS. Angelorum infœlicissimum ac propè momentaneum, quid enim sunt anni quadraginta ad æternitatem? Epicuræum planè ad voluptates comparandas & captandas vndequaque comparatum, cuius ea de causa nō ad propagādos sed tuendos regni fines omnes intentę curæ vt in circumuicinâ omni regione bella sereret ac foueret, ipsa quieta & pacata suis perfueretur voluptatibus. Hæc egregia Virgo Nazarena testimonio Ottomani Imperatoris, quāplurimos Principes nuptiarū spe ac pollicitatione pellectos ciuilibus bellis implicuit, Alenzoniū summis honoribus exceptū & lautitijs, publicè prębitis diu lactatum, denique iussum prius occupare Belgium è regno specie honoris exegit, nempè quod vagos amores inexplebilis expeteret libido, & omnium turpitudinum patientissima virum tamen recipere non posset. Hinc non inscitum docti cuiusdam Angli dictum percrebuit atque in communi sermone versatum est: Senatores Anglos Reginam suam perinde ac canem fœminam habere, quâ iratis Principibus quasi infestis canibus in spem veneris obiecta latratus omnes irasque compescerent. Notissimi eius Amasij præter cæteros occultiores mœchos, quorum illi copiam ac multitudinem insaturabili libidini copulata par propè potentia suppeditabat, fuere Dudlæus Lecestrię comes, & Hartonus qui & ipse cœlebs pari pudicitię laude ad extremum perseuerauit, plus omnino poterat, quam probus amator, & erat forma corporis excellente, quam munditijs & aulico luxu supra vulgarem modum excolebat: sed quis denique fuit exitus & Reginę & Procorum eius? An non putredo & vermis? An non orcus & gehenna sempiterna?

Ca. 55. vita Campia.

Non debuerat ab Annę Bolenæ matris indole, ac disciplina meretricia Elisabetha degenerare. Et quo planè fræno retineri potuisset ab impotenti dominantis libidinis impetu Princeps ipsa, sacrorum antistes ac Regina lautitijs ac delitijs omnibus diffluens pridem mortua, non vidua, nec Virgo, nec occulta sed aperta meretrix; plurimorum martyrum inebriata sanguine, nunc in Orco sepulta, sempiternarum flammarum iuge pabulum,



CAPVT XXXVIII.

Posse votum continentiæ emitti in ætate florenti cum quis ad annos discretionis attigit.



DOCTOR Martinus Lutherus censet, non esse viros admittendos ad vota religiosa, ante annum 70. vel 80. debuerat ad ipsum propè mortis articulum velut alterum Baptismum, quando eandem vim habet, reseruare. Caluinus vero: olim, inquit, nefas fuisse ante annum 60. Fœminam ad votum continentiæ recepisse ex Apostoli præscripto, vidua eligatur non minus 60. annorum. Adolescentiores deuitat, seu reijce. *Volo iuniores nubere &c.* Iam ante Lutherum & Caluin. Erasmus velut eorum prodromus in colloquijs suis disertè consuluerat iuuenibus, ne quis ante annum ętatis 28.

Lib. de votis monast. 4. Insti. tut. c. 15 §. 19.

genus

genus vllum Monasticæ vitæ complecteretur; multaque protulerat, non incautè modo, sed & pernitiosè scripta, quibus ab omni instituto religioso absterrerentur. Esto fuerint tum quædam monasteria, in quibus disciplina religiosa prostrata iaceret, ac minus religiosè viueretur, quibus se includere non esset consultum; facilius enim praua vitiorum, quam honesta virtutum exempla consectamur: at generatim ab omni ordine Religioso deterrere, ne quis ante annum ætatis 28. vllum vitæ religiosæ genus suscipiat, quid aliud est, quam ipsum damnare institutum? Nempe vbi iam homines prauis moribus assueuerint, aut matrimonij vinculis implicti fuerint, tum denique de monasterio cogitabunt. Alia mens fuit SS. PP. qui à prima pueritia atque adolescentia iuuentutem sanctis moribus informandam censebant. Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu & saporem retinet & odorem quo imbuta est. Non sunt fęces ætatis Deo reseruandę: primus illi flos ætatis consecrandus: cum nondum animus occaluit vitijs, aut vanitatis atque huius sæculi fraudibus implicitus tenetur. Sed ad Lutherum & Caluinum; Apostoli quæ proferunt de viduis testimonia iam sunt exposita, de viduis sumptu Ecclesiæ publico alendis, ex fidelium oblationibus, quæ cum maiore nota poterant à voto continentiæ resilire, cum iuniores suo se labore possent alere. Ad illud; *Volo iuniores nubere*, opponimus illud alterum Apostoli; *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, &, *si quis iudicauit in corde suo seruare Virginem suam, bene facit*: nec vspiam tam prouectam ætatem requisiuit, neque ipse spectauit in amplectenda continentia. Non te moueat, inquit Hieronymus ad Furiam, quod sexagenaria eligatur in viduam, & putes adolescentulas ab Apostolo reprobari; & te crede eligi ab eo, qui discipulo dixerat: nemo adolescentiam tuam contemnat, non continentiam, sed ætatem; alioqui omnes quæ ante 60. annos viduæ sunt, hac lege accipient maritos. Illas vult Ecclesię opibus sustentari, quæ proprijs manibus

Hier ep. 7.

manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ ſunt, quas
Thren 3 & ætas probat & vita. *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab*
Mat. 19 *adoleſcentia ſua. Sinite paruulos venire ad me.* Ita ſacratiſſima Virgo Dei Mater à prima infantia Deo ſe conſecrauit, certè in ipſo adoleſcentiæ limine, antequam in Dei matrem aſſumeretur, ita Baptiſta ſeceſſit in deſertum, Paulus Eremita, Antonius, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciſcus, alij ſexcenti, B. Aloyſius Staniſlaus, Berchmannus, ad cariosam ſenum impudicitiam coarguendam: ita ex altero ſexu duplicem coronam retulerunt, ac ſuam Virginitatem martyrio conſecrarunt omnium linguis celebratæ Thecla 18. annorum, Agnes, Martina 13. Cæcilia, Agatha, Lucia, Aldegundis anno 12. à S. Epiſcopis Amando & H[illegible]berto velamine ſacro initiata, Clara & aliæ innumeræ in varijs aſceterijs, quibus ne temerè ſe voto obſtringant, abundè prouiſum eſt multiplici examine, probationis anno, varijs experimentis, ſuperiorum vigilantiâ ac curâ.

Viduas in florenti ætate, quamplurimas hodieque videmus, cum magna pudicitiæ laude diuino addictas obſequio, nec vnquam in Eccleſia defuit eiuſmodi viduarum genus, quæ licet in prima adoleſcentia ac iuuentute prouocarentur ad ineundas ſecundas nuptias adduci non potuerunt. Laudat Hieronym. Euſtochio Bleſillam ſororem, Furiæ Marcellam poſt acceptos maritos ſeptimo menſe viduas. De Marcella in eius epitaphio. Ab hac primum confuſa gentilitas eſt, dum omnibus patuit, quæ eſſet viduitas Chriſtiana, quam & conſcientia & habitu promittebat. Saluinam quoque commendat quod cum alias viduas ętas vel forma ſuſpectas redderet, hęc ita viuebat, vt etiam iunior duo coniungeret officia & fidē coniugis & Chriſtianę viduæ: eam alloquimur ait, cuius faciem ignoramus, quam nobis fama commendat, cuius venerabilem pudicitiam adoleſcentia fecit, quę mortem mariti ſic fleuit, vt exemplum coniugij dederit; ſic extulit, vt profectum crederet, non amiſſum. Idem Ageruchiæ ac

Furiæ

Furiæ præclara dat præcepta, quibus viduitatem in ætate florenti ſeruent integram, & à vulgi quoque ſermonibus intaminatam. Saluberrimo monito ad Furiam concludit: cogita quotidie, te eſſe morituram, & numquam de ſecundis nuptijs cogitabis. De ſua matre narrat Chryſoſtomus, ad iuniorem viduam. Nam & ego aliquando cum eſſem iunior Doctori meo, erat ille omnium hominum maximè ſuperſtitioſus, (Libanius Philoſophus) animaduerti matrem meam præ multis magnam excitaſſe admirationem, nam cum eos qui ſibi aſſidebant, interrogaſſet cuius ego eſſem? & reſponſum eſſet me viduæ mulieris filium eſſe, de me quæſiuit & alijs matris & viduitatis tempus, cum primum vero audiuit, 40. annos natam eſſe, 20. vero annum agi, ex quo patrem meum amiſiſſet, obſtupuit planè atque ad eos qui aderant conuerſus clara voce exclamauit; en quales mulieres apud Chriſtianos ſunt? Mater hæc Chryſoſtomi Anthuſa eſt dicta, non minus virtute & ſanctitate quam ætate florens. Longè admirabilior fuit Olympias Chryſoſtomi filia ac diſcipula, cui vni abiturus in exilium valedixit eius ſe precibus commendans. Hæc Nebridrio Præfecto deſponſa menſes dum- *Pallad.* taxat 20. cum eo vixit, nec tamen violata, virgo ſimul & vidua, *in Lauſ.* Aniſij 2. Comitis filia, neptis Ablauij Præfecti, nunquam *144.* ab Imperatore Theodoſio perſuaderi potuit, vt ad ſecunda *Niceph. l.13.ca.* vota tranſiret, ſed opibus in Eccleſias & egenos deſtributis, *24.* vitam omnem ieiunijs, orationibus ac pijs operibus exegit. Huic ſimili laude celebranda eſt S. Galla Symmachi conſulis filia, adoleſcentula viro intra annum extincto, dum ad iterandum thalamum ætas opeſque vocarent, & medici ob igneam, vt loquitur D. Gregorius corporis conſperſionem illi barbam enaſcituram aſſererent, niſi ad complexus viriles re- *4. Dial.* diret, vt poſt euenit, ipſa nihilominus abiecto ſeculari ha- *13.* bitu, diuino obſequio totam ſe tradidit in monaſterio ad D. Petri; vbi multis annis orationi, eleemoſynis, ieiunijs, alijſque pietatis operibus intenta, feliciſſimè ad cæleſtem ſpon-

sum, assistente ac vocante S. Petro migrauit. His adijcienda est S. Elisabeth Regis Hungariæ filia, Langrauij Turingę Principis vxor, ne casti propositi merito coniugata priuaretur, aliquot liberis susceptis superstite adhuc viro votum castitatis emisit, si viro superuixisset: quo ex hac luce substracto, Episcopus Bambergensis eius auunculus iuuenem viduam alteri despondere parabat, ac multi verebantur, ne posset auunculi iussis & auctoritati resistere; sed illa constanter respondit, se vim minimè timere, cum sibi liberum esset, & voluntate dissentire, & ad dehonestandam faciem etiam nasum præscindere: obijt quadriennio à mariti morte cum annum ageret ætatis 24. Domini 1231. Adijcere possim & S. Rictrudem Marchianensium Patronam, aliasque Illustrissimas iuuenes viduas, quæ, non admodum nuper Deo se consecrarunt; sed hoc abunde est exemplorum. Qua ætate sint ad professionem admittendæ religiosę breuiter exquiramus. Quærit hoc ipsum D. Basilius; qua ætate recipiendi sint in monasterium eius candidati: Et respondet à prima ętate recipi posse pueros, sed minimè ad professionem admittendos, quoad liberum plane, & expeditum habeant rationis & arbitrij vsum. Athanasius de humanitate verbi, ait pueros Virginitatem profiteri doctos à CHRISTO Domino; & à quo sanè castitas expectanda est? nisi ab eius auctore & inspiratore CHRISTO? Ambrosius. Non ergo ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur, at certè Theclam non senectus, sed virtus probauit: & hic quid plura contexam; cum omnis ætas habilis Deo perfecta sit CHRISTO nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem: an dubitamus, si eum vsque ad continentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad mortem confitetur infantia? Hieron. ad Eustochium testatur sua ætate fuisse in cœnobijs homines omnis ætatis pueros, senes quibus sępè vinũ & prandium præberetur vt aliorum fessa sustentetur ætas; aliorum non frangatur incipiens. Augult. Respice agmina Virginum puerorum

Quæst. 15. *3. De Virg.* *16. De san la Virg.*

puerorum puellarumq; sanctarum, in Ecclesia tua eruditum est hoc genus (non in Lutheri & Caluini schola Epicuræa) illic tibi a maternis vberibus pullulauit; nomen ad loquendũ linguam soluit; nomen tuum velut lac infantiæ suę suxit infusum: non potest quisquam ex hoc numero dicere, qui prius fui blasphemus & persecutor, imo etiam quod non iussisti, sed tantum volentibus arripiendum proposuisti, dicens; qui potest capere capiat, arripuerunt, vouerunt, & propter regnum cælorum seipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castrauerunt. Duplex sanè splendor ex innocentia & Virginitate copulatis exoritur, duplex gemma mentis & corporis expers omnis contagionis integritas. Ad professionem publicam sanctimonialium, variæ sunt à Concilijs de ætate legitima præscriptæ leges, sed nouissimè Tridentinum vetuit professionem fieri ante annum 16. quam etiam ętatem præscripserat D. Basilius. canon. 10. Concilij Romani sub Syluestro corruptus est, & agit de ijs, quæ antequam profiterentur viros expetierant & sunt omnino diutius probandę. *Sessione 25. c. 15 Canon. 4 Conc. Trulan. Lib. 3. Epist. 11.*

Gregorius agit de Abbatissa, iuuenculas Abbatissas fieri vehementissimè prohibemus, nulla igitur fraternitas tua nisi 60. Virginem, cuius ætas hoc & mores exegerint, velari permittat. Tridentinum modo requirit non sit minor annis 40. & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, si nec in alio monasterio reperiatur, aut est incommodum quæ certè 30. annum excesserit, & annis 5. post professionem cum laude vixerit. *Sess. 25. cap. 7.*



CAPVT XXXIX.

Non requiri consensum parentum ad votum continentiæ aut Religiosum statum amplectendum.

2.2. qu. 88. a 8. ad 2.



OCET hoc Diuus Thomas, & præluxerat ipse exemplo absq; matris & fratrum consensu Predicatorum Ordinem ingressus. Duæ duntaxat conditiones adhibendæ, prior vt filij peruenerint ad annos pubertatis. Pubertas in viris anno est 14. cap. 1. de Regularibus in sexto, in fœminis 12. canone puella 20. quest. 2. Posterior vt parentes non sint pressi ea necessitate, vt sine filiorum ope vitam tolerare nequeant, nam tum ex Dei precepto tenentur illis subuenire, & quoniam hæc obedientia parentum precipuè opponitur, occurrit idem
2.2. qu. 104. a 5
S. Thomas & docet duobus ex capitibus euenire, vt subditus non teneatur obedire superiori, nempe si obstet præceptum maioris potestatis, si quid iubeat Curator aut Proconsul, quod vetarit Imperator. Deinde si ea in re subditus non sit, vt quæ pertinent ad naturam in qua omnes pares sumus, in his quę pertinent ad corporis sustentationem, aut prolis generationem nec filij parentibus, nec Domino serui obedire tenentur, in eligendo matrimonio, aut statu continentiæ quod
9. Æth. 2.
ipsum ex lumine naturæ docuit Aristoteles, filium in omnibus

bus officijs non debere parenti obedire, sed si ægrotet magis obtemperare debere medico; si militet Duci in ijs quæ ad Bellicam disciplinam spectant. Igitur ex duplici hoc capite, non tenetur filius parentis consensum obtinere si se velit obstringere voto continentiæ, vt Deo vocanti obtemperet, quo referri possunt auctoritates scripturæ quæ licet expresse id non doceant, tamen insinuant & approbant. Abrahamo pręcipitur: *Egredere de domo tua & de cognatione tua, de domo patris tui*, quo facto, inquit Ambrosius, pręuenit sapictum dicta: sequere Deum. *Qui dixerit patri suo & matri suę nescio vos & fratribus suis ignoro illos, hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt. Obliuiscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Qui amat patrem vel matrem plusquam me non est me dignus.* Denique non permittit Dominus illi quem vocabat ire ad salutādum vel sepeliendum parentem, propter patrem militiam CHRISTI deseram! cui sepulturam CHRISTI causa non debeo, quam etiam omnibus eius causa debeo. Rationem appositissimam suggerit Diuus Ambrosius, cui licet maritum eligere, cur non liceat Deum pręferre! Si licet matrimonium carnale parentibus inuitis inire, cur non & spirituale? quilibet ingenuus post annos pubertatis est sui iuris in quo liberi differunt à seruis, qui suis Dominis sunt obstricti, & à coniugibus consummato matrimonio, qui non habent sui corporis potestatem, sanè si quis rationes inire velit quid Deo, quid parentibus debeamus, reperiet hoc quod parentibus debemus, respectu Dei esse perexiguum, ac propè nihil; nam à Deo habemus animam, quæ pręcipua pars est, à parentibus corpus, imo solius corporis quod à Deo formatur & in sua membra atque organa distinguitur informem vilemque materiam, vt si de cuiuspiam sputo Deus statuam effingeret. Pulchrè Augustinus istis generantibus Deus creat, nam si tu creas, dic quid tua mulier paritura sit, quid dicam tu dic; dicat ipsa quæ quid portat ignorat. Atque


Gen. 12. Deut. 33. Psal. 44. Matth. 10. 37. Matth. 8. 22. Psal. 70 con. 2.

hoc ipsum quod conferunt parentes, à Deo acceperunt sed originalia culpa vitiatum transmittunt. Quid à vobis habeo Elias apud Bernardum ad parentes suos nisi peccatum & miseriam? à Deo vitam animæ & gratiæ per baptismum nanciscimur, quæ vita longè potior est beatam spectans æternitatem, & diuino numini longè nos magis obstrictos reddit. Quo pertinet illud Hieronymi ad Furiam non es eius cui nata, sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit, sanguine suo. Laudat Gregorius Turonensis SS. Leobardum & Eupulam, quod inuitis vterque parentibus monasticam vitam essent amplexi. Sed vrgent Lutherus & Magdeburgenses præceptum de obediendo parentibus, quod omni ætate obligat, sicut vouere non licet filio se non obediturum parentibus, sic nec votum continentiæ aut religionis illis inuitis suscipere; potest adijci confirmatio ex Concilio Gangrensi. Quicunque filij à parentibus prætextu diuini cultus abscedunt, nec debitam illis reuerentiam dependunt, anathema sit. Responsio perfacilis est, iam expedita. Obediendum parentibus in ijs quæ pietati non officiunt, quæ maiorem Dei gloriam, liberorumq; perfectionem nihil impediunt. Honorandi parentes, sed præponendus est Creator, crudelitas ista pietas est, inquit Hieronymus, illum enim præfers matri, quem iuberis præferre & animæ tuæ. Sola causa, qua non licet obedire parentibus Deus est. Ex Bernardo & si impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter CHRISTVM pijssimum est; nam qui dicit honora patrem & matrem, ipse etiam dixit, qui amat patrem & matrem plusquam me non est me dignus: Honor illis impendendus subsidiorum ad vitam necessariorum si egeant, & desint alij per quos æquè commodè sustententur, nam non omnes filij eadem ratione parentes iuuant, alij consilio, alij artificio, alij elemosynarum aut suarum opum subsidio, de hoc maximè casu intelligendum Gangrense Concilium; tunc enim quidam

Epist.

quidam male intellectis Domini verbis, Lucæ 14. Siquis venit ad me &c. prętextu Euangelij relinquebant non tantum parentes, verùm & vxores & liberos, nec eorum vllam curam gerebant, tametsi maximè indigerent, hos subijcit anathemati, cęterum *inimici hominis domestici eius* *Matth. 10. 36.* & cum agitur de continentia aut vita religiosa complectenda non admodum consultandi sunt parentes qui ad carnem & præsentem vitam omnia referunt. Si repugnent & retrahant à sanctiore instituto ne audiendi quidem. Iure eos Ambrosius lib. 3. de Virg. deteriores ait esse gentilibus. Illic præmijs reuocabantur à nuptijs, hic ad nuptias coarctabantur iniurijs, illic violentia fit vt capiantur, hic fit violentia ne profiteantur & potest esse patientia Sacerdotum, vt non vel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificium vindicent; egregie votum castitatis vocant integritatis sacrificium, non propriæ modo cuiusque Virginis, sed ipsius quoque Sacerdotis, quem castitatis esse decet præsidem morte vindicandum.

CAPVT



CAPVT XL.

Posse coniuges mutuo consensu seruare & vouere continentiam.



CVM demonstratum sit eos qui ex coniugio, ad Episcopatum, presbyteratum, aliosue sacros ordines assumerentur abstinuisse deinceps ab vsu coniugij, non dubium est quin mutuo consensu votum continentiæ suscipere potuerint, aut vterque, aut alter coniugum, idque pluribus exemplis & rationibus confirmant sancti Patres. Basilius in quæstionibus fusius explicatis. Eos qui ex coniugio ad religiosam vitam accedunt interrogare oportet, an ex consensu hoc faciant, & Deum denique si forte coniux alter initio renuat præbere consensum, tamdiu precibus vrgendum quo ad omnino consensum præbeat. Augustinus ad Ediciam: Quod *Epistol. 199.* Deo pari consensu ambo voueratis perseueranter vsque in finem reddere debuistis, à quo proposito si lapsus est ille, constantissimè perseuera.

Epistol. 45. Ad Armenterium & Paulinam: Ambo Deo reddite quod ambo vouistis; sit vester consensus oblatio ad supremum altare Creatoris. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo, quæ demonstrant votum mutuo consensu editum

tum plane obstringere. Denique ad Paulinum virum ordinis Senatorij, laudat illum quod cum lectissima coniuge Tharasa votum continentiæ susceperit: ipse Paulinus ad Afrum de eodem voto illum coniugemque deprædicat. Hieronymus ad Rusticum: Narrauit mihi vxor quondam tua, nunc soror atque conserua, quod iuxta præceptum Apostoli ex consensu abstinetis vos ab opere nuptiarum vt vacaretis orationi, tuaque rursum vestigia quasi in salo posita fluctuasse, imo vt apertius loquar esse prolapsa; illam autem audisse à Domino cum Moyse, tu vero hic sta mecum, & dixisse de Domino statuit supra petram pedes meos, tuam domum, quæ fundamenta fidei solida non habebat, postea diaboli turbine corruisse, porro illius perstare in Domino & suum tibi hospitium non negare, vt qui prius corpore commotus fueras, nunc spiritu copuleris hortatur illum Hierosolymam se conferat, ad hoc idem continentiæ & religiosę vitæ studium cum coniuge sorore persequendum. Narrat Sulpitius de Sancto Martino l. 2. de eius virtutibus militem quemdam abiecto cingulo Monachum effectum: vxorem in monasterio puellarum collocasse continentiæ pari consensu ac studio seruandæ causâ; Verum Eremitam illum, mutatâ voluntate, deinde contendisse à S. Martino sibi vxor restitueretur, vt eius solo duntaxat vteretur solatio, ac contubernio; nihil metuendum ne se rursum in sua reuoluerent, quod in eadem sacramenta iurati sexum merito fidei nescirent; Martinum vehementer repugnasse; Militi in acie stanti ac pugnanti nihil opus vxoris consortio, vtrumque suam, altero absente, pudicitiam tutius ac facilius conseruaturum, adijciens; & illam se dignam sententiam; mulieris primam & consummatam esse virtutem non videri. In fugâ sanè victoria est. Non tam pugnasse quam pugnam fugisse vicisse est. Greg. ad Theoristam Patriciam: Si verè vtriusque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est quod omnipotens Deus, qui minora concessit,

Epist. 3.

Ps. 39. 3

Lib. 9. Epist. 19.

maiora non prohibuit? concessit inferiorem statum matrimonij; eminentiorem continentiæ non modo non prohibuit, verum etiam consuluit. Alter Gregorius Turonensis narrat è duobus coniugibus, qui sancti Amantes dicebantur, quod ex consensu caste vixerant, cum altera esset defuncta, alter superstes vt Deo gratias ageret, ac palam diceret: Gratias tibi ago omnipotens conditor, quod hanc puellam sicut impollutam tradidisti, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi restituo, illa tametsi mortua subridens ait: Sile vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum nemine interrogante secretum. Theodoretus laudat Pelagium Laodicensem Episcopum, quod prima die nuptiarum cum ipse iuuenis iuuenem sponsam duxisset, ei persuaserit, vt simul continentiam vouerent ac seruarent. Hilarius Arelatensis ad Augustinum, sciat sanctitas tua fratrem meum cum matrona sua ex consensu perfectè Deo cõtinentiam deuouisse, vnde rogamus sanctitatem tuam vt orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare ac conseruare dignetur quando mutuus intercedit consensus nulli fit iniuria, & ex quocunque gradu, licet ad superiorem statum perfectionis contendere. Præter hæc exempla suppetunt alia quamplurima. Amonis Monachi, qui cum Virgine coniuge Virgo permansit, cuius animam vidit S. Antonius in cælos ab Angelis deportari. Alterius laici apud Cassianum, qui dæmonem expulit quem nequiuerat Abbas Ioannes. Maturiani & maximè apud Victorem de persecutione Vãdalica. Eduardi Regis Angliæ, & Editę apud Surium. Henrici primi Imperatoris, & Chunegundis apud Crantium. Vrseoli Ducis Venetorum, apud Volaterranum, qui miraculis fuit illustris. S. Catharinæ Suedę apud eundem. Alfonsi vndecimi Regis Castellæ. S. Elzearij & Delphinæ apud Surium. Boleslai pudici Regis Polonię de quo Clemens Ianitius:

De gloria Cõfess. 32.

Coniuge consenuit cum Virgine Virgo pudicus,
Addictus studijs casta Diana tuis.

Horum omnium exemplorum origo & exemplar fuit virgineum

gineum Deiparæ cum S. Ioseph coniugium, de quo mox, vt hinc ad castitatem coniugalem explicandam gradum faciamus. Sed nō omittendus Malchus monachus, quem damnant Magdeburgenses: quod ex consensu abstinuerit à coniuge, quam duxerat in captiuitate: imperitiæ ipsi damnandi, qui nō aduerterunt scriptum à S. Hieronymo Malchum à Barbaro domino coactum ducere in vxorem mulierem captiuam, quæ virum habebat: cui coniungi non poterat, absque adulterij crimine. Simulauit ergo nuptias vt simul mortem euitarent, habuitque illam pro sorore non pro coniuge. Sanè à primis Ecclesię temporibus seruatam mutuo consensu continentiam pręter ea quæ sunt dicta, ex cap. 4. Actorum non obscure demonstrant veterum testimonia vt illud Tertullian. Quot sunt qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt, voluntarijs spadonibus pro cupiditate cælesti saluo matrimonio abstinentia toleratur, quantò magis adempto, & alibi hanc vocat honestam occulti matrimonij dissimulationem. Denique de castis coniugibus, qui ex consensu communem contumeliam iam recusauerunt Cyprianus de singularitate clericorum. Adhuc habeo quid mirari, cum videam de Christianis plerosque maritos pariter & vxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, vt consensu communium votorum, sine irritatione præsentiæ & concordante secessu valeant obtinere. Et post nonnulla: Grande miraculum, vt Virginum charitas Virgines faciat velut coniuges credi: & coniugium charitas faciat Virgines ęstimari. Ecce vera dilectio quę in coniugalitate diuidit, vt in castitate coniungat. Quapropter frustra Petrus Martyr allegat illum Apostoli locum: *Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi, & iterum, reuertimini in id ipsum.* Cum mox subdat, *secundum indulgentiam dico non secundum imperium.* Cum optet Apostolus vt semper vacemus orationi & nullo non die sacram Eucharistiam

Baron. ad ann. 57. 4. Ad vxorem c.6. De resurrect. com. 18.

1. Corint. 7.

maiora non prohibuit? concessit inferiorem statum matrimonij; eminentiorem continentiæ non modo non prohibuit, verum etiam consuluit. Alter Gregorius Turonensis narrat è duobus coniugibus, qui sancti Amantes dicebantur, quod ex consensu caste vixerant, cum altera esset defuncta, alter superstes vt Deo gratias ageret, ac palam diceret: Gratias tibi ago omnipotens conditor, quod hanc puellam sicut impollutam tradidisti, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi restituo, illa tametsi mortua subridens ait: Sile vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum nemine interrogante secretum. Theodoretus laudat Pelagium Laodicensem Episcopum, quod prima die nuptiarum cum ipse iuuenis iuuenem sponsam duxisset, ei persuaserit, vt simul continentiam vouerent ac seruarent. Hilarius Arelatensis ad Augustinum, sciat sanctitas tua fratrem meum cum matrona sua ex consensu perfectè Deo cõtinentiam deuouisse, vnde rogamus sanctitatem tuam vt orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare ac conseruare dignetur quando mutuus intercedit consensus nulli fit iniuria, & ex quocunque gradu, licet ad superiorem statum perfectionis contendere. Præter hæc exempla suppetunt alia quamplurima. Amonis Monachi, qui cum Virgine coniuge Virgo permansit, cuius animam vidit S. Antonius in cælos ab Angelis deportari. Alterius laici apud Cassianum, qui dæmonem expulit quem nequiuerat Abbas Ioannes. Maturiani & maximè apud Victorem de persecutione Vãdalica. Eduardi Regis Angliæ, & Editę apud Surium. Henrici primi Imperatoris, & Chunegundis apud Crantium. Vrseoli Ducis Venetorum, apud Volaterranum, qui miraculis fuit illustris. S. Catharinæ Suedę apud eundem. Alfonsi vndecimi Regis Castellæ. S. Elzearij & Delphinæ apud Surium. Boleslai pudici Regis Polonię de quo Clemens Ianitius:

De gloria Cõfess. 32.

Coniuge consenuit cum Virgine Virgo pudicus,
Addictus studijs casta Diana tuis.

Horum omnium exemplorum origo & exemplar fuit virgineum

gineum Deiparæ cum S. Ioseph coniugium, de quo mox, vt hinc ad castitatem coniugalem explicandam gradum faciamus. Sed nō omittendus Malchus monachus, quem damnant Magdeburgenses: quod ex consensu abstinuerit à coniuge, quam duxerat in captiuitate: imperitiæ ipsi damnandi, qui nō aduerterunt scriptum à S. Hieronymo Malchum à Barbaro domino coactum ducere in vxorem mulierem captiuam, quæ virum habebat: cui coniungi non poterat, absque adulterij crimine. Simulauit ergo nuptias vt simul mortem euitarent, habuitque illam pro sorore non pro coniuge. Sanè à primis Ecclesię temporibus seruatam mutuo consensu continentiam pręter ea quæ sunt dicta, ex cap. 4. Actorum non obscure demonstrant veterum testimonia vt illud Tertullian. Quot sunt qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt, voluntarijs spadonibus pro cupiditate cælesti saluo matrimonio abstinentia toleratur, quantò magis adempto, & alibi hanc vocat honestam occulti matrimonij dissimulationem. Denique de castis coniugibus, qui ex consensu communem contumeliam iam recusauerunt Cyprianus de singularitate clericorum. Adhuc habeo quid mirari, cum videam de Christianis plerosque maritos pariter & vxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, vt consensu communium votorum, sine irritatione præsentiæ & concordante secessu valeant obtinere. Et post nonnulla: Grande miraculum, vt Virginum charitas Virgines faciat velut coniuges credi: & coniugium charitas faciat Virgines ęstimari. Ecce vera dilectio quę in coniugalitate diuidit, vt in castitate coniungat. Quapropter frustra Petrus Martyr allegat illum Apostoli locum: *Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi, & iterum, reuertimini in id ipsum*. Cum mox subdat, *secundum indulgentiam dico non secundum imperium*. Cum optet Apostolus vt semper vacemus orationi & nullo non die sacram Eucharistiam

Baron. ad ann. 57.

4. Ad vxorem c. 6.


De resurrect. com. 18.

1. Corint. 7.

frequentemus optat quoque, vt coniuges perpetuo abstineant ab vsu coniugij, *cupio omnes esse sicut meipsum*, vt imitatores omnes eius existerent sicut & ipse CHRISTI, qui Virgo de Virginali coniugio nasci voluit. Ille Virgo de Virgine, de incorrupta incorruptus. Nos quia homines sumus & natiuitatem Saluatoris imitari non possumus, imitemur saltem conuersationem, cum tam breue & exiguum sit tempus huius vitæ ad promerendam æternitatem: reliquum est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & beatam illam vitam auspicentur, in qua neque nubent neque nubentur. Si per omnem æternitatem temperabimus ab omni vsu coniugij, cur non & breuissimo vitæ huius caducæ propè momentaneæ curriculo? Delicatus es, Christiane, si & in hoc sæculo voluptatem concupiscis; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem, qua carēt Angeli, qua cariturus omni æternitate, si carere dici potes, eo quod non desideres.

Tertul. de spectacul

CAPVT





CAPVT XLI.

De Virgineo coniugio quod inter B. Virg. Mariam, & S. Ioseph intercessit.




DIVÆ Elisabethę Thuringiorum Principi nuptę, triplex assignari solet diadema, quod triplicem statum continentiæ virginalis, maritalis, & vidualis mirificè suis virtutibus exornarit, ac virginibus, maritatis, ac viduis eximium pudicitię, omnisque virtutis exemplar extiterit; at longè iustiore ac eminentiore ratione triplex ea corona deferenda est Virgini Dei matri, quæ triplicis eius status, decus, & ornamentum fuit incomparabile, omnemque eius absolutionem, ac perfectionem virtutibus suis, ac diuinis moribus expressit. Venite, inquit D. Fulgen. Virgines ad Virginem, venite concipientes *Serm. 3.* ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam, adde, maritatæ ad maritatam, viduæ ad viduam; sed intemeratam semper Virginem. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro IESV CHRISTO suscepit, vt omnibus ab se confugientibus fæminis subueniret, & sic restauraret omne genus fæminarum ad se venientium, noua Eua seruando Virginitatem, sicut om-

frequentemus optat quoque, vt coniuges perpetuo abstineant ab vsu coniugij, *cupio omnes esse sicut meipsum*, vt imitatores omnes eius existerent sicut & ipse CHRISTI, qui Virgo de Virginali coniugio nasci voluit. Ille Virgo de Virgine, de incorrupta incorruptus. Nos quia homines sumus & natiuitatem Saluatoris imitari non possumus, imitemur saltem conuersationem, cum tam breue & exiguum sit tempus huius vitæ ad promerendam æternitatem: reliquum est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & beatam illam vitam auspicentur, in qua neque nubent neque nubentur. Si per omnem æternitatem temperabimus ab omni vsu coniugij, cur non & breuissimo vitæ huius caducæ propè momentaneæ curriculo? Delicatus es, Christiane, si & in hoc sæculo voluptatem concupiscis; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem, qua caret Angeli, qua cariturus omni æternitate, si carere dici potes, eo quod non desideres.

Tertul. de spectacul

CAPVT





CAPVT XLI.

De Virgineo coniugio quod inter B. Virg. Mariam, & S. Ioseph intercessit.



IVÆ Elisabethę Thuringiorum Principi nuptę, triplex assignari solet diadema; quod triplicem statum continentiæ virginalis, maritalis, & vidualis mirificè suis virtutibus exornarit, ac virginibus, maritatis, ac viduis eximium pudicitię, omnisque virtutis exemplar extiterit; at longè iustiore ac eminentiore ratione triplex ea corona deferenda est Virgini Dei matri, quæ tripliciseius status, decus, & ornamentum fuit incomparabile, omnemque eius absolutionem, ac perfectionem virtutibus suis, ac diuinis moribus expressit. Venite, inquit D. Fulgen. Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam, adde, maritatæ ad maritatam, viduæ ad viduam; sed intemeratam semper Virginem. Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro IESV CHRISTO suscepit, vt omnibus ab se confugientibus fæminis subueniret, & sic restauraret omne genus fæminarum ad se venientium, noua Eua seruando Virginitatem, sicut omne *Serm. 3.*

ne genus virorum Adam nouus recuperaret Dominus IESVS CHRISTVS. Obseruo illud seruando Virginitatem in statu quoque coniugali & viduali; nupta quidem & vidua, sed Virgo semper illibata. Inter ipsam & B. Ioseph intercessisse verum coniugium probant Angeli verba; *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et Virginis Deiparæ ad filium: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. Fuitque ea communis opinio Iudæorum, qui IESVM vocabant filium Ioseph, filium fabri. Fuit Ioseph verè CHRISTI pater, quod ex sua coniuge natus esset, multo magis quam si fuisset adoptatus, aut certè prius ex alio coniugio natus, eo quod iure huius coniugij in quo natus est per Mariam matrem, spectabat ad Ioseph, habebatque ius paternum in illum ex sua coniuge progenitum. Vulgo putabatur naturalis pater qui nutritius erat, quasi verè eum genuisset, sed ab eis hoc putabatur quos Mariæ latebat integritas. Atque hic sensus est S. Augustin. multis locis Ioseph vere fuisse patrem CHRISTI, non generatione carnali, sed veritate coniugij, quodque B. Virgo ob eam caussam, quia vir caput est vxoris, & vxores subiectæ esse debent viris, eum sibi præponebat honoris causa pater tuus & ego. Peperit ei Iosepho tanquam patri, vbi nos habemus suum, simul occurrit de copula, quæ fuit inter eos charitas coniugalis, quæ coniuges facit, non libido; idque confirmat exemplis coniugum Christianorum. Potior sanè est animorum quam corporum coniunctio, plusque longè potest ad indiuiduam vitæ societatem retinendam, quæ in matrimonij definitione ponitur. Idem Auctor, coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio. Omne bonum nuptiarum impletum est in illis parentibus CHRISTI; proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum IESVM; fidem, quia

Matth. 1. 20. *Matt. 1. Ioseph vir eius.* *Matth, 13. Luc 3.* *Ser. 63. de diuers.* *Luc. 2.* *1. De nuptijs & concup. c. 11. 5. cõtra Iulian. c. 6 12. de consensu c. 1.*

quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium. Denique hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruatâ pari consensu continentia posse permanere coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Consentit D. Ambrosius remouens eam obiectionem quę fieri poterat, nullum fuisse vsum coniugij; non enim defloratio Virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. Hieronymus aduersus Heluidium, tu dicis Mariam Virginem non permansisse; ego mihi plus vindico, etiā ipsum Ioseph Virginem fuisse per Mariam, vt ex Virginali coniugio Virgo filius nasceretur. Ex quo dicto D. Hieronymi colligo tametsi ordinarie nulla sit ratio legitime contrahendi matrimonij præter liberorum procreationem, quæ tabulis præscribitur, honestamque educationem, tamen hoc initum Virginale consilium diuino consilio, vt ex eo diuina & Virginea proles susciperetur absque vsu coniugij, quem sancti coniuges isti non modo non intenderant, sed contrario proposito ac voto longissimè remouerant. Sed dicat quispiam hæc inter se pugnare, propositum ac votum concipere perpetuæ Virginitatis, & inire velle coniugium, cuius scopus ac fructus ex eius vsu legitimo est prolis susceptio, cum sacratissima Virgo & S. Ioseph forent ignari mysterij ex eo coniugio, verbi diuini aliquando incarnandi, quo fine ac fructu potuerunt inire matrimonium, ac simul illibatam castitatem seruare velle? Matrimonij contractus in eo situs est, quod vir & mulier sibi mutuo tradant sui corporis potestatem, ad vsum & actum coniugalem, quare videtur eo implicitè contineri consensus ad vsum coniugij, cui tamen repugnat propositum ac votum perpetuæ castitatis, qua de causa Apostolus, ait, eas quæ post votū nubere volunt, damnationem habere, eo quod primam fidem irritam fecere, & Hieronymus, citante Gratiano, vouentibus non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est. Hugo Vi-

Inst. 6. *1. De instit. Virg c. 6*

1. Tim. 5.

17. q. 1.

go Victorinus de perpetua Mariæ Virginitate, ad eam quæstionem tum primum exortam respondet B. Virginem, antequam in matrimonium consentiret, edito iam voto Virginitatis [ex diuina reuelatione per Angelum, aut certè diuino instinctu & certissima inspiratione non dubitauisse; quin Ioseph acceptâ sui corporis potestate nunquam eâ esset vsurus, atque ita consentire potuisse in traditionem potestatis sui corporis, non tamen in vsum & actum coniugij, de quo nunquam futuro certissima erat diuina reuelatione. Idem de S. Ioseph præsumi potest, cum in matrimonium consentiret, decreuisse nunquam eo vti velle cum defloratione Virginitatis suæ, aut certè non venisse illi in mentem de actu & vsu futuro coniugij, vt nunquam eius consummandi voluntatem habuerit, & non solum corpore, verum & mente fuerit integerrimus Virgo. Imo verosimile est, sacratissimā Virginem, cum iniret coniugium, pactam fuisse cum Ioseph de nunquam adhibendo eius vsu, illumque induxisse, vt simul votum Virginitatis perpetuæ conciperet, quod non difficilè fuit sua sponte ad pudicitiam propensissimo persuadere, tum itaque verosimile est simul votum Virginitatis dedisse, ac Virgineum contraxisse coniugium ea lege ac conditione, vt semper Virgineum existeret. Distinguitur enim potestas ab vsu ac seorsim licet consentire in traditionem potestatis non vsus; hac fiducia, ac certitudine diuina Cæcilia post votum Virginitatis Valeriano nupsisse legitur, Angelum sanctum sibi promittens sui corporis custodem. Si quis iurasset se aliquam ducturum in vxorem, & post traheretur deuotione religionis ingrediendæ; eamque Deo voueret, aut perpetuam castitatem, posset vtrumque iuramentum & votum implere, ductâ vxore, sed ante consummatum matrimonium ingredi religionem, vt consulit Alexander 3. Non pugnant dare Deo corpus suum ad perpetuam continentiam, & postea dare idem viro, quem scias nunquam vsurum; Manet Deo quod ei pro-

Extra de spons. c. commissum.

promissum est, & vero ius seu potestas ab actu remota nunquam in vsum reuocanda. Adulter retinet potestatem in corpus coniugis, sed tamen à iure vtendi excluditur, frigidus & maleficiatus à consummato matrimonio, ius habet in illud sed impeditum maleficio, ita non consummato vterque, sed impeditum & illigatum voto non vtendi. Potuere SS. Virgo & Ioseph nihil de vsu matrimonij cogitantes illud contrahere, non spe prolis suscipiendę, sed vt in externo hoc genere vitæ moribus se suæ gentis accommodarent, aut vt parentum, si erant superstites, aut sacerdotum iussis obsequerentur, accedente præsertim diuino instinctu, quo in omnibus consilijs SS. Virgo, permouebatur. Sat habuerunt hanc esse maiorum suorum parentum aut Sacerdotum, ac Dei voluntatem, etsi eius consilij rationes minime ducerent sibi curiosius inquirendas. Apostoli sententia, Hieronymi aut potius Augustini nuptias aut nubendi voluntatem post votum cōdemnantium, illas dumtaxat perstringit, quæ nuptias propter concubitum expetunt, aut per nuptias exponunt se certissimo periculo incontinentię, quod est ordinarium. Nuptiæ enim ad concubitum referuntur. Hinc SS. Patres qui negant nuptias inter Deiparam & Ioseph interuenisse, vt Epiphanius ait, desponsata fuit Maria non nupta. Gregorius. Ioseph sponsus qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Augustinus, Virginem concepisse antequam sponsum haberet, & concepisse antequam nuberet. Hieronymus, Chrysostomus & alij intelligunt per nuptias matrimonij consummationem iuxta illam Matthęi phrasim. *Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens*, antequam sponsum haberet, eo frueretur vnaquæque virum suum habeat. 1. Cor. 7. Vocantur coniuges sponsi & sponsę ante vsum coniugij, alioquin non est dubitandum quin Virgo Deipara cum ab Archangelo salutata Dei Verbum concepit iam esset solemni ritu Ioseph coniugata, accepta à sacerdotibus, si mos erat benedictione, quin in eisdem ædibus communiter habitarent. Non enim satis fuisset eius honori & fa-

Her. 78. hom. 26 in euāg. Ser. 17. de tēpo. Hieron. Matth. 1. & contra Heluid. Chrys. ho. 4. in Matth. Matth. 1. 18.

mę consultum si iam tum maritata non esset, & ex coniugio concepisse non crederetur. Maluit Dominus quosdam de sua generatione quam de matris pudore dubitare, inquit Ambrosius. Quando sponsa concipit in ædibus sponsi ex coniugio. reputatur honesta & legitima conceptio, quando ante cohabitationem, dubia & suspecta proles. Ac quemadmodum in Virgine matre, miro quodam fœdere copulatæ sunt virginitas atque fæcunditas antea diffidentes, ita & in hoc coniugium virginale conuenerunt integritas atque fæcunditas, ne absque fructu & prole sterile foret. Vterque status virginalis ac maritalis ab vtroque hoc sanctissimo coniuge fuit excolendus, vt neque eis deesset Angelica puritas, ac sanctitas, neque summa animorum coniunctio, societas vitæ perpetua, proles quoque diuina fructus coniugij. A virginitatis statu Beata Mater & Sanctus Ioseph obtinuit eximiam puritatem; à coniugij, societatem vitæ indiuiduam, & Beata Mater subiectionem & obedientiam quam vxor marito debet. Si quo in coniugio, in hoc maxime excelluerunt Apostolica monita & præcepta: *Mulieres subditæ estote viris sicut oportet in Domino. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino.* Temeritatis non accusarim qui dixerit hoc matrimonium speciali priuilegio ad Euangelici Sacramenti dignitatem euectum, ad illudque pertinere quę de coniugio tradit Apostolus ad Ephesios. *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Nam Ecclesiæ princeps membrum, & primaria figura extitit B. Virgo. Certe fuit incomparabilis huius augustissimæ ac sanctissimæ domus disciplina, virtutum omnium schola, temperantiæ, abstinentiæ, virginitatis, obedientiæ, patientię, paupertatis, orationis, contemplationis, religionis ac pietatis, charitatis & mutuæ coniunctionis exemplar absolutissimum, in quod si intueantur coniugati, plurimum pręsidij, ac solatij in oneribus matrimonij perferendis inuenient. Non erat Ioseph octogenarius senex, vt eum

in lib 1.

Coloss. 3.18. 19.20.

Eph. 4. 32.

pictores

pictores effingunt, & insinuat Epiphanius, sed vir ætatis maturę, ad generandum, & coniugij perferendos labores idoneus, aut quemadmodum alter Ioseph adolescens pudicissimus, de quo sit illud Isaiæ vaticinium: *Habitabit iuuenis cum virgine*. Ad castimoniam tuendam plus Dei gratia ac virtus valet, quam natura vel ætas prouecta. Fuit Ioseph Virgini Deiparę, complexione specie ac forma, indole moribus, atque omni virtute simillimus, perpetua vitæ societate atque intima charitate coniunctissimus, hoc nomine & IESV Dei filio Saluatore beatissimus. In hoc virgineo coniugio licuit illud obseruare quod in maximam virginitatis laudem à Diuo Basilio traditur. Oportet, inquit, serenum esse virginis animum, ac diuinis cogitationibus velut ex purissimo quodam fonte stagnantem, tranquillum, pacificumque durare; vt neque inuectis per aures verbis agitetur, neque irruentibus per oculos formis, à statu illo suæ quietis fluctuans deuiet; ita veluti in lucidissimo speculo & suam speciem, & sponsi pulchritudinem intuens, illius amore carius ac germanius exsatiabitur. Et infrà: Nullius vt breuiter dixerim absentis, nullius præsentis hominis speculum sic virginis anima, nisi Sancti Sponsi sui, nulla prorsus in eo alia, quam sponsi inspiciatur forma: & tria specula lucidissima Deitatis, has tres animas beatas dixerim, Iosephi, Marię, & Saluatoris, & hæc quidem anima beatificâ perfruens visione, atque hypostaticâ cohęrens vnione, non poterat non esse beatissima. At Iosephi & V. Mariæ, assiduâ in Iesum infantem, puerum adolescentem, parentum suorum conditorem & animarum sponsum animi cogitatione defixa, mens quibus splendoris diuini radijs illustrabatur? quam inde diuinæ pulchritudinis speciem ac formam hauriebat! vt in suum sponsum inflammatâ charitate penitus abripiebatur! Dilectus meus mihi, & ego illi.

Isa. 62.

Sanct

CAPVT XLII.

Præcepta continentiæ maritalis ex historia Tobiæ, & qua ratione Asmodæus luxuriæ dæmon relegandus.



ARA coniux Tobiæ iunioris egregium specimen, exhibet sponsę & coniugis Christianæ, quæ de se confitetur, in oratione cor suum coram Deo profundens. *Tu scis Domine quia nunquam concupiui*
Tobiæ 3.16. *virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia, numquam cum ludentibus miscui me, neque cum*
17. *his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Virum autem*
18. *cum timore tuo, non cum libidine mea consensi accipere.* Si pari pudicitia & continentia præditi fuissent eius septem sponsi, nihil in eos iuris Asmodæus sibi vindicasset, non eos primo ipso in aditu ac congressus voluntate, præfocasset: sed quo castior Sara eo illi impuriores, eo maiore in eam æstu libidinis abripiebantur, indigni qui tam pudicam attingerent, digni mala morte corporis atque animi sempiterna; sed & illud eximium fuit animi moderationis exemplum in Sara, quod conuitio & contumelia ab irata ancillula appetita, non est recriminata, nec se vlta, sed ad tridui ieiunium & orationem in superius conclaue secessit, quem morem sancta Iudith obseruasse legitur. Atrox erat illa pedissequæ contumelia non

vna

vna simplex qua sterilitatem illi imprecata, velut sponsorum interfectrici, & quæ sibi quoque necem intentaret. Cum ad eam in coniugium petendam hortaretur Tobiam Archangelus Raphael, quod illi deberetur omnis substantia, vti patrueli eius, & maxime propinquo: Tobias verò non nihil anxius Tobiæ
obijceret: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt. 6.v.14.
Sed & hoc audiui quia dæmonium occidit eos, quia eam amat ex textu Græco, id quoque audierat falso vulgatum, nam quorsum pudicam amasset malus dęmon: timeo ergo ne & mihi hæc eueniant. Explicuit Angelus quibus præualere posset dæmonium. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt vt Deum* 15.
à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus habet potestatem dæmonium 17.
super eos. Causa mortis horum sponsorum non fuit quod idololatræ forēt, aut à gente ac religione Iudæorum alieni, quibus tum verisimile non est parentes Saræ illam desponsaturos, sed quod libidine excæcati, Deum à mente sua & cogitatione seclusissent. Quod prauę concupiscentię flammis succensi totos sese luxuriæ mancipassent brutarum instar pecudum, Asmodæi iam facti mancipia. Præscribit exinde Angelus Tobiæ modum, quo legitimo coniugio vtatur ad liberorum procreationem. *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus* Tob.6.18.
vacabis cum ea. Ipsa autem nocte incenso iecore piscis fugabitur dæmonium, secundâ autem nocte in copulatione SS. Patriarcharum admitteris, tertia autem nocte benedictionem consequeris vt filij ex vobis procreentur incolumes. En qua ratione, procul amandetur ac relegetur Asmodęus, luxuriæ dæmon ne coniugatis officere queat, non tam cathenis ferreis, quam triduana & continenti precatione, continentia atque antegresso ieiunio. Disputat Serrarius, alijque interpretes an Deus auctor naturæ vim aliquam atque efficientiam naturalem indiderit iecori aut cordi huius piscis aduersus Asmodæum? Id compertius habent supernaturalem vim inditam, ad quam tria concurre-

 riat,

rint: Primum remotio causæ, qua patebat aditus Asmodæo, ardor libidinis, qua septem illi proci flagrabant. Deinde secundo preces ardentes sponsorum horum, Tobiæ & Saræ & eorum parentum. 3. Denique mysterium significationis quæ duplex est in isto fumo. Prior passionis CHRISTI Domini quam indicat S. August. Est CHRISTVS piscis iste qui ad Tobiam ascendit, huius iecore per passionem assato fugatus est diabolus; & Prosper, addit, & Tobias illuminatus.

Ser. 4. in festo SS. Apostol. Petri & Pauli.

c. de promissum & prædict.

Posterior extinctionis seu debilitationis earum partium, quæ ad libidinem incitant. Cum enim splen faciat ridere, cogat amare iecur, & in scriptura etiam cor Prou. 4. Matth. 15. dum in cinerem & fumum cor & iecur rediguntur, significatio eius quod dictum est apparet. Quo videtur D. Ambros. respexisse hymno quem matutino sabbathi concinimus lumbos iecurque morbidum, adure igni congruo, accincti vt sint perpetim luxu remoto pessimo. Verum omittenda non est Lutheri de hoc fumo & iecore piscis Epicurea & Lucianica disputatio. Cum nullam illi vim inesse nec naturalem nec supernaturalem iudicasset Ionas eius discipulus rationem accomodam reddit Lutherus: diabolus vt pote fortis & vehemens aduersarius non sic expellitur quasi Deo vel Angelo Dei ministro possit obsistere; habet enim Goliæ hastam qua aduersum nos pugnat, & sine intermissione nos tentat. Non quidem Lutherum quem totum pridem occuparat. Prçterea Deus armat & instruit ipsum, ô vocem blasphemam, Acuit illi arma sua, dat ei stimulum vel ferrum, quod hastili suo præfigat, suam scilicet legem qua nos ferociter inuadit Ergo Deus auctor & incentor peccati, diabolus tantum eius administer. Sed quas ipse rationes ac vias suggerit abigendi dæmonis, impias planè, Epicureas, fœdas, & obscænas quas commemorare sit turpissimum, nisi hoc scriptum aduersus Epicureos comparatum foret. Laudat ergo Lutherus aduersus dæmonem ioca, ludosque varios, auocationem à legis diuinæ cogitatione, vini haustum largiorem, cibum redundantiorem,

In synoposi ac 59.

tiorem, quia in tentationibus, inquit, centies deterius est ieiunare, quam edere & bibere. Commendat item aduersus dęmonis tentationes, doctoratus gradu ornatum esse, ventris, dicto sit venia, crepitus edere, item dæmoni dicere, vt quam quis deijcit aluum & oleta odoretur & edat. O stercoreum doctorem, de quo memini legere, diabolum familiarem aliquando ei obiecisse. Super latrinam non debes dicere primam Lutherum respondisse. Quod supra est domino, tibi cedit quod cadit infra.


Indulgeant mihi lectores & ad Tobiam regrediamur. Iuxta modum ab Angelo pręscriptum hortatur sponsam suam virginem Tobias: *Sara exurge & deprecemur Deum hodie & cras* Tob. 8.
& secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia au- 11. 4.
tem transactá nocte in nostro coniugio, erimus, filij quippe Sancto-
rum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes qui ignorant v. 5.
Deum. Meminerat dictum à parente suo Tobia: *Filij Sancto-* Tob 2.
rum sumus, & vitam illam exspectamus quam Deus daturus est 18.
his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Iam Tobiæ iunioris c. 8.
oratio tota pietatem redolet. *Domine Deus Patrum nostrorum* v. 7.
benedicant te cæli & terra mareque & fontes & flumina, & omnes
creaturæ quæ in eis sunt. Tu formasti Adam de limo terræ dedisti-
que eius adiutorium Euam: & nunc Domine tu scis, quia non lu- v. 8.
xuriæ caussa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis v. 9.
dilectione in qua benedicetur nomen tuum in sæcula sæculorum.

Non absimilis oratio Saræ, *Miserere nobis Domine, miserere*
nobis, & consenescamus ambo pariter mente & corpore quæ v 10.
sunt fundamenta bonorum omnium quę ex coniugio sperantur, nempe ad benedicendum cum omni stirpe & posteritate Dei nomen. Erat & ipsa Sara Sanctorum parentum filia Raguelis & Annæ, quorum Dei laudes & gratiarum actiones ibidem habentur. *Benedicimus te Domine Deus Israel quia*
non contigit quod nunc putabamus. Fecisti enim nobis misericor- Tob. 8.
diam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos, mi- v 17.
sertus es autem duobus vnicis, fac & eos Domine plenius benedi-

cere

uersationem vestram. Similiter & Apostolus Paulus, *vxores maritis sint subditæ.* Nulla facta mentione dilectionis: sunt enim ad amorem sua sponte propensiores. *Viri diligite vxores vestras, sicut &* CHRISTVS *dilexit Ecclesiam. Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat. Vxor autem timeat virum suum.* Debet obseruantiæ ac reuerentiæ plenus esse vxoris aduersus virum amor tanquam aduersus dominum & herum, vt Abrahamum Sara vetustior appellabat. Quę veteris erant testamenti coniugia opibus externis & multiplici prole abundabant: temporalibus cumulata benedictionibus. At Christianorum matrimonia ad æternitatem præcipuè sunt referenda, eatenus benedicta, siue prole abundent, siue careant, siue prosperis exhilarentur, siue aduersis rebus exerceantur, si mutuo subsidio sibi sint coniuges ad beatam æternitatem promerendam.

Ad Colossen. 3.
Ad Ephes. 5. 25.



CAPVT XLIII.

Matrimonium inter Christianos nouæ legis est Sacramentum.



SI sanctum fuit inter veteres Patriarchas & iustos illius æui, matrimonium; sanctius esse debet inter Christianos, qui nouę legis illud institutum à CHRISTO Sacramentum agnoscunt ac venerantur. A prima quidem sui institutione, inter Adamum & Euam protoplastos, magnum fuit Sacramen-

tum, seu arcanum mysterium, signum scilicet coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, vt iudicat Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in* CHRISTO *&* *Ecclesia*. Sed adiecit insuper CHRISTVS Dominus promissionem gratiæ per illud conferendę, quam gratiam suâ nobis passione promeruit; institutor atque perfector venerabilium Sacramentorum: quâ gratiâ naturalem illum amorem coniugum perficeret, & indissolubilem illam vnitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ait Trident. aduersus hæreticos, qui continentiæ quoque maritali bellum indixerunt; quando matrimonium inter Christianos negant esse Sacramentum. Lutherus contendit neque signum illud institutum vllius rei sacræ, neque adiunctam habere gratię promissionem. Caluinus autem asserit non magis matrimonio conuenire rationem Sacramenti, quam agriculturę, tontrinæ, sutrinæ, architecturæ; quo liberius actui coniugali indulgeant, tamquam rei prophanæ, *sicut equus & mulus quibus non est intellectus*. Appositè dixit quispiam nouos hosce Doctores septem Sacramenta in duo, duo in verbum, verbum in fidem, fidem in hæresim, hæresim in atheismum, id est, in nihilum, aut magis ęternam suam damnationem resoluere. Præclara analysis! & sanè cum ministri Sacramenti sint ipsi contrahentes; non enim immutauit Dominus naturam ac conditiones contractus coniugalis, sed ei dumtaxat adiectâ gratiæ promissione ad ordinem ac gradum euexit Sacramenti nouę legis. Hęretici qui negant esse Sacramentum nec eius perficiendi habent intentionem, planè prophanum dumtaxat ac ciuilem ineunt contractum, vacuum omni sanctitate ac dignitate Sacramenti. At vero orthodoxi qui matrimonium rei sacræ signum fuisse & esse profitentur, coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia; & insuper ex CHRISTI institutione & promissione signum gratiæ efficacis, non ineunt prophanum ac sæcularem contractum; sed maximè sacrum ac religiosum, quò gratia CHRISTI passione

Sess. 24. doctr. de Sacram matri.
De capt. Babyl. cap. de matri.
4. Inst. c. 19. §. 24.
Psal. 31.

ſione parta ad mutuum amorem inter eos conciliandum oneraque ſocialis vitę ac Chriſtianæ liberorum educationis perferenda, conferatur. Quapropter ad eum contractum ſeu mutuum cõſenſum verbis aut ſignis Chriſtiano more exprimendum coram proprio Sacerdote & duobus teſtibus, vti iam ab Eccleſia præſcriptum eſt, ipſi ſe comparare debent, ac curare ne qua grauiore culpa conſcientiam adferant inquinatam. Hic etſi nos deficerent omnes probationes ex ſcripturis & Patribus, quæ complures adferuntur ab ijs, qui fidei controuerſias explicant; tamen vna conſtans Eccleſiæ traditio cumulatè ſufficeret, cum ſciamus eam errare non poſſe. Tertull. vt quid interſit inter coniugium ab Eccleſia, & inter Ethnicos celebratum, demonſtret, vnde ſufficiam, inquit, ad fœlicitatem eius matrimonij enarrandam quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant, pater ratum habet? Explicat Baronius, quod Eccleſia conciliat, dum à Sacerdote iunguntur in vnum contrahentium dexteræ, quibus accedit oſculi ſancta libatio & velatio; de quibus idem Tertullianus: ac demum ſequitur benedictio ac forma quędam verborum veluti perficiens aut confirmans Sacramentum. De qua Concilium Carthag. 4. Per oblationem ſacrificium Miſſæ intelligit, quod hodieque ſolet offerri ad vberiorem gratiam à Deo coniugibus obtinẽdam; per reuelationem Angelorum, Sacerdotum in Eccleſia fieri ſolitam denuntiationem inter partes matrimonij antea pacti. Nam per Angelos Tertullianus Sacerdotes intelligere conſueuit; vti & Ioannes in Apocal. Epiſcopos vocat Angelos niſi de cœleſtibus Angelis malis accipere; quo pertinet: Pater ratum habet cœleſtis. Addit Baronius: ex Apoſtolica traditione habetur, vt non ſine Sacerdotis præſentia matrimonium contraheretur; idque ita agendum præſcribit S. Ignatius; multique illud Apoſtoli: *Nubat in Domino*; ſic interpretantur; ſecundum ritus & leges Eccleſiæ ab Apoſtolis traditas; vt veriſimile eſt in Moſayca lege Sacerdotem ali-

L. 2. ad vxor.

Ad ann. 57.

De veland. Virg. c. 11.

Epiſt. ad Polycarp.

quem aut Leuitam connubijs præfuisse. Sanè sacra semper habita sunt matrimonia, & clandestina nunquam non fuerunt inhibita & illicita; nunc à Tridentino iustissimis de causis irrita declarata. Redeo ad allegationem SS. PP. vt appareat quam impudenter hęretici obijciant: neminem ante Gregorium matrimonium vocasse Sacramentum. Kemnitius ait ante Augustini ætatem ostendi non posse matrimonio vel ipsam Sacraméti appellationem fuisse attributam. Beza item, nusquam ab Hier. vel Augus. Matrimonium vocari Sacramentum. Caluinus vero, neminem ante Gregorium vidisse matrimonium pro Sacramento datum. Quæ mendacia luculentissimè conuincuntur auctoritate Lactantij: Qui habet, ait, coniugem inuiolati cubilis Sacramenta custodiat. Qua formula loquendi vtitur etiam Saluianus: Venerabilis cõiugij Sacramenta. Et Cassiodorus coniugium humani generis procreabile Sacramentum. Ambrosius autem de eo qui alterius nuptam sibi postulat vxorem: Qui sic egerit peccat in Deum cuius legem violat, gratiam soluit; & ideo quia in Deum peccat Sacramenti cœlestis amittit consortium. Augustinus plurimis locis Sacramenti nomen tribuit matrimonio. In nostrorum quippe nuptijs, ait, plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas vteri. Et; bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti; sed hoc inter Christianos tantum: Idem iterum: In ciuitate Domini, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum; sed etiam Sacramentum commendatur. Diuus Leo præter sexuum commixtionem habet inter se CHRISTI & Ecclesiæ Sacramentum. Ex quibus percipere est quantopere Caluinus abeat à mente S. Augustini, dum comparat matrimonium agriculturæ, tontrinæ, arti sutoriæ, nihilque inter fidelium & infidelium coniugia putat interesse. At S. Aug. plurimum interesse existimat, quod Christianorum sit Sacramentum.

21. E: sess. 24 In annot. ad Eph. c. 5. Li. 1. ca. 19. §. 34. Epit. diu. instit c. 6. 7. De prouid. 2. Variar. ep. 10. 1. De Abrah. c 7. 1. De nupt & cõcupis. tract. 10. in Ioan. l 9. de Gen. ad litt. c. 5. de bon. coniug. c. 18. & 24 li. de fid. & oper c. 7 Ep. 92. ad Rust.

mentum idque comparat cum Baptiſmo & ordinatione Sacramentis eiuſdem generis. Concilium Florent. in decreto Armenis tradito Græcis præſentibus matrimonium extremo loco inter Sacramenta nouæ legis annumerat, de quibus omnibus definit, quòd, & gratiam contineant, & ipſam digne ſuſcipientibus conferant: in qua fide etiamnum Græci perſeuerant. Nam non admodum nuper anno Domini M. D. LXXVI. Hieremias Patriarcha Conſtantinop. ſuo & reliquorum Græciæ Præſulum nomine cenſuram edidit aduerſus confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum, ab ipſiſmet interpellatus, ſi forte in eius fidei communionem veniret, in cuius cenſuræ c. 7. Matrimonium aſſeritur diuinum eſſe Sacramentum, vnum ex illis ſeptem quæ CHRISTVS & Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt. Apertiſſimè id definitum à Tridentino. Cum matrimonium in lege Euangelica veteribus cōnubijs per CHRISTVM gratia præſtet, merito inter nouæ legis Sacramenta annumerandū SS. PP. noſtri, Concilia & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt: aduerſus quam impij homines huius ſæculi inſanientes, non ſolum perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt; ſed de more ſuo prætextu Euangelij libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna CHRISTI fidelium iactura: &c. Quare iure merito pronuntiatur Anathema in eum qui dixerit, matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à CHRISTO Domino inſtitutū, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre. Itaque obſtruatur os loquentium iniqua, turpia, falſa, hæretica. Caluini textum & argumenta confutata habes apud Ruardum; pauca quædam amarulentiora hic depromam.

Seſſ. 24 ante can. 1.

Can. 1.



CAPVT XLIV.

Quos effectus gratiæ conferat matrimonij Sacramentum.

L. 4. ca 19 § 36



ALVINVS, vt ſolet, calumnioſè vociferatur: matrimonium, Sacramenti titulo commendatum, immunditiem poſtea, & pollutionem, & carnales ſordes vocare, quæ vertiginoſa eſt leuitas? Quam abſurdum arcere à Sacramento Sacerdotes? Si à Sacramento ſe arcere negant: ſed à coitus tantum libidine; non ita mihi elabuntur: nam & coitum ipſum partem eſſe Sacramenti tradunt; eſt & altera in eorum dogmatibus abſurditas; In Sacramento conferri gratiam Spiritus ſancti affirmant. Coitum tradunt eſſe Sacramentum, in coitu negant vnquam Spiritum ſanctum adeſſe; his præclaris argumentis pellem Leonis aſinis ſe detraxiſſe gloriatur: paucis igitur glorioſo huic Agaſoni faciendum eſt ſatis. Principio vocare nos matrimonium immunditiem, pollutionem, & ſordes, non probat nec probare poteſt, nam quæ ad marginem habet annotata, loca magiſtri ſententiarum, & Gratiani, nihil habent eiuſmodi, nec Siricius Pontifex vt ſępè iam dictum eſt, agit de matrimonijs quę Sacramenti titulo cohoneſtari poſſunt: ſed de inceſtis & ſacrilegis Presbyterorum & Monachorum nuptijs, licet heretici falſo coniugia

L 4 ſentēt. diſt. 26 c 6 in decret. 37. q 2. ca cum ſocietas &c.

coniugia vocent; hoc prætexentes nomine culpam. De ijs valet illud, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, obliti gradus sui & ordinis turpissimis addicti flagitijs. Non est absurdum à matrimonio Sacerdotes arcere, qui seipsos ante Deo deuouerunt, & castrauerunt propter regnum cęlorum. Qui capaces non sunt contrahendi matrimonij, nec capaces sunt Sacramenti, non secus ac qui natura sunt impotentes ita qui lege Ecclesiastica redditi sunt incapaces. Coitum negamus esse partem matrimonij: sed eius vsum & officium, in quo si quid dicatur esse turpitudinis ratione concupiscentiæ & rebellionis membrorum, quod Sacramenti dignitate cohonestetur; ex vsu scripturę ac phrasi recepta id fiet. *Turpitudinem matertera tua & amita non disco cooperies. Si mūdi sunt pueri maximè à mulieribus. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Deinde esto sit coitus pars Sacramenti non essentialis: sed integralis & ante Tridentinum quo tempore clandestina matrimonia erant valida, ipsa copula maritali affectu inita, perficeretur Sacramentum: quid obstat, quominus tum gratia Sacramentalis conferretur, si nullus erat obex ex parte coniugum: nam & modo cum ex legitimo fine procreandæ prolis, aut reddendi debiti ex iustitia, legitimus adhibetur vsus coniugij; gratia sanctificans confertur, quæ illi respondet operi meritorio, rideat quantumuis homo prophanus Caluinista; qui res omnes sacras prophanasque derisui habet. Potest actio quędam pars esse Sacramenti grauiori culpæ obnoxia, vt si quis sacrilegè baptismum conferat, aut absolutionem vel Eucharistiā ne dicam cænam Caluinisticam recipiat, prauo fine; ex ea parte actio est immunda, sacrilega, lethifera, qua parte tamen ab institutione CHRISTI manans, munda sancta salutifera illique adsistit Spiritus sanctus, gratiam conferens nisi obex obstiterit: Origenis sententia relata à Gratiano eo pertinet; vt intelligatur non necessario requiri specialem gratiam Spiritus sancti, ad actum coniugalem, ad quem sufficiunt naturæ vires, aut ritè instituta ratio, quando

Leuit. 18. & 20.

1. Regu. 21.

Apocal. 14.

spectatur

ſpectatur vt naturalis vſus coniugij; & ſi ſublimior finis adhibeatur, ad prolem Chriſtianam ex Dei gloria ſuſcipiendam, ad charitati vel iuſtitiæ obſequendum, tum requiritur auxiliũ gratiæ, vt ea voluntas vtendi legitimè & Chriſtianè coniugio concipiatur. D. Auguſt. ait bonum beatificum eſſe quod beatitudinem promereatur, quando quis vtitur coniugis carne, non ad libidinem explendam, ſed ad ſobolem ob Dei gloriam propagandam; negamus igitur in coitu nunquam conferri gratiam, nunquam illi adſiſtere Spiritum ſanctum; negamus præterea eſſe Sacramentum; ſed eo prætermiſſo, quo tantopere delectatur Epicureus hæreſiarca; matrimonium confert in primis gratiam habitualem infuſam, qua coniuges ſanctificentur, & myſtico CHRISTI corpori, vt membra viua, arctius innectantur; tum & auxilia ſuppetit actualia, quibus inter ſe germana charitate iungantur, ad Chriſtianam prolem ſuſcipiendam, & educandam: vt ſicut monet Apoſtolus, *viri vxores diligant ſicut* CHRISTVS *dilexit Eccleſiam, vxores ſubditæ ſint viris ſicut Eccleſia* CHRISTO. Vxor in marito CHRISTVM, & vxorem maritus in CHRISTO diligat; neque vir ſuæ poteſtatis terminos excedat, neque mulier obedientiam ſubtrahat, ſed ſancto amore coniuncti ad vſque vitæ finem commune iugum tolerent ac trahant, alter alterius onera ferant, & tribulationem carnis communibus officijs inter ſe partiantur. Deinde gratiam confert matrimonij Sacramentum, ad Chriſtianam liberorum educationem, tum in ſana ac recta fide & religione tum in honeſtis moribus homine Chriſtiano dignis inſtitutionem, vt coniuges ipſi permaneant in fide & dilectione, in eademque prolem ſuſcipiant quæ baptiſmo regeneretur & mundata ab originali peccato CHRISTO incorporetur; tum in Dei timore, & ſancta conuerſatione educetur ac moribus Chriſtianis informetur, pars ſit ac ciuis, nõ modo polyticę, ſed & Chriſtianę reipublicæ, vitamque agat eo nomine dignam, ac deniq; ad beatam regni cęleſtis hęreditatem perducatur. Qua parte matrimonium

4 *In Iulian. c. 5.*

trimonium dicitur remedium concupiscentiæ, confert gratiam, qua coniuges intra temperantiæ ac modestię limites cohibentur, ne libidinis æstu atque impetu abripiantur: sed cum honestate nuptiarum contineant atque coerceant; Item vt sibi mutuo datam fidem sanctè conseruent alieni ab omni adulterio ac lasciuiæ flagitio, qua de re consuli potest S. Augustinus & Fulgentius, ille tract. 9. in Ioan. hic epist. de debito coniugali: sanè si quis ad hoc debitum mutuæ seruitutis, aliaque matrimonij attendat onera, perspiciet non mediocri prę-sidio gratiæ opus fuisse, sine qua gratia vsus coniugij magis irritat & accendit concupiscentiam, quàm moderetur & reprimat; quanquam & ipsa copia & assuetudo non raro fastidium pariat inter coniuges, mutuumque amorem si non extinguit, non parum imminuit. Quid si accedat interdum alterius coniugis ægritudo diuturnior? Si longinqua peregrinatio? si molestæ rixæ? orbitas, aut prolium multitudo, quibus alendis non sufficiant rei familiaris angustiæ? non admittit lex Euangelica quod Mosaica vetus diuortium, aut polygamiam, aut accusationem & explorationem vxoris suspectę de adulterio, qualis præscribitur Numerorum 5. Par est vtriusque coniugis in alterius corpus potestas, vt inexplebili satisfiat cupiditati. Non sine causa vocat S. August. ferrea vincula coniugij, quæ non nisi alterius morte rumpantur, dura & grauia toleratu, frigida, quod nihil citius ac facilius quam amor coniugum refrigescat, breui temporis interuallo feruidior, mox fere reliqua vita congelascit. *In psal. 149.*



CAPVT XLV.

Quo fine sit ineundum matrimonium, & eius vsus adhibendus.



DAMNABILEM illum errorem, quem proxime præuidebat exoriturum, & dæmoniorum doctrinam appellat Apostolus; prohibentium nubere, nuptias malo Deo, seu dæmoni adscribentium ab hæreticis per summam calumniam, Catholicis affingi iam sæpe demonstratum est: quam hæresim postea exsuscitarunt Armeni & Almaricus quidam tempore Innocent. III. qui eandem damnauit. Esto prohibeat Ecclesia Sacerdotibus, & ijs qui sacro ordine, vel voto continentiæ sunt illigati, coniugia; non tamen ea damnat, vt ex se mala & impura, ex malo orta principio: Ad veteres illos hæreticos propius accedunt recentes, vt in alijs item hæresibus eorum posteri ac vestigijs inhęrentes, qui nullam Matrimonio gratiam ac sanctitatem deferunt; qui tonstrinæ, sutrinæ illud æquiparant. Nemo negat orthodoxorum, quin matrimonium diuinâ & naturali lege institutum, res sit bona & honesta, imo ex quo CHRISTVS Dominus illi dignitatem adiecit sacramenti, res sacra, religiosa, ac diuina, superioris gradus & ordinis: quin eius actus & vsus modo legitimè fiat, sit licitus & honestus; adeoque etiam in gratia, ex supernaturali fine exercitus, vlterioris gratiæ ac glorię meritorius. Sed quæstio

1. Tim. 4.

Extra uag. de summa Trini. tate e damnamus.

quęstio est inter Catholicos, an solus primarius finis suscipiendæ prolis necessario semper sit adhibendus, an & incontinentiæ ac fornicationis vitandæ causa possit exerceri, qui videtur alter secundarius finis coniugij, hoc præsertim statu naturæ lapsę, quo valde grassatur ac dominatur concupiscentia. Si vel veniale peccatum admitteretur, vtendo coniugio fornicationis & incontinentiæ vitandæ causa; non posset hoc fine matrimonium, iniri ab ijs, qui sunt impotentes generandi, vti sunt senes frigidi, morbidi, valetudinarij. Nequidem peccare venialiter, qui propter vitandam fornicationem exigit debitum coniugale, (de eo qui reddit, nulla est dubitatio, cum honestum iustitię finem sibi propositum habeat, & alterius veniale peccatum impedire non teneatur) sed eum quoque qui exigit non peccare venialiter, tradunt multi scholastici, Altisiodorensis, Durandus, Paludanus, Capreolus, Caietanus, & alij quos allegat Thomas Sanchez: sententiam Apostoli, *hoc autem dico secundum indulgentiam*; explicant de matrimonio, quod tanquam minus bonum conceditur, omisso meliore, qua ratione D. Martinus aiebat, coniugium pertinet ad veniam, virginatas ad gloriam, fornicatio ad pœnam. Matrimonium adeo iam hominum genere multiplicato, non præcipitur, cum non sit bonum necessarium, nec consulitur tanquam maius bonum, vti virginitas, sed dumtaxat permittitur, tanquam minus bonum. Cæterum ex S. Augustini & aliorum veterum interpretatione Apostolus non loquitur de matrimonio ipso, sed de eius vsu & actu coniugali, qui fit per incontinentiam. Illud: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, referri debet ad præcedentes sententias *propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat.* vbi habere, idem est quod vti, & *reuertimini in idipsum ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* D. August. mihi videtur hoc tempore solos eos, qui se non continent, coniugari oportere secundum illam eiusdem Apostoli sententiam, *quod si se non continent nubant, melius est enim nubere quam vri*, nec ipsis tamen

l. 2. dis. 29.
1. Cor. 7. 6.
Sulpit. dialo. 3
v. 2.
v. 5.
de bono coniug. c. 10.
v. 9.

peccatum sunt nuptiæ, quę si in comparatione fornicationis eligerentur, minus peccatum essent, quam fornicatio: sed tamen peccatum essent. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus, nam quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur. Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci imperant & idem alibi, reddere debitum nullius est criminis, exigere vero vltra generandi necessitatem culpę venialis. Iterum sola generandi causa est inculpabilis vtriusque sexus commixtio. Iterum inter eos qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, numerat eum, qui sic miscetur vxori, vt modum ibi non teneat præscriptum tabulis, procreandorum liberorum causa. Idem confirmat sexcentis alijs locis. Augustino subscribunt Beda, Fulgen, de fide ad Petrum, Gregorius, & in responsione ad 10. interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, & p.3. pastora. admon. 28. Eiusdem sententiæ est S. Hieron. 1. in Iouinianum, & in Apologia citatus à Gratiano. Ex scholasticis, S. Thomas, Bonauentura, Richardus, Petrus Soto lecti. 16. de matr. Eiusdem S. Thomæ sententia est actum coniugalem, si fiat sanitatis causa, non carere culpa quanquam non existimetur futura, plusquam venialis, vt cum fit delectationis causa: quod si partim generationis, partim voluptatis causa, quanquam hæc non sit præcipua, non vacabit culpa. Quare solam causam ob quam iniri matrimonium possit, ac debeat procreandorum liberorum agnoscunt rectius sentientes; duas vero, ob quas reddi possit debitum, & exerceri coniugalis actus, cum fit generationis causa, fit ob eum finem ad quem matrimonium natura sua, & ex diuina institutione refertur, cum fit vt debitum reddatur, exercetur actus iustitię, quo redditur alteri quod suum est: neque refert quod alter forte ob intemperantiam petat, ac venialiter peccet, quia non censetur eius peccato cooperari, qui quod natura sua recte fieri potest, præstat; alioquin perplexus semper

c. 7. 11. 13. 17. hom. 50 in psal. 80. ep. 121 Serm. 63. de diuers. de peccat. origin. 33 1 cõm 1 ad Cor. 7. ep. 1. c. 3 & 4. & 31. moral. 17. 34 q. 4.

per foret coniunx, & de alterius animo deberet inquirere; Auguſt. ait eo ipſo, quod ſibi coniuges debitum ſoluunt; etiamſi id aliquando intemperantius & incontinentius expetant, fidem tamen pariter ſibi debere; qui debitum reddit, minime ſubſeruit coniugi ad peccatum, ſed ad rei debitę vſum; ſi vtatur indebitè culpa eſt vtentis, non debitum reddentis. Nec ſimile eſt de furioſo gladium repetente, quo in ſui, vel aliorum perniciem eſt vſurus: nam eius peccatum ex charitate tenemur impedire, hic nullum ſua natura & conditione eſt peccatum, cum actus coniugij recte & honeſte exerceri queat. Præferenda videtur ac vincere huius partis auctorum, ac SS. Patrum auctoritas: ſed ſi licet meam interponere ſententiam, dicam, vt nunquam permittitur cibum aut potum ſumere voluptatis cauſa, nam id inordinatum eſt; ita nunquam permiſſum eſt vti coniugio voluptatis cauſa: vt cibus & potus ad indiuidui conſeruationem, ita coniugij vſus ad ſpeciei propagationem refertur: voluptas verò velut appendix conſequens, minimè per ſe expetenda. Tametſi igitur non liceat vti coniugio, voluptatis cauſa, vitandæ tamen incontinentiæ videtur licere, vt cibum & potum ſumere licet, famis ac ſitis explendæ cauſa; quamuis de indiuidui ſui conſeruatione nihil quis animo cogitet: ſed vt expleat hoc naturæ deſiderium atque officium; ita & ſi quis nihil de propagatione ſpeciei & liberorum procreatione cogitet, explendæ concupiſcentię à natura nobis inſitæ quæ ſemper eo refertur, coniugio vtatur, naturæ implebit officium neque peccabit quemadmodum ſumptio cibi ac potus ſemper eo tendat vt indiuiduum conſeruetur, ita coniugij vſus vt ſpecies propagetur; eſto per accidens quandoque ſecus accidat. Quamquam deprauatâ modo naturâ diſcrimen eſt aliquod in expletione vtriuſque huius cupiditatis. Quare ab alijs bonis auctoribus, matrimonium poſt lapſum dicitur inſtitutum in remedium concupiſcentiæ; quia per peccatum irrepſit libido carnalis, & per matrimonium excuſatur, vt dumtaxat venia-

de bon. coniug. c. 4.

lis existat, quæ futura erat lethalis, neque tam finis quàm effectus dicendus est sedatio concupiscentiæ, quę per peccatum exarserat; vnus finis matrimonij ante & post lapsum propriè est liberorum procreatio. Senes & steriles iure damnantur, cum sine spe prolis coniugium ineunt, nisi vnam dumtaxat sibi proponat communem atque indiuiduam vitæ societatem, mutuaque in re familiari subsidia, ac solatia; non secus ac frigidi & impotentes instar fratris & sororis vitam simul exacturi. Quamdiu viget concupiscentia tamdiu videtur non desperanda proles: certe nunquam animo est excludenda, & sola voluptas coniugij pro scopo præfigenda.



CAPVT XLVI.

Quid in matrimonio sit mali, quod excusatione indigeat.

Estius in 4.d. 31.§ 4



ATRIMONIVM quidem à Deo primitus institutum est, absque omni vitio, nihilque in beato innocentiæ statu, culpę, aut pudoris habuisset coniugalis vsus: sed mox à perpetrato peccato primorum parentum, orta rebellione membrorum, quæ huic vsui inseruiunt, nescio quid turpe, pudendum, & erubescendum subintrauit in vsum matrimonij; quod honestate sacramenti purgandum foret ac contegendum; ante peccatum primi parentes nudi erant ambo, & non erubescebant; admisso peccato mox cognouerunt se esse nudos, id est nuditatem

tatem membrorum cum turpitudine coniunctam aduerterunt, & erubuerunt. Continetur hæc libido venerea, tanquam species omnium præcipua, sub concupiscentia generatim sumpta, quare quę de hac dicuntur in scriptura, præcipuè in illam conueniunt. Vt quod aduersetur legi mentis & legi Dei, quod sit habitans in nobis peccatum, lex membrorum, lex peccati, quod per eam caro concupiscat aduersus spiritum, quod non sit ex patre: sed ex mundo, quod ab ea quisque tentetur abstractus & illectus, quod cum conceperit pariat peccatum. Huic fędæ libidini proprium est homines incitare ad fornicationes, ad adulteria, ad alia flagitia & omne genus impudicitiæ quod ab Apostolo inexplebilis cuiusdam auaritiæ vocabulo non semel indicatur. Quin & in ipso vsu coniugij, ita mentem hominis absorbere solet intemperans ea voluptas, vt nihil homine sapiente dignum cogitare queat, nihil mente agitare, non modo quod ad pietatem, sed quod ad virtutis alicuius honestatem pertineat. Itaque vult Apostolus, ad tempus coniuges Christianos abstinere ad vacandum orationi. S. Augustinus tradit per huius libidinis vsum, in sanctis coniugibus minui spiritualem delectationem. In impetu libidinis, neminem posse sancta cogitare, item aliàs nihil esse quod magis ex arce deijciat animum virilem quàm blandimenta fœminarum, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest, quare dubitat sitne sapientis vxorem ducere, & liberis operam dare; denique ad quæstionem, quare qui fornicatur in proprium corpus peccare dicatur, ait in ipso actu libidinis, ita animam immergi corpori, vt in ipso momento nihil aliud homini cogitare liceat, similem sententiam profert ex Ciceronis Hortensio, Hippocrates sane comparat eum actum epilepsię, ac morbo comitiali, cui consentit Aristoteles quod in eo actu non solum impossibile est aliquid intelligere, verùm etiam post eum multo minus homo est dispositus ad vsum rationis. Glossa in illud decreti coniugia 32. q. 2. homo in eo actu fit totus caro, totus

Rom. 7. Gal. 5. 1. Iac. 2.

4 contra Iulia. 2. l. 5. c. 8. 1 Solil. 10.

Fragment. 4. tom. 10. 4. cont. Iul. 14. Vide & 14 de ciuit à 15 vsque ad 21 6. Ethi.

tus carneus, instar pecudis in cœno demergitur. Non igitur eadem est ratio huius venereæ voluptatis quæ cæterarum, quę visu vel auditu, vel alijs sensibus percipiuntur, qualis est quiescendi post laborem, edendi aut bibendi post famem & sitim.
c.4 d.31 Discriminis rationem affert S. Thomas quod vis generatiua, per quam originale peccatum traducitur, infecta est & corrupta, non item vis nutritiua. Quamuis appetitus sensitiuus generatim euaserit deprauatus, & inordinatus: hic tamen pręcipuè qui subseruit generatiuæ, per quam peccatum traducitur, vnde & in ijs membris rebellio pręcipuè, ac pœna talionis perspicitur. Alia ratio discriminis huius afferri possit, quod ceteræ delectationes edendi & bibendi, quiescendi &c. referantur ad sui & indiuidui conseruationē, ad quam omnes astringimur; at venereę, ad generis & speciei propagationem; cui nemo speciatim alligatur, prior necessitas ab vnoquoque seorsim potest expleri, adhibita qua par est, moderatione; posterior voluptas sine complice, & verecunda commixtione perfici non potest, illic nihil detrahitur, sed adijcitur naturæ, hic seminis emissione diminuitur, & exhauritur natura, maiorique opus est impetu, vnde & nausea fastidiosissima consequi dicitur: sed pudori parcendum. Non recte sane Hugo Victo-
l.4 sen- rinus & Magister Sententiarum comparant delectationem
ten.d.
31.§.11 aliorum sensuum, ac pręcipuè gustus cum delectatione venerea, ceteræ enim delectationes non ita rationem absorbent, eiusque vsum impediunt vt ista; vnde & merito pudenda dicitur: homini enim tanquam diuino animali pudendum est ad brutalem istam delectationem deijci, eamque pati, at de delectatione gustus tanquam honesta loqui videtur Apostolus
Act.14. *implens cibo & lętitia corda vestra*, ob eam causam CHRISTVS
16. Dominus nasci voluit ex virgine, & non ex sancto coniugio, quale fuit Patriarcharum: Et delectationem quidem cibi & potus admisit, aliorumque sensuum naturæ conuenientium, vt moderati frigoris, caloris, quietis post fatigationem, somni post vigilantiam, delectationem tamen veneream nec in se,

nec

nec in amantissima matre, voluit vnquam, vel remotissime & per vmbram experiri. Etsi per somnum ratio consopiatur, ac quiescat, somnus enim consistit in naturali quadam sensuum quiete, quam rationis quoque quies consequitur: nihil tamen inest inordinatum aut repugnans rationi quod egeat aliqua excusatione, erat & in statu innocentiæ futura somni necessitas, in quo statu nullum nec culpæ nec pœnæ malum erat futurum. Omnia alia peccata extrinsecus sunt, & quod foris est facile abijcitur. Sola libido insita à Deo ob liberorum procreationem fines suos egreditur, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in scelus erumpit. Per libidinem Hieronymus intelligit propensionem ad actum venereum, quæ insita quidem est à Deo auctore naturæ, sed non quatenus immoderata est & inordinata, rationem obtenebrans ex originario peccato promanans, eatenus turpis est & pudenda, nec tantum materialiter sed formaliter appellanda libido quare esto placere possit voluptas vt consequens actum honestum coniugalem, non tamen vt libido, vt ratione minime coercitâ, vt eius honestatem ac præscriptum limitem transgrediens; eatenus displicere debet quatenus libido est; quemadmodum de concupiscentia generatim dictum est alio libro aduersus Stoicos. Quæ foret ratio coniugij, in statu puræ naturæ, incertum est: in hoc certe statu naturę lapsę quidquid est mali, & inordinati purgatur honestate ac dignitate sacramenti, tribusque illis bonis matrimonij, quæ sunt fides, proles, Sacramentum. Vnde efficitur vt ea delectatio non sit peccatum, aut non plusquam veniale, dummodo intra honestos coniugij terminos coerceatur. Quo sensu Lactantius qui libidinem cohibet, inter præscriptum legitimi thori habet, & id quod auide expetit, & tamen in peccatum non incidit, graue & lethale. D. Augustinus delectationem carnalem ait modificatam & temperantia refrenante in vsum naturalem, libidinem esse non posse, formaliter aut grauiori culpæ obnoxiam, potest præscindi mente voluptas vt à sumptione cibi, ita & ab

Hieron. ad Furiam de viduit.

6. Diui. institu. 23.

De bono coniug. 16.

1. Retract. 22.

vſu coniugij; poteritque voluntas reddendo maximè debitum, velle vſum coniugij, abſque eo quod voluptatem directè appetat aut approbet. Atque vt aliquando ex his ſalebris emergamus, actus coniugij ſine duobus bonis prolis aut fidei actualiter intentis (doctrina eſt ſancti Thomæ) non excuſatur à peccato, quare duobus dumtaxat modis coniuges abſque omni peccato conuenire poſſunt vel cauſa procreandæ prolis, vel reddendi debiti. Aliàs inquit ſemper eſt peccatum ad minus veniale, etiam cum quis intendit vitare fornicationem in ſeipſo, aut ſanitatem conſeruare; quod ſi in eo actu delectatio quæratur vltra honeſtatem coniugij, vt ſi quis in coniuge non attendat quod coniunx eſt: ſed ſolum quod mulier, paratus cum ea idem facere, ſi non eſſet coniunx; eſt peccatum mortale, & ideo talis dicitur ardentior amator coniugis adulter ab Hieron. quia ardor ille extra bona matrimonij effertur, ſi autem quæratur delectatio intra limites matrimonij, vt ea delectatio in alia non quæreretur, ſic eſt veniale peccatum, quæ doctrina S. Thomæ ſi valet in matrimonio qua parte eſt officium naturæ, multo magis valet, quâ eſt Sacramentum, cum coniuges vti Chriſtiani è CHRISTI ſchola diſcipuli, & myſtici eius corporis membra ſpectantur, qui in ipſo vſu coniugij atque omni vitę ratione ſanctitatem ſpirare debent; è quibus CHRISTO digna proles ſuſcipiatur ac propagetur, ad Eccleſię bonū & cęleſtis aliquando regni conſortium.

q 49. ar. 5. & 6.

1. In Iouin.

CAPVT



CAPVT XLVII.

De vnitate matrimonij & poligamia plurium simul vxorum non improbata Luthero.



ON sat habuerũt hæretici matrimonio Christiano dignitatem Sacramenti detrahere, verum & eius præclaras dotes ac notas, vnitatem, indissolubilitatem, sanctitatemque, ne passim inter omnes ineatur ob propinquitatis graduum inhibitionem, conuellere tentarunt. Vnitati repugnat polygamia, non ea quæ successiuè plurium est coniugum, quanquam & ea decus eius obscurat, atque ornamentum aliquod detrahit, quam quæ plurium simul est vxorum, non improbata Luthero: quam Philippus Hassiæ Princeps, Auctore Luthero, non dubitauit palam suscipere; hic quoque fructus erat noui quinti Euangelij Epicuræi. De polygamia plurium vxorum successiuè calumniantur hęretici, quod bigamos arceamus ab ordinibus sacris, secundis nuptijs benedictionem non impertiamur; vnde concludunt damnare nos secundas nuptias, qui fuit error Montani, Tertulliani, Nouatianorum pridem ab Ecclesia reprobatus. Hieronymus qui miris semper laudibus Virginitatem effert, & præ ea nuptias

maximè secundas, quæ specimen aliquod incontinentiæ præferant; haud adeò probat, non tamen damnat; ab hac se calumnia sæpissimè purgat, & in apologia ad Pammachium disertè pronuntiat, non damno bigamos, imo nec trigamos, & si dici potest octigamos, & 2. in Titum docet, librum Tertulliani de monogamia esse hæreticum. Ad Ageruchiam: quid ergo damnamus secunda matrimonia? Minimè, sed prima laudamus, abijcimus ab Ecclesia bigamos? absit, sed monogamos ad continentiam prouocamus. Vigebat sanè tum multorum incontinentiâ, & eadem Epistola narrat vidisse se Romæ tempore Damasi Papæ par coniugum vilissimorum ex plebe capitum, quorum alter viginti vxores sepelierat, altera maritos viginti & vnum; magna exspectatione post tantas rudes quis quem prius efferret, vicit maritus & totius vrbis populo confluente coronatus, palmam tenens adoreamque multi nubæ coniugis feretrum præcedebat, Hieronymi quidem & meâ sententiâ, vituperatione magis est infamia, notandus quam illa laude celebrandus; consimilem historiam refert S. Augustinus quandam Romæ mulierem vndecim maritos habuisse, virum autem alium vxores duodecim. Insatiabilis est libido quam toties repetita coniugia testantur, aduersus quam Hieron. præcipuè declamat. Secundis nuptijs non datur benedictio, quia primis iam data est, vt definit Vrbanus III. & plerumque tristiores illæ sunt infaustæ ac noxiæ liberis prioris coniugij, quibus inducitur nouerca. De polygamia plurium vxorum simul Lutherus sic sentit. Nota sunt iura Mosaica, de fratris defuncti vxore, & de filia corrupta inuito patre, quæ cogunt plurium esse vxorum virum, quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, idest, libera, nec prohibita, nec præcepta. Et propos. 62. apud Ethnicos fortasse scandalum fore, si Christianus plures vxores habeat: tamen inter Iudæos non esse scandalum, & ideo non posse ostendi id esse illicitum. Tota igitur Europa, in qua Iudæi soli, & Mahumetani versantur, quibus probata est polygamia, absque scandalo

In 99. mixtis 115.

In propo sit. 65 66. ann. 1528.

scandalo Christianis quoque erit permissa, licita & honesta, pro summa auctoritate Doctoris Lutheri. Idem in comment. Genesεos quem edidit anno 1525. ad cap. 16. ex professo disputat, vtrum Christianis liceat exemplo Abrahæ plures simul vxores habere, denique concludit id neque esse præceptum neque prohibitum, sed liberum, & se quidem nolle hanc nouam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sint libera: nimirum ne quid obstet Euangelicę libertati. Lutherum sequuntur Anabaptistę, quibus vulgo promiscui concubitus canum instar, fœdissimi permittuntur. Vtrosque damnat Tridentina Synodus si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit. Luthero igitur & Anabaptistis anathema. Polygamia plurium maritorum, qua mulier vna plures simul habeat maritos, haud dubium est, quin lege naturali & diuina sit inhibita, ita enim repugnat primario fini matrimonij, qui est liberorum procreatio, vt mox eius appareat turpitudo ac repugnantia aduersus principium quoddam naturæ omnibus insitum: non enim seruire potest generationi prolis, vnde & meretrices sunt infœcundæ. At polygamia plurium vxorum qua vir vnus plures habeat vxores, non ita repugnat naturæ atque honestati cum vir vnus plures fœcundare possit vxores, & diuina aliquando dispensatione permissa fuerit. Videtur tamen repugnare conclusioni deductæ ex principijs naturæ, & nisi cadat in eam dispensatio esse illicita. Duo sunt genera præceptorum naturæ; quędam velut principia iuris naturę, continent eam regulam rectitudinis, quæ non possit immutari, vt de diligendo Deo, de non mentiendo: quædam velut conclusiones deductæ ex principijs naturæ, continent eam regulam rectitudinis, quæ subinde mutari queat variatis circumstantijs si diuina præsertim accedat dispensatio, vt de non occidendo innocente, de non furando, fornicando. Talis lex videtur inhibens coniugia inter germanos fratrem &

Sess. 24. can 2.

sororem, talis item opinor lex de indissolubilitate matrimonij iam consummati. Polygamia plurium maritorum ad prius genus pertinet, plurium vxorum ad posterius. Dictat lex naturæ paritatem esse debere inter coniuges, nec in vsu coniugij discrimen vllum interponendum; quia sicut corpus vxoris est in potestate viri, ita & corpus viri est in potestate vxoris, ac proinde tam vxori quam viro fit iniuria, quando corpus alterius coniugis alteri cuique traditur; accedit quod hæc polygamia repugnat secundario fini matrimonij, qui multiplex assignatur, socialis cohabitatio, familiæ ac domus gubernatio, concupiscentiæ remedium, & Sacramentum seu significatio coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, vnius cum vna. Quamuis vxor subijciatur viro, non tamen vt famula, sed vt socia, & collateranea, non de pedibus sed de latere sumpta, & quoad thorum coniugalem non minus principatur viro. Occulta lege naturæ, ait Aug. amant singularitatem, quæ principantur, ad similitudinem summi Principis Dei, vnde illud Poëtæ omnisque potestas impatiens consortis erit. Hinc illa coniugibus insita zelotypia. Est & principalis quædam potestas in administranda familia, plurimasque rixas exoriri necesse esset in educatione & cura liberorum vt obseruat Chrysostomus in amore & vsu plurium coniugum. Vt vt sit, de lege naturæ; constat lege diuina sublatam à CHRISTO Domino inter fideles polygamiam, cum matrimonium ad primæuam reuocauit institutionem, de vtroque sexu ad matrimonium creato, *masculum & fœminam creauit eos*, non plures costæ: sed vna, dumtaxat de latere Adami sumpta est, & in coniugem ædificata. *Erunt duo in carne vna; iam non sunt duo: sed vna caro*, eisdem locis tanquam legislator statuit Dominus; *quicumque dimiserit vxorem, & aliam duxerit mœchatur*, ideo mœchatur, quia prior; licet dimissa, adhuc verè est vxor, *quod Deus coniunxit homo non separet*. Si vxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsâ retentâ; Innocent. III. capite gaudemus

Homil. 20. in epist. ad Ephes.

Matth. 19. 5. 6. Mar. 10 Luc. 16 18.

mus de diuortijs. Scrupulus Caietani, super eam in eius iniuriam, non efficit, quin id flagitium tanquam adulterium condemnetur, nec refert iusta sit an iniusta dimissio. Eadem doctrina est Apostoli, qui de vno & vna semper loquitur. Exigit hanc vnitatem conditio ac dignitas Sacramenti, vt significetur coniunctio vnius CHRISTI cum vna Ecclesia; & quia per CHRISTVM accessit promissio & collatio gratiæ, qua facilius hæc vnitas indissolubilis obseruatur. Ab exordio mundi ab Adamo vsque ad Abraham, & si tum maximè multiplicandum foret genus humanum; ex posteris Seth, filiorum, seu cultorum Dei, nemo legitur habuisse plures vxores. Ex posteris Cain primus Lamech duas duxit non plures, septimus ab Adam, sed iure merito reprehensus. Non diffitemur apud quasdam nationes dominante praua concupiscentia praua imbutas consuetudine polygamiam esse receptam; Mahometes, impudicitiam professus in Alcorano permittit suis vxores quatuor, empticias quotquot alere possint: at vero Aristoteles ipsius ductu ac lumine naturæ tum in politicis, tum in vtroque œconomico polygamiam improbat, monogamiam commendat ac præcipit. Iure ciuili ab ethnicis Principibus polygami infamiæ nota, alijsque pœnis afficiuntur. Quod Iulius Cęsar, vt narrat Suetonius, & Valentinianus, vt Socrates; leges tulerunt, per quas liceret, duas aut plures habere vxores; non tam naturæ impulsu, aut publicæ vtilitatis intuitu id egerunt; quam vt suæ incontinentiæ velamentum aliquod obtenderent, quare nec leges istæ receptæ vnquam fuerunt, nec repertus, qui eorum, vel, quod optabat Lutherus, Patriarcharum exempla sequeretur. De Valentiniano fabulam esse probat Baron. Iure Canonico prohibita est polygamia à Siricio epistol. 1. Innocent. I. Epistol. 3. & alijs, apud Gratianum 12. quęst. 7. cap. Si quis: apud eundem,


1 Cor. 7

Sueton. c. 4. 16.

Adann. 370.

eundem, 24. quæſt. 3. cap. an non. Archiepiſcopi duo Theutgaudus Treuirenſis, & Guntharius Colonienſis quod Lothario Imperatori conſenſerant, vt duas ſimul vxores haberet Theutpergam, & Vualdradam, ab Archiepiſcopali dignitate depoſiti ſunt. Nicolaus I. polygamiam Lamech non dubitauit vocare adulterium. Innoc. III. extra. de diuortijs, c. gaudemus; virum infidelem ſi plures habeat vxores & ad fidem conuertatur, ſolâ eâ quam primam duxit, retentâ, iubet cæteras dimittere, ex quo colligitur polygamiam apud infideles iure naturæ videri illicitam. Addit Innocent. nec vlli vnquam licuit ſimul plures vxores habere, niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum, quæ diſpenſatio mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur, per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraëlitę à furto, Sampſon ab homicidio, ſic Patriarchæ alijque viri iuſti ab adulterio excuſentur; quę reſponſio reddenda eſt ad obiectionem de polygamia Patriarcharum, de qua proximo capite.

CAPVT



CAPVT XLVIII.

De polygamia veterum Patriarcharum traducta ad eorum posteros.



Ivvs Ambrosius videtur anceps hęsisse, nec parum laborasse in excusanda Abrahami polygamia; primum, ait eo tempore adulterium nondum lege fuisse prohibitum, deinde quod amore posteritatis non ardore libidinis id egerit, & quidem vxore consentiente, tandem quod eius facti pœnitentiam egerit à Deo sibi iniunctam; postremo quod id egerit ad significandum aliquid futurum, iuxta Apostolum non fuisse peccatum, sed mysterium: Deo dispensante cuius dispensationis indicium atque argumentū sumi potuerit ex eo, quod Dominus Abrahæ iusserit: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Non tantopere de ea purganda laborarunt olim Faustus Manichęus, & hoc æuo Caluinus, qui Patriarchas adulterij damnare non verentur, quod legem diuinam & naturalem violauerint. S. August. multus est in hoc eodem argumento; Peccata alia sunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta; quę cum ita sint quid tandem criminis est, quod de pluribus simul vxoribus habitis obijcitur sancto viro Iacob, si naturam consulas non lasciuiendi, sed generandi causa illis vxoribus vtebatur; si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur;

L. 1. de Abrah. c. 4.

Gen. 21.

Gal 4.

Contra Faust. c. 47.

si præceptum nulla lege prohibebatur. Item eo tempore multiplicandæ posteritatis causa multas vxores habere nulla lex prohibebat. Iterũ sufficiẽdę prolis causa erat plurium simul vxorum habendarum inculpabilis consuetudo. Denique docet magis pertinere ad bonum nuptiarum, si vnus & vna, quam si vnus, & multæ coniungantur, quasi id naturæ non repugnet, accedente nimirum diuina dispensatione: non ita repugnat naturæ polygamia plurium vxorum, vt plurium maritorum; alioquin si natura consulatur, vnius cum vna coniugium expostulat non vnius & plurium etiam vxorum; nisi accedat diuina reuelatio & dispensatio, quam plane definit requiri Innocent. III. sæpè iam citatus.

16. De ciuitat. 28. Ca. 3. de doctri. Christ. 11.

Fuit autem duplex ratio huius dispensationis indulgendæ, vna multiplicatio populi Dei; altera significatio occulti mysterij, de quo ad Galat. 4. non fuit autem necessaria specialis dispensatio & reuelatio seorsim singulis facta; suffecit prima Patribus indicata, quorum exemplo & verbo traduceretur ad posteros, quo sensu explicandus S. Augustinus, dum Patriarchas excusat quod pro tempore & more gentis plures acceperint vxores, & Hieron. sciebat Apostolus lege concessum, & exemplo Patriarcharũ ac Mosi familiari populo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere; illa enim inspiratio primis Patriarchis facta, pertinuit quoque ad eorum posteros, perseuerauitque ea dispensatio ferè ad tempora CHRISTI Domini. Nam paulò ante CHRISTVM videtur exoleuisse. Zacharias certe, Baptistæ parens, polygamus non erat, sed vna Elizabetha quamuis sterili contentus. Opinatur Bellarminus, eam dispensationem cæteris quoq; gentibus communicatam; Esther, auctore patruo Mardochęo, non existimauit illicitum sibi cum Assuero rege, cui coniugum, ac concubinarum erant cateruæ, iungi matrimonio; vtvt sit polygamia plane sublata est à CHRISTO Domino, cum matrimonium primęuę suæ restituit institutioni. Apud Romanos, & eos qui legibus Romanis, sub eorum imperio vitam agebant, non erat vsitata

De bono coniug. 15. Serm. 63. de diuers. Epi. 85. ad Oceanũ.

1. De matr. 11

vsitata polygamia. Soli Atheniēses, ratione iuuētutis exhaustę bellis, polygamiam aliquando permisisse reperiuntur; alioquin infamis habebatur. De his qui notantur infamia li. 1. ca. Item. de incestis nuptijs leg. neminem. Et ad legem Iuliam, de adulterijs, l. cum. Quæ etsi posteriores sint leges, tamen indicant multò ante prohibitam polygamiam. Quod attinet ad concubinas Patriarcharum communis opinio est fuisse secundarias vxores, adscitas quoad solius thori societatem, non quoad domus & familiæ gubernationem; quarum filij non erant hæredes instituendi. Tales Abrahamo fuere Agar, & Cethura, tales quas Dauid & Salomon sibi plurimas assumpserāt. Quæ ducebantur non solum ad liberos procreandos, verùm etiam ad societatem omnium bonorum, & totius domus administrationem matres familias appellabantur; aliæ concubinæ. Sara, Rebecca, Lia, Rachel, tantum vxores dicuntur in sacris litteris, Agar, Cethura, Bala, Zelpha, modò vxores, modò concubinæ. Vxor Leuitæ, nunc vxor, nunc concubina vocatur, forte quod sine solemnitate nuptiarum ducta esset. Initio capitis, textus Hebræus vtrumque coniungit, accepit sibi vxorem concubinam. Anna mater Samuelis, vxor Elcanæ primaria fuisse creditur, Phenenna secundaria, concubina. In Toletano 1. statuitur, si quis vxorem non habet cum solemnitate ductam, sed pro vxore concubinam à communione non repellatur. At D. Leo docere videtur concubinam non esse veram vxorem, vt si quis habeat concubinam, & ducat aliam in vxorem non censeatur duplicare coniugium: non eodem semper modo ac sensu sumitur concubina.

Gen. 25. *2. Reg. 26.* *Iud. 19.* *Can. 17.* *Ep. 92. ad Rust. Narbon. c. 4.*

Qqqq 2 CAPVT



CAPVT XLIX.

De indissolubilitate matrimonij; consummatum dissolui posse, quoad thorum; non quoad vinculum.



TRAMQVE partem assertionis huius Catholicæ negant Epicuræi hæretici, quibus nempe thorus & vsus coniugij, corporumque nexus magis est cordi, quam animorum, qui de explenda magis coniugij voluptate, quam de eius indissolubilitate & indiuidua vitę societate laborant. Lutherus non agnoscit diuortium manente vinculo, & quanquam nihil audet illic statuere; tamen vehementer cupit definiri, non solum in causa fornicationis, verùm etiam, quando alter coniunx recedit in aliam regionem, decennio aut nunquam reuersurus, licitum esse aliud inire matrimonium: certè si matrimonium æquè est necessarium ex eorum sententia, atque cibus & potus, quis ad decennium differat esuriem & sitim? ait Papam errare, cum diuortium concedit ob alias causas, quam fornicationem, quam solam CHRISTVS expressit, & ipse tamen optat ob absentiam diuturnam, aut alias causas definiri dissolutionem matrimonij quo ad vinculum.

L. de captiuit. Babyl. c. de matrim.

Addit, nolle se quicquam definiri sola Papæ & Episcoporum

rum

rum auctoritate, sed si duo viri eruditi, & probi, in nomine CHRISTI consentirent (ipse nimirum & Melanchthonius Achates) & in spiritu CHRISTI pronuntiarent; se eorum iudicium Concilijs prælaturum. En hominem delirum & arrogantem, qui sententiam suam, non Papæ modo, & Episcoporum, sed & Conciliorum præferat auctoritati. *In ca. 7. 1. ad Corint.*
Anno 1523. doctior effectus multas adfert causas, ob quas matrimonium soluatur quoad vinculum, non modo si ethnicus Christianam, sed falsus Christianus, Christianam deserat, orthodoxus hæreticam interpretare, si coniunx coniugem ad furtum, aut aliud peccatum inducat, si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio, si diu absit alter coniunx. Libro de causis matrimonialibus 1530. si pauper cum diuite matrimonium contrahat, & consummet, deinde diuitem pauper retinere non possit, amicis vel propinquis diuitis impedientibus &c Quare facilius apud eos matrimonium quam apud orthodoxos sponsalia dissoluentur: Caluinus tyrannicam legem vocat quæ non permittit aliud coniugium, ei qui ab adultera coniuge diuortium fecit, & vinculum matrimonij dirimi in causa adulterij, & cum fidelis ab infideli coniuge deseritur, hanc postremam causam nos quoque recipimus ex Apostolo, si infidelis discedit, discedat. Ex Ecclesiæ doctrina & traditione 23. quæst. 2. can. si infidelis c. Quanto c. Gaudemus de diuortijs. Verum omnis quæstio est de matrimonio fidelium, cui ex ratione superadditi Sacramenti maior etiam accessit ratio indissolubilitatis. Hic Erasmus dubiæ semper fidei, reperitur Epicuræorum quoque signifer & prodromus extitisse: Nam in annotationibus ad ca. 7. prioris ad Corinth. Fusissimè conatur probare ob fornicationem innocenti licere ad alias nuptias transuolare, quas annotationes edidit anno 1515. biennio antequam Lutheri hæresis ex orco prodiret. Citat Origenem homil. in Matth. 7. qui testatur sibi notos quosdam Episcopos, qui permiserint vxoribus, quæ cum viris diuortium fecerant, alijs nubere; ac fate-

4. Insti. c. 19. §. vltim. 1. ca. 19. Matth.

1 Cor. 7

tur hoc ab eis factum, aduersus præceptum Domini & Pauli; sed tamen factum non omnino damnat, quod existimet illos probabili causa adductos id permisisse, ne quid deterius committeretur; Citat & Tertullianum aduersus Marcionem; citat Pollentium, aduersus quem duos libros scripsit August. Ambrosium qui non existimat parem esse causam vxoris & mariti; huic licere repudiare vxorem, non vxori maritum; permittit tamen vxori alteri nubere à diuortio. Verum commentarius in epistolas Pauli non est Ambrosij, licet eius nomen præferat, & egent commoda explicatione, si qui Patres à cæteris, & communi Ecclesiæ sensu dissentiant. Citari solet Tertull. 4. contra Marcionem, & Eliberinum 31. q. 1. c. si qua mulier. Aurelianense 1. can. 10. sed explicari debent, vt marito qui adulteram dimiserit, liceat aliam ducere, non viuente, sed mortua priore: nam quandoque pœnitentiæ causa vxori adulteræ iniungebatur etiam mortuo marito à nuptijs abstinere; quare & illud: Cui vult nubat, optime explicat magister, post mortem viri: nam viuente viro consummatum matrimonium nulla potest auctoritate dissolui. Sanè grauiora longè nascerentur incommoda, si quæ isti dissolutioni porta laxaretur. Aduersus rixas, dissentiones mutuas, minas, & alia quæ obijcit Erasmus, sat erit separatio à thoro; nec, vt iam sæpè demonstratum est, potissimum tuendæ castitatis remedium est, ipse vsus coniugij, quo magis irritatur, quam sopiatur concupiscentia, quo pertinet illud Eccles. *Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat; & homo nequam in ore carnis sua, non desinet donec incendat ignem.* Frustra nititur Erasmus aduersus veterum Patrum, ac Pontif. sibi perspectam auctoritatem, vt sibi nouatoris, sibi soli sapientis nomen aucupetur. Caietanus & Catherinus timidè idem asserunt, non obstinatè, seseque submittunt Ecclesiæ iudicio, quod iam habemus expositum apertissimè à Synodo Tridentina: scripturæ, quibus orthodoxa doctrina stabilitur, haud sunt obscuræ. Matth. 5. *Quia omnis qui*

Eccles. 23. 23.

Sess. 24. can. 6. & 7.

Matth. 5. 32.

qui dimiserit vxorem suam exceptâ fornicationis causâ super eam mœchatur; & qui dimissam duxerit adulterat. Etiamsi dimissam ob fornicationem; non enim eius, qui peccauit melior esse debet conditio, quam innocentis. Excepta fornicationis causa pertinet ad priorem partem, qui dimiserit, vt hæc vnica sit causa, ob quam liceat dimittere: sed nulla vnquam causa, ob quam, vel dimittenti, vel dimissæ, aliud liceat inire coniugium. Similis sententia habetur Matth. 19.7, Mar. 10. 11. Luc. 16. 18. Vbi nulla fit exceptio, nec sunt restringendæ propositiones vniuersales: sed potius obscurior Matth. locus explicandus, & illustrandus ex alijs Marci & Lucæ apertioribus. Apposité S. August. Qui sumus nos vt dicamus, est qui mœchatur vxore dimissâ, aliam ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cum Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc fecit, alij scripturæ loci sunt apud Apostolum Rom. 7. *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi, igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius liberata est: ijs qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus; vxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, Habemus ex iusta causa diuortij, non dissolui tamen vinculum coniugale. Eadem autem est ratio coniugis vtriusq; cùm in hoc cõmuni vinculo ac nexu pares existant. Hisce Apostoli verbis proximè citatis S. Aug. consentit: hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viua sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autẽ desinit vxor prioris, si moriatur vir eius; non si fornicetur. Licitè itaq; dimittitur coniunx ob causam fornicationis: sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterij, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis. Authoritates Cõciliorum, & SS. Patrum vulgo quam plurimæ proferuntur. Sufficiat modo Tridentinę Synodi definitio, si quis dixerit Ecclesiam errare, cum

L. 1. de adulter. coniug. ca 9.

Rom. 7. 2. 3.

1. Cor. 7. 39.

L. 2. de adulter. coniug. c. 4.

Sess 24. can. 7.

cum docuit ac docet iuxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero viuente coniuge, aliud matrimonium contrahere, mœchari eum qui dimissa adultera alteram duxerit, & eam quę dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit; si soluitur vinculum matrimonij propter adulteriū, aut statim, id soluitur admisso adulterio, aut facto diuortio, aut inito demum secundo matrimonio, quorum nihil dici potest. Non primum, quia datur locus reconciliationi & pœnitens coniux adulter retineri potest. Non secundum ob eandem causam, mutari potest consilium, & adulter coniunx in gratiam reuocari. Non tertium, quia per absurdum est, adulter alienam coniugem vitiando faciat suam, & hæc ex suo flagitio reportet istud commodi, vt alteri nubere possit. Nemo vero dixerit, reconciliatione iniri secundum matrimonium quod si soli innocenti permittatur ad alias transire nuptias, quamquam claudicare nequit hoc commune vinculum, ex vna parte constare, ex alia dissolui, sequitur quod dimissa incontinentissima non possit alteri nubere. Quid ergo illi remedij aduersus æstum & vstionem concupiscentię? Si quæ dimittatur ex alia causa quam adulterij, licet minus graui, deterioris erit sortis; optandum erit adulterium, vt matrimonij dissoluatur vinculum; longè melior & optabilior erit conditio viri habentis vxorem adulteram, quam aliàs improbam aut malè moratam, aut perpetua laborantem ægritudine: quando cōiuges animis ac moribus dissiderent, quod quottidie vsu venit, aut ad alienos amores aspirarent facilè ac lubenter adulterandi facultatem sibi permitterent, aut deficienti eo crimine, alter alteri de adulterio calumniam strueret, quod obseruatum est à S. Hieron. in Matth. 19. sed non sunt difficiles Epicurȩi in eiusmodi causis matrimonij dissoluendi consignandis; est enim apud eos matrimonium res prophana, non secus

ſecus ac ſutrina, tontrina, agricultura. In Geneuenſi Synagoga decretum aliquando fuit; vt ſi annum integrum vir abfuerit, vxor rem ad ſenatum deferat: Niſi ante quadrageſimum diē redierit ille, alteri viro nubere poſſit. Egregium ſenatus conſultum dignum cerdonibus, ſutoribus atque tonſoribus, plures cauſæ illis ſunt diſſoluendi matrimonij quoad vinculum; quam nobis orthodoxis, ſeparationis quoad thorum. hanc indiſſolubilitatem matrimonij exigit ſuſceptio & educatio prolis, quæ nullo annorum numero definitur; exigit conſtantia ac firmitas coniugalis amoris longè ab eo ardentiore affectu, qui eſſe ſolet in adulteram, exigit ratio Sacramenti, qua indiſſolubilis CHRISTI coniunctio cum Eccleſia repræſentatur, vnio item naturæ ac perſonæ diuinæ cum humanitate, quę prorſus eſt inſeparabilis. Iam verò alterius generis diuortij, ſeu ſeparationis quoad thorum, & habitationem multæ poſſunt eſſe iuſtæ cauſæ, quæ ad duas reuocari ſolent, perpetuæ continentiæ, & criminis, ſi mutuo conſenſu continentiam voueant, aut ad religioſam vitam tranſeat alter, aut vterque coniux. Inter crimina, ob quę altero etiam inuito ſeiungere ſe poſſit alter coniux, ſola fornicationis ſeu adulterij cauſa exprimitur à CHRISTO Domino, ſub qua tamen & alia flagitia, quæ ſunt contra naturam continentur: ea ſola exprimitur, quod directè cum fide & ſcopo matrimonij pugnet, ob eam liceat perpetuum facere diuortium. Quin & iure petendi debiti coniugem alterum priuare, quę in eo genere grauiſſimi criminis, grauiſſima habetur pœna; longè tamen æquiſſima, quia frangenti fidem, fides ſeruanda nō eſt. Hęc igitur cauſa propria eſt matrimonij, quia fidem coniugalem velut eius baſim euertit, exigitque ius naturale, vt ei, qui conditionis contractus nō ſeruat, contractus reſcindatur, qua parte ciuilis eſt. At reſtat ait S. Aug. Sacramenti maius vinculū, quod non adulteriū ſed ſola mors diſſoluit. In alijs criminibus, cuiuſmodi ſunt impietas, apoſtaſia, hæreſis, latrocinium, ſacrilegium &c. ſeparatio fit dumtaxat iure ac


via defensionis, quamdiu perseuerat impœnitens, qui peccauit coniunx &c. Quamdiu ab eo periculum imminet alteri, non iure matrimoniali ob violatam matrimonij fidem, ad condignam illi pœnam imponendam. Si nullum subsit periculum, habet locum quod ait Hieron. in Matth. 19. Si ita est causa hominis, grande pondus vxorum est, si excepta fornicationis causa eam dimittere non licet, quid enim si temulenta fuerit? si iracunda? si malis moribus? si luxuriosa? si gulosa? si vaga? si iurgatrix? si maledica, tenenda erit eiusmodi, velimus, nolimus sustinenda est: cum enim essemus liberi, voluntariæ nos subiecimus seruituti. Si constiterit in alijs criminibus à fornicatione coniugem dimissum verè esse conuersum & correctum recipiendus erit vti iubet Vrban. 3. extra. de diuortijs c. de illa autem. excipitur tamen hæresis, si quis in externo foro hæreseos sit condemnatus, non tenetur eum pœnitentem coniux innocens recipere, vt eodem capite declaratur: quia præsumitur idem perseuerare periculum. Cum enim multæ sint fraudes & simulationes hæreticorum, meritò sibi ac liberis timere potest innocens coniux, ne fortè non sit sincerè conuersus, aut ne mox, vt solent, ad vomitum reuertatur.

Matrimonia inter Ethnicos validè contracta, sunt etiam natura sua indissolubilia, etsi minus quam inter Christianos, quibus accessit ratio Sacramenti. Disputant an hæc indissolubilitas sit iuris naturæ an positiui diuini, an dumtaxat Ecclesiastici? Sanè conformis est iuri naturæ & rectæ rationi, quæ ad liberorum honestam susceptionem, educationem & institutionem, ad mutuum coniugum amorem, & fidem tuendam, dictat nunquam dissolui debere coniugium. Quare si nō primis naturæ principijs, conclusionibus certè ex ea deductis, continetur hæc indissolubilitas; pertinetque ad secundarium quoddam ius naturæ, in quod tamen dispensatio cadere queat, vt de polygamia plurium vxorum iam dictum est.

Apud

Apud Romanos primis ab Vrbe condita quingentis & eo amplius annis repudium inter virum & vxorem nullum intercessit, teste Valerio. Primus, inquit, Spurius Caruilius vxorem sterilitatis causa dimisit, qui quamquam liberali causa motus videbatur, reprehensione tamē nō caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei pręponi debuisse arbitrabantur. Apud Iudæos iusta causa non erat sterilitas, cum maximè apud eosdem polygamia esset permissa, ex Deuter. 24. Sed fœditas, adulterium &c. Ibidem videtur iudicari & Ierem. 3. non licuisse post repudium ad alias nuptias transire, quando talis mulier polluta, & abominanda coram Domino facta dicitur alteri viro coniuncta, illique comparat Hieremias Ierusalem peccatricem, quæ recedens à Deo fornicata sit cum amatoribus multis idolatriæ dedita. L. 2. c. 1.

Rrrr 2 CAPVT





CAPVT L.

Iterum de diuortio & repudio, quatenus apud Iudæos licuerit & modò liceat apud Christianos.



VANQVAM hæc vocabula *diuortium & repudium*, indiſcretè vſurpentur, & ſi quid eſt diſcriminis diuortium inter virum & vxorem, repudium ſponſę fieri dicatur, tamen doctrinæ clarioris gratiâ, ſcholaſtici diuortium appellant, quoad thorum & habitationem, repudium quoad ſubſtantiam & vinculum coniugale. Sunt qui opinentur apud Iudæos ſuper repudio Deum diſpenſaſſe, vt vtrique liceret ad aliud matrimonium tranſire, Scotus, Durand. Palud. Caiet. Abulenſis, Maldonatus, Bellarminus & alij. Probabilior videtur ſententia, quam Magiſter & S. Thomas indicant, Dominicus Sotus, & alij ſequuntur, repudium Iudæis nunquam fuiſſe licitum, ſed dumtaxat maximè permiſſum, vt non excuſarentur à culpa, ſed à pœna liberarentur, quomodo permiſſum fuit alienis fœnerari. Pharizæis ex CHRISTO Domino quęrentibus, liceretne homini dimittere vxorem, quacunque ex cauſa, reſpondit Dominus non licere, ſuamque reſponſionem ex prima matrimonij inſtitutione cõprobauit. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Tum illi, ex Deuteron. 24. quid ergo, inquiunt, Moyſes mandauit

Ad matri. 17. d. 33.

Matth. 19. 3.

nit nobis dare libellum repudij & dimittere? At Dominus commutando mandandi verbum in permittendi, veram legis intelligentiam aperuit. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Moyses non mandauit tanquam bonum, sed permisit tanquam minus malum, quomodo permisit vsuras ab extraneis exigendas. Eodem pertinet CHRISTI Domini doctrina Matth. 5. *Dictum est autem: quicunque dimiserit vxorem, det ei libellum repudij; ego autem dico vobis, quia omnis,* Matth. *qui dimiserit vxorē suā, excepta fornicationis causa facit eam mœ-* 5.31.32 *chari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quē locū explicans S. Aug. l. 1. de serm. Domini in monte c. 14. Qui præcepit dare libellum repudij non hoc prǣcepit, vt vxor dimittatur, sed vt dimittere volens, det libellum vt iracundiam temerariam proijcientis vxorem libelli cogitatio temperaret (dum ille à scribis exaratur & prolixior mora interponitur.) Similia habet contra Faustum 19. 20. Non dissidium concedens, ait Hieron. sed auferens homicidium. Quod Deus dispensarit in Polygamia plurium vxorum, erat honesta causa, multiplicatio populi Dei, at cur in repudio dispensaret, nulla fuit causa; cur permitteret, causa fuit duritia cordis Iudæorum, & periculum vxoricidij. Maioris mali vitandi causa permittitur minus. Non fuit igitur dispensatio, sed permissio. In Euangelicâ lege CHRISTVS Dominus instaurator naturalis & diuinæ legis vtrumq; hoc matrimonij vitium polygamiam & repudium sustulit, reuocato matrimonio ad primęuam institutionem. Post CHRISTVM nunquam auditum est inter Christianos libellum repudij datum fuisse, nec vlli concessam facultatem repudiandi primam vxorem & alteram ducendi. Sunt quidem declarata quædam matrimonia irrita, quia legitimus defuisset consensus, aut aliud impedimentum dirimens esset temporis lapsu detectum, nunquam tamen quæ ab exordio sui contractus rata erant matrimonia, reperiuntur nisi alterius morte dissoluta. Quare insignis est im-

pudentia Buceri, dum parem externo magistratui ac Moysi potestatem atque auctoritatem in dissoluendis coniugijs tribuendam censet, nihilque vult esse impedimenti, quo minus cognita causa diuortij alter vel vterque coniux ad secundas nuptias transuolare queat. Ratio, qua CHRISTVS vsus est, Deum nō plures, sed tantum vnam fæminam vni fecisse viro, ac proinde non debere plures habere, vnam dimittere & aliam ducere; valet etiam cùm ob fornicationem vxor dimittitur quod vni viro vna tantum fæmina sit creata, & quod Deus coniunxit in vnam carnem non debere seiungi. Permisit CHRISTVS vxorem adulteram dimittere ne cogerentur mariti cum adultera plenam doloris vitam agere, non vt aliam ducere liceret, satis est si liceat priore liberari. Quod obijciunt hæretici CHRISTVM nihil maritis concessisse, si non liceat aliam ducere ineptum est hominum pluris carnem quàm honorem animique pacem æstimantium. Viri enim boni pro magno beneficio ducunt, quod sibi liceat mala vxore carere, quamuis aliam ducere non liceat. Imò hoc ipsum quod non liceat aliam ducere qui prudentiores sunt beneficij loco habent, quemadmodum, qui naufragium semel fecerunt quod sibi iterum mare tentare non liceat. Hæc Maldonatus. Quæ verò Kemnitius ex Erasmo alijsque Rapsodijs pro diuortio & repudio colligit, accuratè dissoluit Bellarminus cap. 17. Notat autem obiectione 7. non prætereundam silentio hęretici istius insignem & impudentem calumniam, qualis esse solet hæreticorum ferream frontem, dum pœnitentiam Fabiolæ commemoratam à S. Hieron. qua planè coarguitur eorum hæresis, mendacijs inuolutam audet obijcere: Hieron. inquit Kemnitius, Epistola ad Oceanum narrat publicam pœnitentiam Fabiolæ, quæ nupserat alteri viro, priore viuente, post diuortium factum causa fornicationis, sed addit hoc non vt peccatum mortale commisisse, neque tantum Papiniani leges sequutum, sed fecisse iuxta dictum Pauli, melius est nubere quàm vri, & volo Iuniores

niores

niores viduas nubere, neque pœnitentia publica Fabiolę efficit peccatum esse simpliciter mortale, nam & illis, qui adulterum sine diuortio retinebant, duorum aut trium annorum iniungebatur pœnitentia. Quid sibi vult Kemnitius. addit Hieronym. non fuisse peccatum letale vbinam hoc addit? etsi de opinione Fabiolæ nõ est disceptatio, quod illa per errorem senserit, sed Hieronymi contextus apertissimè mendacij coarguit Kemnitium. Neque dicit Fabiolam secutam esse legem, Papiniani & Pauli, imò illam contra legem Papiniani fecisse, Papinianus enim viris fræna libidinis laxat, non æquè mulieribus, quarum tamen par est ratio cum viris in omni iure cõiugij quoad Apostolum. Aliæ sunt leges Cęsarum, aliæ CHRISTI, aliud Papinianus, aliud Paulus noster pręcipit. Quod in excusatione Fabiolæ affert illa Apostoli loca, eo pertinet vt ostendat illam partim ex infirmitate, partim ex ignorantia peccasse, existimarat enim illas Apostoli sententias ad se pertinere, tũ quod ignoraret rigorẽ Euãgelicę legis, tũ quod ardore concupiscentiæ seipsam falleret, fuisse peccatum lætale demonstrat Hieronym. quia fuit contra CHRISTI præceptum. Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta fornicationis caussa, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in fęminas. Igitur Fabiola, quę persuaserat sibi virum à se iure dimissum, non tantùm adulterio, sed omnibus flagitijs coopertum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa cautio viuentibus viris, fæminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ergo in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Tota vrbe spectante Romana ante diem Paschę in Basilica quondam Laterani, qui Cæsaris truncatus est gladio, stetit in ordine pęnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo, collacrymantibus sparsum crimen, ora lurida, & squalidas manus, sordida colla submisit, & infrà: Aperuit cunctis vulnus suum

ſuum & diſcolorem in corpore cicatricem flens, Roma conſpexit, diſſoluta habuit latera, nudum caput, clauſum os, non eſt ingreſſa in Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra, cum MARIA ſorore Moyſi, ſeparata conſedit, vt quam Sacerdos eiecerat, ipſe reuocaret. Quis venialem dumtaxat culpam in eiuſmodi publica pœnitentia & fœminę nobilis eiectione ab Eccleſia recognoſcat? An Kemnitius, non dico venialia, ſed grauiora ſua ſcelera, ſimili vnquam pœnitentia expiauit? Canon, quem citat, intelligitur de eo, qui in adulteriũ vxoris conſenſit, quod eſt letale, alioquin licet adulterum tolerare, præſertim pœnitentem & expedit interdum aduerſus tentationes & viſiones, quibus vſtulabatur non rarò Kemnitius. Operæpretium eſt catalogum, quem apud bonum auctorem reperi cauſarum ob quas apud hæreticos diuortia permittuntur, hoc eſt diſſolutiones coniugij etiam quoad vinculum, nulla enim alia agnoſcunt diuortia, hoc loco attexere:

Ad ann. 700. In primis abrumpi vult Caluin. matrimonium abſque conſenſu parentum initum. Cal. lib. 4. cap. 19. ſſ. 37. folio 545. Nihil diſcriminis agnoſcit inter id, quod illicitè & quod inualidè factum.

Idem ſtatuit in matrimonio leuiter inito, quando curatores poſtulant, vt dirimatur.

Item ſi quæ pro virgine accepta eſt, deprehendatur non eſſe virgo.

Item, ſi alter coniugum lepra aliove morbo contagioſo & inſanabili laboret.

Item, ſi adulterium interueniat.

Item, ſi maritus ab vxore diſcedat ad vagandum, iterum ac tertio monitus.

Item dénique, ſi alteruter ab altero per annum perperam abſit.

His ſeptem Caluinianis diuortijs addenda, quæ Lutherus & Bucerus Caluini magiſter commenti ſunt.

Octauum

Octauum diuortium à Luthero inuectum inter virum pauperem ac fęminam diuitem, quem illa retinere nequit ob affinium amicorumue obstacula. *Lib. de causis matrimonial. cap. 15. edition. 1533.*

9. Quod idem Luth. 1. Corinth. 7. permittit quando coniux coniugem ad furtum aliudue peccatum inducit.

10. Quod Luth. vxori Christianę denuntiat si hæc à marito Ethnico vel pseudo Christiano deseratur.

11. Quod Lutherus ijs concedit qui ob frequentes rixas ægrè conuersari queunt.

12. Traditum à Bucero laxius etiam habenas carni remittit, si quidem alterutri coniugum potestatem facit nuptias dirimendi, aliudque coniugium ineundi, quoties alter ad alterius arbitrium non accommodat, id est, quotiescunque vel maritus vxori, vel vxor marito displicuerit, quod quid aliud est, quam matrimonium instabilius reddere quouis contractu ciuili, quem constat alterius malitiâ infringi non posse. *Matth. 19. Bellar. de matr. 25.*

Existimatur Berengarius insignis hęresiarcha Sacramentariorum & Anabaptistarum parens hunc errorem primus induxisse, matrimonia legitima dissolui posse, & licere, omnibus fęminis vti, & non esse infantes baptizandos, vt ex Guidmundo refert Bellarminus lib, 3. de Eucharistia c. 8.

[illegible]

S ſſſ CAPVT





CAPVT LI.

Matrimonium ratum non consummatum dissoluitur per religionis ingressum.



VT in dissoluendo matrimonio etiam consummato perfaciles sunt ludibundi, ac leues hæretici, sic in eo quod ratum est & adhuc integrum dirimendo difficiles sunt ac morosi Censores; odio quodam instituti religiosi, vtroque in genere verè Epicuræi, quare vt eos malè habeat, osores religiosę vitæ, hęc eius laus & eximia prærogatiua paucis est exponenda: Canones, quibus ea traditur; exstant complures in decretalibus, tit. De conuersione coniugatorum & tit. De sponsal. Alexandrij III. & Innocentij III. Per professionem Monasticam inconsummatum dissolui matrimonium, ita vt coniugi relicto in seculo liceat aliud inire; testanturque Pontifices in his decretis sequi se vestigia suorum antecessorum, quæ quidem habemus apud Gratianum 27. quæst. 2. quibus postremo accessit authoritas Tridentini sess. 24 can. 6. Exempla ex historijs plurima conferri possunt. 1. Teclæ Virginis, quã Apostolus Paulus à nuptijs cum Tamiro initis reuocauit vt testantur Epiphanius, Ambros. & apud August. Faustus. 2. Cæciliæ, quæ prima nocte nuptiarũ recusauit amplexus Valeriani,

Heres. 78. ex 2. de Virg. li. 3. cōtra Faust. c 4.

leriani, quia CHRISTO Virginitatem consecrare decreuerat. Simile habemus exemplum S. Euphrasię apud Metaphrastem 3. Alexij, qui prima item nocte nuptiarum intactam sponsam deserens peregrè profectus est, quod exemplum Magister quoque sent. recitat, nec incredibile est eum solemni voto se obstrinxisse. 4. Macharij, inter Eremitas præcipui, epulo nuptiali celebrato cum vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens, transmarina petijt, & eremum elegit. Eadem habet Gratianus. 5 Apud S. August. 8. confess. cap. 6. duo milites Palatini lecta S. Antonij vita, eius imitandi desiderio, vitam Monasticam amplexi sunt, relictis sponsis, quæ, vbi id cognouissent, similiter sanctimoniales effectę sunt. Dicuntur apud veteres sponsæ vsque ad matrimonij consummationem, quomodo Canones loquuntur titul. de conuersione coniugatorum, & ipse Augustinus lib. 8. cap. 3. institutum est hinc vt sponsæ iam pactę (per verba de præsenti) nō cito tradantur ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirarit sponsus dilatam.

6. S. Leobardus apud Turonensē ruptis nuptialibus fæderibus cum honesta puella Monachus effectus est.

7. Gregorius lib. 3. dial. ca. 14. narrat Gregoriam virginem nuptijs iam constitutis ad Ecclesiam confugisse, & sanctimonialis habitum induisse.

8. Oditta apud Anglos regina contra viri voluntatem accersitis Episcopis, cum adhuc esset intacta velamen sibi curauit imponi, apud Surium in eius vita.

9. Denique apud Bedam lib. 4. hist. cap. 19. 8. Ediltrida regina marito petenti debitum recusauit, quod religionem ingredi vellet, vti mox ingressa est. Ratio duplex adferri solet.

Prior semper licitum est de statu minus perfecto transire ad perfectiorem, cum id fieri potest absq; alicuius detrimento, at status coniugij minus perfectus est, religionis perfectior, ad eumque transiri potest sine alterius detrimento, si-

quidem inconſummatum eſt matrimonium. Matrimonio conſummato duplex affertur detrimentum, alterum proli conceptæ, vel natæ; quæ minus commodè poterit educari: alterum coniugi iam defloratæ, quę ob amiſſam Virginitatem non ęquè facilè aut lautè nubere poterit. Eiuſmodi periculum nullum eſt nondum conſummato matrimonio.

Poſterior ratio duplex in matrimonio vinculum reperitur; animorum ſpiritale, quod naſcitur ex mutuo conſenſu, corporeum carnale quod oritur ex vſu matrimonij, hoc poſterius dumtaxat diſſoluitur per mortem corporalem, ex Apoſt. ad Rom. 7. & 1. Cor. 7. ſpiritale per mortem ciuilem & ſpiritalem, qualis eſt profeſſio Monaſtica. Atque hinc efficitur cur per ordinis ſacri atque Epiſcopatus ſuſceptionem non diſſoluatur matrimonium; quod hęc non ęquiparetur morti ciuili. Dictum eſt ſupra matrimonium conſummatum non diſſolui per religionis ingreſſum. Plurima apud Gratianum decreta 27. quæſt. 2. vbi Greg. l. 9. epiſt. 29. reprehendit legem Iuſtiniani finalē, qua dicit Epiſcopis & Clericis, &c. cui ſimilis eſt alia lex quæ habetur in authēticis C. de nuptijs; ſine exceptione conceditur facultas coniugatis tranſeundi ad meliorem vitam. Exemplum quod habet Caſſianus collat. 21. ca. 9. Theonis Abbatis inter admiranda non imitanda cenſetur. D. Baſilius nihil aliud vult quam coniugatum ſi Monachus optet fieri conſenſum coniugis quęrere & expetere omni ratione debere, cuius rei exemplum habemus in fratre & ſororio S. Bernardi, qui à ſuis denique coniugibus petendi importunitate & aſſidua contentione conſenſum abſtulerunt. Dicat quiſpiam matrimonium ratum inconſummatum verum eſt matrimonium nec differt à conſummato eſſentiali vlla differentia, aut ſignificatione Sacramentali, cum CHRISTI & Eccleſiæ coniunctionem ſignificet, per matrimonium ratum dat vir vxori poteſtatem ſui corporis, & vice verſa, ergo par eſſe debet vtriuſque ratio, & per ingreſſum religionis ne ratum

Lib. 1. vita ca 16.

ratum quidem dissoluitur. Respondetur matrimonium inconsummatum à consummato differt sicut homo perfectus à manco, aut sicut causa seorsim sumpta, ab eadem cum effectu coniuncta; differt quoque significatione, nam triplex spectari potest significatio, triplexque CHRISTI coniunctio, prima per gratiam inuisibilem in anima cuiusque fidelis, secunda per charitatem cum tota Ecclesia. 3. per carnis assumptionem & naturæ conformitatem. Matrimonium ratum habet solum primam significationem, consummatũ prętereа duas reliquas. Coniux qui se alteri tradit, hac semper cum exceptione tacita tradit, vt liceat ei ad spirituales nuptias transire, vel certè ad eius debiti solutionem non tenetur cum tanto suo spiritali detrimento, quando maximè id fieri potest absque alterius grauiore incommodo. Ob eamdem causam summus Pontifex dispensare potest, & solet iusta de causa in matrimonio rato non consummato, sed hæc plenius apud alios scriptores edisseruntur. Quæ si minus probentur Epicuræis hæreticis nihil mirum, nam & hoc in argumento pridem illis anteiuit Erasmus, declamitans ne liceat à sponsâ legitimè ductâ, sed nondum cognitâ diuertere ad Monasticam vitam; nec interim fas sit puellæ alteri nubere ante editam sponsi professionem, etsi antè professionis diem migret in aliud monasterium, & hinc rursus in aliud, vt fiant anni quatuor, sponsa tamen cogetur manere innupta. Denique si ille nusquam profiteatur, sed redeat ad sæculum illa cogetur summâ cum infamiâ maritum habere, qui tot annis habitarit in cucullâ. Præclara æquitas! Egregius religionis fauor! ob humanum institutum violare legem diuinam cum iniuriâ innocentis puellæ, atque etiam cum periculo non mediocri. Hæc Erasmus præclarus planè Censor qui non aduertat parem esse ipsius sponsæ conditionem, si sanctioris vitæ velit institutum amplecti; & grande piaculum ducat ad aliquot annos cœlibem vitam agere; Quid si ægritudine aut peregrinatione diuturnâ, fiat, vt multos

Ann. in 1. ad Corint. c. 7.

etiam annos coniugium consummari nequeat? Neque adeo bruti erimus vt in coniugio nihil præter concubitum æstimemus! An & infamiæ damnat Erasmus quod & in cucullâ habitarit! An religiosus habitus homini Christiano probro vertendus erit? Deterior habendus maritus quod virtutis ac pietatis studiosus extiterit, ita animales facti sunt homines sæculo ac carni dediti verè Epicuræi. Nihil hominem sui capitis tot SS. Pontif. commouit auctoritas. Indè hęreses natæ quod suo nouatores iudicio fidant, sibique blandiantur. Quam modo pœnitet Erasmum tam profusæ atque imperitæ locutionis! Verè in eius multiloquio non defuit peccatum, cum vir humanioribus tantummodo litteris imbutus in alienam Theologorum messem, falcem immitteret.



CAPVT LII.

De impedimentis matrimonij.



Serm. de matri.

NOVVM imprimis excogitauerunt hęretici auctore Erasmo, si desit consensus parentum: de quo quidem impedimento Lutherus adhibitâ distinctione respondet. Nam aut nata est proles ex coniugio sine consensu parentum contracto, aut nondum nata est, si nata est, firmum esse debet matrimonium, si nondum nata est, in potestate parentum erit confirmare vel irritare. Expectandus igitur violatæ virginis partus, aut antequam parturiat ablegança.

Caluin.

Caluin. enumerans leges Pontif. Roman. de matrim. vt ipse loquitur, vel in Deum impias, vel in homines iniquissimas, primo loco istam ponit. Quales, inquit, sunt, vt coniugia inter adolescentulos parentum iniussu contracta firma, rataque maneant? *4. Insti. c 19 §. vltim.*

Sed vterque Luther. & Caluin. damnatur à Tridentina Synod. & aduersus Caluin. Quid si non sint adolescentuli, sed ętate matura, qui tamen parentum consensum auferre nequiuerint? Quid si, vt non raro vsu venit, nullâ iustâ de causâ repugnent parentes, vel ob difficultates rei familiaris, vel odio liberorum aut alterius propinquorum? peccant quidem liberi quando à parentibus consilium non exquirunt in re tam graui, illisque vel inscijs, vel repugnantibus matrimonium contrahunt, sine iustâ causâ; nemo tamen dubitauerit quin eorum consensus, cum sint sui iuris, liberamque habeant optionem status eligendi planè sufficiat, firmumque & ratum matrimonium reddat. Quis apud Christianos, exclamat Erasmus, hoc oraculum primus prodidit, quod solo consensu contrahatur matrimonium, etiam inuitis ijs, sub quorum potestate Deus voluit liberos esse? quod argumentum nimium facilè discutit Thomas Aquinas: Non est, inquit, in potestate patris, vt ancilla, sed vt filia: cur igitur non itidem licebat apud Iudæos inuitis parentibus nubere? ac linum lino connectens, addit; sicut potest ingredi religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera. Hoc quanquam non probat, tamen negare non audet Erasmus, & vt liberi, inquit, parentibus inuitis se conferant ad professionem Euangelij; docent nos ipsa Euangelia. Sed qua ratione, nisi quod in eligendo vitæ statu quisque liber, ac sui iuris existit. Apud Iudæos quoque, Græcos, & Romanos id iure naturæ semper valuit; nec quęrendus alius auctor huius oraculi, quam auctor ipse naturę, qui homini libertatem indidit, & omnes in eo pares esse voluit, neminem in eo alteri subijci, vt præclarè S. Thom. consultius egisset Erasmus, vti dixi, *Sess. 24. de et ex reform. matri. c 1.* *Bellar. cap 19. & seq.* *In ca 7. prioris ad Cor.*

si se

si se politioris literaturæ cancellis continuisset, & non in Theologorum messem, ipsius rudis & imperitus falcem immisisset: non tot erroribus nouatorum anteisset, ac viam præmunisset.

Gen. 26. 34. 35. inf. 27. 46. Ex eo quod Esau duas vxores duxisse narratur, de gente Hethæorum, ex terra Chanaam, quæ ambæ offenderãt animum Isaac, & Rebecchæ, colligere est præter voluntatem parentum eas vxores Esau accepisse, idque ex ea gente, de qua vetitum fuerat Abrahæ, ne filio suo vxorem acciperet: duoque hinc documenta, modo insinuata stabiliuntur; alterum morale, sine parentum consilio & consensu non esse ducendam vxorem, alterum dogmaticum; coniugium sine consensu parentum contractum, & si laudandum non sit, tamen ratum & firmum permanere. De impedimento consanguinitatis, & affinitatis eos dumtaxat gradus recipiendos censent, qui enumerantur in Leuitico; & in ijs nullam admitti posse dispensationem, cum sit lex diuina. In cæteris matrimonium contrahi posse absque dispensatione, quod leges humanæ Pontificiæ sint iniquæ; sed accuratè confutantur à Capit. 25. & deinceps Ruardo, Tappero, Bellar. & alijs. Illaq, Thrasonica, Theodori, Bezæ inscitia & insolentia comprimitur, à Bellarm. qua regulas Canonistarum supputandi gradus consanguinitatis, quas ipse assecutus non est, reprehendere tanquam ineptas & absurdas ausus est; cuius liber totus mendacijs & calumnijs confertus est, in paucis lineis tot habens errata, quot verba, vt ambigendum sit dormiens, an vigilans illa scripserit. In rectâ lineâ tam ascendentium, quàm descendentium, tot consanguinei distant inter se gradibus, quot personis, vnâ demptâ, stipite, nimirum qui non est gradus, sed principium graduum. In transuersa seu collaterali iure ciuili eadẽ est regula; Ecclesiastico, tot distant inter se gradibus quot remotior à stipite seu principio: aduersus quas regulas nihil potest opponi. Iure naturę interdicta sunt coniugia in primo gradu consanguinitatis, tam in rectâ lineâ, quam in transuersâ; in

in primo item gradu affinitatis in rectâ lineâ dumtaxat; Ex c. filij cum matre, patris cum filia, fratris cum sorore germana ex vtroque parente, aut altero dumtaxat, priuigni cum nouerca, vitrici cum priuigna, soceri cum nuru, generi cum socru, quæ omnia connubia extremo supplicio plectuntur Leuit. 20. nec exstat vlla vnquam dispensatio.

De Comite Armeniaco narrat Paulus Æmilius in Lud. XI. cum verum diploma nequisset impetrare, ex falso & fictitio sororem germanam duxisse. In reliquis gradibus reperiuntur indultæ dispensationes; Quod Ecclesia rectè prohibuerit coniugia olim vsque ad septimum & modò vsque ad quartum gradum consanguinitatis & affinitatis, quadruplici ratione confirmat S. Thom. 2.2. qu. 154. art. 9. quarum prima ducitur ab honore debito consanguineis & affinibus; nam illis obseruantia quædam & reuerentia debetur, cui repugnat vel maximè coniugalis vsus; imo apud veteres nequidem fas erat filio cum patre lauari. Legi potest S. August. 15. De ciuit. 16

Secunda petitur à consuetudine & familiaritate, quæ inter consanguineos & affines esse solet, nam in eisdem ferè versantur ædibus, interdiu ac noctu, quæ consuetudo & familiaritas vt foret innoxia, expers omnis culpæ, & suspicionis; debuerunt inter eos inhiberi coniugia; alioquin nimis illa citò & temerè conciliarentur, tum maxima preberetur incestibus occasio sub spe futuri coniugij. Denique suspicionibus omnia complerentur, & quæ nunc sunt oscula & blandimenta pietatis, aut vrbanitatis, tunc censerentur esse libidinis. Quam Ep. 86. causam affert S. Ambros. ad Paternum.

Tertia ratio à charitate in exteros dilatanda. Habita est, inquit S. August. ratio rectissima charitatis, vt homines, quibus 15. De esset vtilis atque honesta concordia, diuersarum necessitudi- ciuit. 16 num vinculis necterentur. Nec vnus in vnâ multas haberet, sed spargerentur in singulis, sine fructu in vnam personam coaceruarentur multa nomina necessitudinum, quę cum maximo fructu charitatis in exteros propagantur. Hanc quoque

rationem affert S. Ambros. Quarta ab immoderato vsu coniugij, quoniam vt auctor est Aristoteles: Homo naturaliter consanguineos diligit si ad hunc naturâ insitum amorem accedat alter vxorius, erit ardentior quàm par est, nec mediocre succrescet incentiuum libidinis. Cur prohibito vsq; ad 4. gradum modo restricta sit præcipua ratio est, quod hoc tempore refrixit charitas, & aucta concupiscentia, quare difficulter potuissent tot prohibitionum gradus obseruari.

Ratio de quatuor humoribus congruentia quædam est, quâ probabiliter docemur, in quarto gradu vim illam natiui sanguinis, quæ à primo stipite trahitur imminui & exarescere, certè cum ad quartum gradum est peruertum ferè intercidit omnis necessitudo & familiaris consuetudo. Ob has easdem rationes cognatio spiritualis & legalis, publica iustitia, & affinitas ex fornicatione rectè inter impedimenta matrimonij statuuntur. Luther. de captiu. Babyl. & Beza de repudijs obijciunt omnes Christianos esse fratres, & Christianas sorores, sed per irrisionem, Lucianicè vt solent, seria quæque tractant, nec quicquam solidi refutatione dignum afferunt. De impedimento ex cultus disparitate Catholici docent matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis, non solùm esse illicita, verùm etiam irrita & inualida, cum hęreticis baptizatis illicita esse non inualida. Vtraque illicita sunt iure naturæ ob periculum quod imminet tum coniugi, tum proli, ex eo coniugio nascituræ. Priora sunt inualida consuetudine receptâ inter Christianos, quæ vim legis obtinet. Luther. lib. de captiuit. Babyl. cap. de matrimonio. hoc impedimentum non agnoscit, neque tamen rationem vllam affert, nisi, quia Deus hæc matrimonia Christianis prohibuisse non legitur, & quia B. Monica D. August. mater maritum habuit infidelem. Idem repetit serm. de matrim. & in ca. 7. prioris ad Corinth. Melanchthon in locis comm. tit. de matrim. bono animo hæc matrimonia ab Ecclesiâ prohiberi optaret, tamen non adeo rigidè obseruari, vt postulant Catholici. Pręclari censores? Quam.

Quam diuerso sensu SS. PP. hæc inhibeant matrimonia, legere est apud Tertull. 2. ad vxorem. Cyprian. serm. de lapsis, vbi ait id esse prostituere gentilibus membra CHRISTI. Ambros. de Abraham cap. 4. & ep. 70. Hieron. 1. aduersus Iouin. vbi illud allegat Apostoli, nolite iugum ducere cum infidelibus.

At nunc plerique contemnentes Apostoli iussionem iunguntur gentilibus & templa CHRISTI idolis prostituunt. August. etsi dubius videatur hæsisse lib. ad Pollentium de fide & operibus 19. non reperiri in nouo testamento, scripturam, quâ ea prohibeantur, tamen allegat Cyprian. & concludit, omni modo cauendum est ne fiant tales coniunctiones, quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Non desunt auctores qui Luthero tribuant errorem eum, quem vti magistrum ferè sequitur Ioannes Wiclef, Cognationem in solo primo gradu matrimonium impedire, idq; recto ordine. In transuerso nullam esse prohibitionem; ex quo colligit fratres & sorores matrimonio posse coniungi vt initio mundi nascentis necessitate ad id coniugium adigebantur, verba Wiclef l. 4. trialogi ca. 20. recitat Bellarmin. 25. præcepta Leuitici nihil ad Christianos pertinere; Sanè nihil ad se ea pertinere censent Anabaptistę? Sed quàm repugnet hic error rectè institutæ naturæ colligere est, quod Persæ qui cum parentibus & sororibus coniugia permittebant, ab omnibus reprehendantur. Tertull. 1. Apost. c. 8. Chrysost. de Pentecost. August. qu. 6. in Leuit. Aristoteles 2. polit. inde quoque reprehendit communitatem vxorum: quòd sequeretur filios parentibus, & fratres sororibus iungendos. Quale chaos apud Anabaptistas reperitur. Suetonius in Caio ponit inter eius flagitia quod Drusillam sororem vxoris loco habere vellet, & in Antonio Caracalla quod à Iuliâ nouercâ non abstinuerit.

Hactenus probatum est Epicuræos matrimonio detraxisse, eius ornamenta præcipua, dignitatem nempe Sacramenti

nouę legis. Tum & eius insignes prærogatiuas, vnitatem, firmitatem, perpetuitatem, & sanctitatem sublato omni discrimine graduum cognationis, & consanguinitatis, quo liberior sit & effusior in omnes effrenata libido. Frustraque allegant damnatum exemplum Ammon & Thamar quod nemo probus non maximè condemnarit. Nunc quæ pauca supersunt continentiæ inimica, tum vitia, tum exempla recentium Epicuræorum breuiter expendamus.



CAPVT LIII.

De luxuria, eiusque filiabus & speciebus.

2. 2. qu. 153.



LVXVRIA vel luxuries à luxu dicitur, & generatim pro quouis excessu in deliciis, & cultu corporis sumitur, Gręcis ἀσωτία, specialior autem pro excessu in re venerea; nam luxuriosus dicitur, vt notat sanctus Thomas, ex Isidoro, qui luxatus, & solutus est in voluptates: præcipuè autem dissoluunt hominis animum venereę voluptates; ab Apostolo vocatur ἀσέλγεια, intemperantia libidinis, quo loco numeratur & agmen ducit inter opera carnis de quibus Apostolus asseuerat, quod qui talia agũt regnum Dei non possidebunt.

Galat. 510.

Indicat igitur esse peccatum lethiferum, quod à gratia Dei & regno cælorum excludat. Peccatum est quod repugnat ordini rationis; quo verò magis est necessarium quodque opus, maiorisque momenti, eo quoque magis in eo est obseruandus

seruandus ordo rationis, & si interuertatur grauius peccatum existet. At propagatio naturæ & conseruatio speciei censetur opus maximè necessarium, maximique momenti, in quo propriè versatur vsus venerearum voluptatum: igitur si peruertatur in hoc vsu rationis ordo, necesse est graue admitti peccatum. Est autem vitium capitale, quod ex eo fonte plurima alia dimanant. Numerantur à sancto Gregorio præcipuè eius octo filiæ: cœcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus pręsentis sæculi, & horror futuri. 3. Tho. a. 5. 31. moral. 31.

Rationem reddit sanctus Thomas, quod quo vehementius inferiores potentiæ suis obiectis afficiuntur atque applicantur, eo magis superiores vires in suis functionibus impediantur & deordinentur. Per vitium luxurię appetitus inferior maximè abripitur in suum obiectum cum sit ea vehementissima delectatio, abiectissima & infima, maximè terrestris, cum brutis, homini communis, eius impetu superiores quoque vires abripiuntur, & inficiuntur intellectus & voluntas. Quatuor priores filiæ pertinent ad intellectum, cuius quatuor sunt actiones. Prima est simplex intelligentia, seu apprehensio finis alicuius boni, & ea perturbatur per cœcitatem mentis, iuxta illud Danielis ad senem illum cariosum, qui Susannæ tentarat expugnare pudicitiam. *Species decepit te & concupiscentia subuertit cor tuum.* Secunda est consultatio de medijs, & ijs, quæ agenda sunt ad finem, & hæc perturbatur præcipitatione, quàm gignit luxuria, de qua in Eunuch. Terentius quæ res in se neque consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes. Tertia examen & iudicium de medijs & modis agendi se offerentibus, & ad eam pertinet inconsideratio. *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Denique quarta est, imperium rationis, quæ iubet opera executioni mandari, & huc pertinet inconstantia: luxuria enim emollit cor, illud reddit effœmi- Dan. 13. 56. Dan. 13. 9.

Osee 4 11. effœminatum. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Et
Terent. in Eun. hæc verba, vna falsa lacrymula restinguet, Minus malorum metunt, qui minus deliciarum norunt in vita.

Voluntatis duę sunt actiones, intentio finis, & electio mediorum, appetitus tum finis, tum eorum, quæ sunt ad finem. Prior turbatur ab amore sui ex quo gignitur odium Dei: posterior ab affectu præsentis sæculi, ex quo horror & desperatio futuri. Notissimum autem est experimento quotidiano, luxuriam gignere & fouere amorem sui inordinatum, & affectum rerum & voluptatum præsentis sæculi, cum hic ipse amor, & effectus sit luxuria. Quis igitur non aduertat quam detestanda sit luxuries fœcunda mater tot execrabilium filiarum, sed præter has internas proles aliæ quatuor externæ assignantur, quæ ad locutionem pertinent à D. Isidoro, de quibus sanctus Thomas ad 4. 1. Turpiloquia, quia ex abundantia cordis os loquitur. 2. Scurrilia, verba aut facta parum honesta, risum mouentia. 3. Ludicra, quæ ad iocos pertinent; & voluptatibus inseruiunt; Denique 4. stultiloquia, quæ ratione carent. Pluribus explicat S. Hieron. in cap. 3. ad Ephesios: Quid sit stultiloquium & scurrilitas.

2. 2. qu. 154. Species luxuriæ ex Gratiano 36, q. 1. recensentur: Fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam.

Peccatum luxuriæ in eo vertitur, quod quis delectatione venerea vtatur contra rectam rationem, idque, aut quia materia deficit, aut certè quędam circunstantiæ interueniũt, quę tamen speciem peccati non solent immutare. In materia peccatur, aut quia repugnat fini primario generationis, cuiusmodi est vitium contra naturam, aut bonæ educationis & promotionis liberorum, qui finis est alter secundarius, cuiusmodi est simplex fornicatio, aut quia non seruatur honos qui debetur, vt in incestu propinquorum, aut quia in alterius redit iniuriam, vel coniugis & est adulterium, vel partis & est stuprum; quod si vis inferatur puellæ repugnanti, raptus;


raptus; sacrilegium in persona sacra reuocatur ad adulterium; quia personæ sacræ connubio quodam spirituali Deo sunt coniunctę. Impudicitia in tactibus & osculis refertur ad eam speciem ad quam disponit, & cui subseruit.

Obseruat Caietan. adulterium, incestum, raptum, stuprum, & sacrilegium non esse propriè species luxuriæ, sed dumtaxat vulgata ratione loquendi, eo quod deformitas quam adijcit circunstantia personæ alteri connexæ vel loci, non est contra castitatem, sed aliam virtutem, in adulterio, raptu, & stupro contra iustitiam, incestu contra pietatem, in sacrilegio contra religionem: Deformitas contra castitatem petitur propriè ex circunstantia vsus indebiti, & personarum debito vinculo non connexarum. Quare adulterium ratione iniustitię, quæ fit coniugi species est iniustitiæ, ratione carentiæ vinculi coniugalis inter personas, species luxuriæ, & ita de cæteris. Dicuntur tamen species luxurię ob duas causas, quia luxuria magis est formalis, cum se habeat per modum finis, iniustitia & sacrilegium materialiter, & velut per accidens, non enim committitur adulterium eo fine vt iniuria fiat marito, aut sacrilegium vt diuinus honor violetur. Deinde quod ea peccata committantur in materia luxuriæ, & per eius actum, quodque in eiusmodi actu ceteroquin inhibito luxuria magis eluceat; est enim effrenis impudens adeoque vehementissima luxuria, quæ iustitiæ quoque & religionis præscriptos transgreditur limites, itaque diuersitas affectus in his speciebus indicatur, & diuersam culpæ grauitatem arguit, quamquam in eadem specie fornicationis stuprum quando puella consentit non videtur distincta species à simplici fornicatione; sed de hac an sit peccatum mortiferum amplius disquirendum, & probandum aduersum Anabaptistas, qui nō solum fornicationem, sed & omnem permiscuum concubitum permittūt, & probant secuti veteres Gnosticos, aliarum quoque impuritatum patronos, ea de causa dictos Borboritas. De quibus Epiph. hęres. 26. Veteres omnes sordes

des resorbere voluerunt hi recentes Epicuręi, suasque Synagogas prostibula & lupanaria publica Veneri & Baccho, non modo solenni doctrinâ & religione, verùm & quotidianâ prostitutione, & omnis generis scortatione consecrarunt.

Ser. 39. in Can. Quem describit Bernardus currum luxuriæ, cum præclarè insedit, eoque vecta gloriatur ac triumphat hæresis ista nouorum Epicuręorum, quos sola fides de salute securos reddit, rerum omnium, præterquam voluptatum, incogitantes. Luxuriæ currus quadrigâ nihilominus voluitur vitiorum, ingluuie ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otij soporisque resolutione. Trahitur equis æquè duobus, prosperitate vitę, & rerum abundantiâ, & qui his præsident duo, ignauiæ torpor, & infida securitas; quia & copia in ignauiam soluit, & secundum scripturam, *prosperitas stultorum perdet eos*; non sanè ob aliud, nisi quo-
Prou. 1. niam malè securos reddat. Cum autem dixerint; Pax & securitas sunt, subitaneus eis superueniet interitus, æternę mortis & damnationis.

CAPVT



CAPVT LIV.

An simplex fornicatio sit peccatum lethiferum.



ALVA fide id nequit ambigi, quod veteres recentesque Theologi constanter asseuerant. Colligitur ex scriptura 1. Corint. 5. 9. *An nescitis quia iniqui regnum Dei nō possidebunt? Nolite errare neque fornicarij, neque Idolis seruientes, neque adulteri, neque molles &c. regnum Dei possidebunt*, Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ad Eph. 5. *Hoc autē scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est Idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno* CHRISTI *& Dei, nemo vos seducat inanibus verbis.* Ratione probatur, quod fornicatio repugnet educationi prolis, qui est alter finis coniugij, non enim solum est finis susceptio & generatio prolis, sed eiusdem honesta & congruens educatio & institutio; qualis sicut in animalibus, in quibus vtriusque parentis labor, industria & cura requiritur ad educationem, species quædam & imago matrimonij conspicitur, vt in quibusdam feris & auium genere, quem Deus illis instinctum dedit, ita multo magis in homine ad cuius honestam & Christianam educationem summa diligentia ac cura parentis

vtriusque necessaria est, confitendum est, non modo instinctum verum & præceptum naturæ Deum indidisse, quo vir & mulier indissolubili nexu coniugij copularentur, extra quem nexum non liceret eis generationi prolis operam dare, non satis est quod aliundè prospiciatur educationi prolis; id enim est parergon cum fornicatio illũ finem excludat, suapte sponte, libera & vaga libido. Cæteræ animantes non sunt capaces præcepti vt homo liber & intelligens; quare in illis instinctus solus, in homine insuper accessit obligatio præcepti. Addi potest & alia ratio cur culpam letalem contineat fornicatio, quod is cõcubitus fiat voluptatis caussa, quæ, cum sit vehemẽtissima, iudicium & ratiocinationem perturbat, eneruat, ac frangit, nec excusatur honestate matrimonij, qua supra dictum est fieri, vt vsus coniugij hoc statu naturæ corruptæ, qui foret letalis, euadat dumtaxat venialis, quemadmodum procurata quoque pollutio & delectatio morosa, qua sibi complacet animus in eo genere turpis voluptatis letifera cen-
d. 33. a. setur. Pluribus hæc tractãt Scholastici & scripturæ interpre-
2. q. 2. tes, è quibus Richardus tradit nec Dei dispensatione fieri posse vt fornicatio euadat licita, etenim significat accessum ad mulierem non suam, seu cuius corporis potestatem non habet, neque cum Osea dispensauit Deus vt fornicaretur, sed mandauit vt acciperet mulierem prius fornicariam, & hoc mandato fecit illam Prophetæ vxorem vtroque consentiente, potuit sanè Deus vniuersorũ Dominus dare ius Oseę in corpus fornicariæ, etsi non contra ipsi fornicariæ in corpus Oseæ, matrimonium vero requirit mutuum ius: deinde potestas ea potest esse ad vnum alterumve actum, non absoluta & perpetua, qualem exigit matrimonium. In furto contrectatio rei alienę quoad vsum concedi potest, etsi non quo ad dominium; in membris corporis vsus forsan à dominio seiungi nequit, certè priuatus quisque non est Dominus sui corporis, vt rerum externarum, nec quo ad vsum, nisi quo ad legitimam prolis susceptionem, quæ extra matrimonium quæri

queri non potest. Obseruandum est fornicationem in Christianis habere specialem deformitatem ratione baptismi & confirmationis, quibus Sacramentis corpora nostra effecta sunt mébra CHRISTI, & in templum Spiritui S. consecrata. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quoniam corpora vestra membra sunt* CHRISTI? *tollens ergo membra* CHRISTI *faciam membra meretricis? an nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est quem habetis à Deo, & non estis vestri, empti enim estis pretio magno,* quo loco Apostolus fideles dehortatur à fornicatione tribus argumentis, etenim reperitur quædam in eo species sacrilegij latè sumpta, singularis ingratitudo, & irreuerentia aduersus Deum. Addi possit & ratio ex sperata corporis resurrectione gloriosa, quæ stimulus esse debet ne illa incontinentię labe conspurcentur. Nihil moramur iurisperitos, qui dicunt concubinatum esse coitũ legitimum Bartholus lege penultima [illegible] de concubitu, hoc est, vt interpretantur legibus permissum extra pœnam legis Couarruuias de Sponsal. [illegible] 1. capit. 4. num. 8. *1. Cor. 6 15.*

Disputat S. Thomas, an fornicatio sit grauissimum peccatorum, eo sensu est grauissimum quod latissimè grassetur & difficillimè superetur ob concupiscentiam homini ingenitam cuius motus maximè sunt vehementes & importuni. D. Isidor. magis inquit, per carnis luxuriam humanum genus diabolo subditur, quam per aliquod aliud peccatum. D. August. inter omnia Christianorum certamina sola dura sunt prȩlia castitatis, vbi quotidiana pugna & rara victoria in ea tentatione, si nõ suscitatur incendium, at fumo semper obfuscatur anima, si non inferuntur letalia vulnera renitente parte superiori, at certè pugni & colaphi vibicibus infames ingeruntur. Semper dedecorosa, importuna, grauis & molesta est ea tentatio, eoque grauior & molestior, quo maiore quis ardore charitatis ad spiritualem, cȩlestem atque Angelicam adspirat innocentiæ puritatem, in materia castitatis ob *a. 3. Isi. l. de sermon: bono 39. De agone Chr.*

 vehe-

vehementiam passionis istius venereæ non existimatur à multis dari vlla exiguitas materiæ, vbi plena adest deliberatio, vsque adeo procliues sumus in id vitium dum carni ac sensibus hæremus.

Hinc tactus, oscula, complexus, cum periculum subest morosæ delectationis, aut pollutionis culpam continent lethalem: & huc refero, quod habet Cyprianus ad Pomponium.

Ep. 62. Certè ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur. Graue crimen esse virginis, si cum masculo dormiat, etsi ab eo non *Lib. de Virgin.* corrumpatur. Non sine causa virgini præcipit Basilius; Tactum vt sensuum omnium pernitiosissimum & sæuissimè blandientem, sensusque reliquos in suas illecebras pollicientem quam maximâ potest curâ seruet immaculatum. Atque addit: Tale osculum oris adulterium non inscitè dixit quispiam, (certè quale hodie iniectâ in os linguâ fædissimè à nonnullis perpetratur) aspectum non allicere ad voluptatem, nisi per tactum quendam: iactis enim luminum radijs, veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcumque voluerit, eminus tangit, & quæ corporeis manibus attingere non potest, oculorum iactibus pertrahens amplectitur.

CAPVT





CAPVT LV.

De sacrilegis Lutheri nuptijs.



E reliquis speciebus luxurię differere neque locus hic requirit, neque pudor meus religiosus patitur.

Sacrilegium in materia castitatis admitti docet sanctus Thomas, quamquam non enumeretur inter species luxuriæ in decretis 36. q. 1. eo quod non sit species luxuriæ spectatæ secundum se, sed secundum quod ordinatur ad alterius vitij finem, atque ita incidit cum pluribus alijs luxurię speciebus. Si quis abutatur persona sibi coniuncta secundum spiritualem cognationem, admittit sacrilegium, ad modum incestus; Si virgine Deo sacrata, quatenus est CHRISTI sponsa, ad modum adulterij; in quantum est sub patris spiritalis cura constituta, spiritale quoddam stuprum, & si inferatur violentia, erit spiritalis raptus, qui lege ciuili grauius punitur quâm alius raptus, de quo Iustinianus Imperator, si quis non dicam rapere sed attentare tantummodo matrimonij coniungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. Hac igitur pœna plectendus fuerat Lutherus, cuius nuptias duplici, triplicive ex capite sacrilegas fuisse constat, nam ipse tum religioso voto castitatis professę, tum ordinis sacri ac Presbyterij nexu Deo religatus fuerat; & Anna Borrea sancti-

a.10 ad 2.

In codice lib. 9. tit 13.

monialis professa malis artibus ex monasterio educta, licentius peruagata in academia Witembergensi, tandem connubio stabili apud Epicuræorum Principem hæresiarcham collocata est. In lege veteri vetabatur summus Sacerdos meretricem in vxorem ducere, sed nihil ad noui quinti Euangelij Pontificem lex vetus abrogata. Duplex est adulterium, si coniugatus alteri coniugatæ commiscetur; Duplex igitur & sacrilegium est, cum persona vtraque sacra in Dei contemptum venerea se fœdat voluptate. Quid quod hoc sacrilegium ad Dei cultum pertinere dictitant, & non modo matrimonij honestant vocabulo, verùm & planè necessarium, & Deo acceptissimum opus, & vnicum tuendę castitatis & sopiendæ concupiscentiæ remedium asseuerant? Lutherus viuente Saxoniæ duce nuptias istas improbante, non est ausus eas inire, cum intimis tamen depasceretur incendijs. Neque vero diffitetur Lutherus, antequam Catharina se explesset propter libidinis vehementiam & amorem mulierum ad insaniam propè redactum fuisse. Annotation. in cap. 31. Prouerb. ad locum Salomonis matronam bonam commendantis adijcit marginalem notam, quam se ab hospita sua Isernaci didicisse, suoque experimento comprobasse significat, tanquam insigne epiphonema quod omnibus Euangelicis altissimè debeat mentibus infigi; nihil amabilius est vel suauius in terra quàm amor mulierum, si cui is potest contingere, an non eadem vox Epicuri non intelligere quidem se posse vbi sit aut quid sit vllum bonum, præter illud quod cibo & potione, & aurium delectatione & obscœna voluptate capiatur: si ea quæ luxuriosis sunt efficientia voluptatem, liberarent eos deorum, & mortis, & doloris metu, nihil haberent quod præterea requirerent, cum vndique complerentur voluptatibus. At quis non dicam diem, sed horam in ea voluptate velit persistere? non erat expertus Lutherus vel si expertus erat maligne dissimulabat monitum illud Sapientis.
Eccl 7 27. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venantium est,*

&

& sagena cor eius, vincula sunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est (impius Atheus) *capietur ab ea*. Sed prosequatur sanè Lutherus matrimonij laudes, scribat matrimonium optimo omnium iure spiritalem statum vocari debere, esse verè cœlestem, spiritualem, diuinum, eiusque naturam esse eiusmodi, vt hominem agat, vrgeat, impellat ad summè internum, spiritualissimum opus nempe fidei quod multis persequitur, fidei Lutheranæ iustificantis, quod velut omnium malorum emplastrum, exerceatur in actu coniugij, cum Philosophi omnes negent in eo actu quidquam dignum homine concipi, & mente agitari posse: est enim epilepsiæ quædam species, insania & amentia temporanea; talis & fides existit Lutherica. Celebret Lutherus epithalamio adeoque Missa solenni, ô cynicam impudentiam! Carolostadij coniugium, & toti mundo suam suorumque propalet impudicitiam. Carolostadius certè religiosam sibi ducendam non putauit: Luthero religioso, & apostatæ non conueniebat vxor nisi religiosa, sanctimonialis, apostata. Conuenit apprimè Luthero quod in virginis lapsæ corruptorem declamat Ambrosius, de te quid dicam fili serpentis, minister diaboli, violator templi Dei qui vno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium vtique & sacrilegium planè vbi vas CHRISTO oblatum, Domino dedicatum dementi temeritate polluisti, quid, inquam, de te arbitraris perdite & perditor, qui vas rationabile CHRISTO consecratum, Spiritu sancto sanctificatum, impiè & sacrilegè temerasti, & tui propositi immemor & iudicij diuini contemptor: non duo modo crimina, sed quatuor vno scelere cumulauit Lutherus, duplicis ipse voti reus & sanctimonialis professæ fœdissimus adulter. Narrat de Eliogabalo Herodianus, vt aliquid virile *Lib. 5.* facere videretur Vestalem Sacerdotem abreptam è templo in vxorem sibi acciuisse, cumque mœstus tanto flagitio senatus renunciaretur per Epistolam fuisse consolatum humanum esse peccatum, captum se illius amore, cæterum Sacerdoti

doti

de his hactenus, nisi quod de Caluini & Bezæ impudicitia paucis quantum hominis religiosi verecundia patitur, adijciendum est.



CAPVT LVI.

De Caluini & Bezæ incontinentia & impudicitia nefanda.



VERE dixi nefanda, cum vterq; Sodomitici peccati infamis accusetur, nec obscuris indicijs reus teneatur. Caluinus enim non semel insimulatus est; Parisijs cum in Nauarreo Collegio daret operam studijs, iterum in patria Nouioduni cum ferro candenti liliatus pœnam luit. Narrat Boscecus adolescentem quemdam domesticum Caluini, cum Geneuæ iam prædicans dominaretur magna vi subrepta pecuniæ profugisse, & cum facilè retrahi posset de fuga, amicique omnes auctores essent eius persequendi, nunquam Caluinum adduci potuisse, id fieri pateretur ne retractus ex fuga grauioris testis flagitij existeret, vt non inanis omnium ferebat suspicio. Narrat idem consuesse matronas insignis specie & forma frequenter & familiariter ad ædes sancti Prophetæ huius absque arbitris venire, & cum solo solas agere, nisi fortè cum infante quem manu prensum ducerent, aut Bibliorum volumine quod sub axillis gererent, vt scilicet instruerentur seorsim à Magistro Caluino, scrupulisque omnibus ac stimulis liberarentur,

rentur. Cuiusdam viri nobilis vxor iuuencula, blandula, bellula, alacris & vegeta frequenter à Caluino visitabatur, præsertim absente marito, & nocturno tempore quod sola nocturnis terroribus agitaretur, ac somnum secura non caperet, affirmauit ancilla iuramento adacta, se vestigia duplicia in heræ suæ lecto deprehendisse; qua nocte maritus abfuerat, & Caluinus apud eam cœnarat, & dormierat, Domini Iacobi de Burgundia Toparchæ in Fallaix vxorem sępè Caluinus appellabat, quid facies hoc homine tam malè affecto morbis, & annis confecto, nunquam erit vt tibi præstet obsequium; me si audies mori cum patieris, & tum inter nos coniugium felix inibimus, quo sermone mulier nobilis irritata, marito persuasit vt mox Geneua deserta ad Bernenses se conferret; & gloriatur tamē viduum se à morte coniugis quam Leodiensis cuiusdam Destordeur viduam duxerat, annos quindecim perseuerasse, ornatus videlicet insigni continentiæ vidualis dono, quod multis precibus, ieiunijs, cilicijs, asperitatibusque promeruerat.

Beza non inferior magistro discipulus, sed in Veneris schola superior, Sodomiticus ganeo, & leno turpissimus à prima extitit adolescentia, vt fidem faciunt iuuenilia eiusdem Bezana, seu potius vesana pridem edita Parisijs, & sæpius sub incudem reuocata. Testantur auctorem non modo verborum obscœnitate, pudicis auribus execranda, verum & scelerum & flagitiorum fœditate turpissima coopertum, ea perpetrasse & pertulisse, quę religiosus pudor commemorare non sinat. Fertur Parisijs pœnas suę impuritatis luisse, cum morbo Gallicò correptus, eius luis exhalandæ causa in certo suburbio ad balneatoris caminum ęstuans & anhelans, diu multumque desudauit. Sed & à sacro tribunali Parlamenti conquisitus ad pœnam alteram publicè exsoluendam, quæ Sodomiticis infligitur; maturè fugam abripuit, Geneuam versus asilum omnis virtutis & probitatis, duobus simoniacis emptoribus diuendito prioratu, ne inanis absque viatico disce-

discederet tum & sartoris cuiusdam vxorem Candidam re Melaniam peccati nigredine deformem abduxit, ne careret hoc subsidio ac solatio in grauissimo onere ministeriali, quod susceptũ ibat, ad magnũ decus suę reformationis. Cui peruulgatum non est turpissimum eius poema quod sempiterno silentio & tenebris erat obruendum, de hac Candida & Aldeberto, quo se fœdissima ad omnem posteritatem infamia Doctor hoc nouum Euangelium deturpauit? neq; vero Dauidis vnquam pœnitentiam imitatus, aut qua mauult vti voce resipiscentiam, psalmum aliquem nouum edidit quinquagesimum, aut S. August. confessionum partem aliquam suis scriptis inseruit.

Verùm ad ætatem vsque decrepitam octogenarius Veneris Sacerdos illi sacrificauit, mox vna defuncta coniuge alia recẽti suffecta, vt eum prius vita quam libido deficeret; instar emissarij cuiusdam furentis equi ad nouas semper equas hinniens anhelabat, vsque ad ipsum tumulum, ô præclarum noui Euangelij patriarcham, nec omittenda est hic historiola, cum apud Bernenses ludi magister ageret Beza, ancillam habuit ætate florenti eleganti forma, cui nomen Claudia, hæc eum domi concepisse reperta est, ex quo, difficilè est suspicari. Beza veritus ne stipendium Bernensium cum infamiæ nota dimittere cogeretur, rumorem sparsit ancillam peste laborare, illamque ad tuguriolum, quod erat ad latus horti Petri Vireti, deferri curauit, illique adiunxit Chirurgum adolescentem, qui conclusæ puellæ curam gereret, hic, Beza impulsore, tantum cruorem extraxit, secta vena; tamque violenta adhibuit medicamenta, vt aborsum fecerit, & infans in eodem horto sit obrutus; quam rem aperuit & declarauit ipse Chirurgus. Ad flagitium adijcere debuerat homicidium Beza, idque duplex prolis ac matris, vt cum fœnore pœnitentiæ Dauidis egregius foret imitator: attamen cum Marotto ex Dauide pœnitente lasciuum fecit & Epicuręum. Nemo sanè mirabitur hęresim inter opera carnis ab Apostolo recense-

ri, tametsi spiritualis maximè videatur à carne seiunctâ, nam si quis attendat ex superbiâ illam progigni, ac superbiæ semper annexam esse luxuriam non adeo mirabitur; Pœna talionis animus superbiens ac inobediens Deo ferè plectitur; vt illi quoque caro recalcitret ac proteruiat; vixque reperti sunt hæretici, qui nō vtroque hoc vitio, superbiæ ac impudicitiæ laborarent, vt quos exordio secundi libri Maiores ac Patriarchas Epicuræorum enumerauimus. Quemadmodum Cacodæmones non tam corpore quo carent, quàm mente sunt impudici, sordesque venereas amant; ita videntur hæretici doctrinâ suâ, quę prodijt ex Orco, toti in libidines effusi: Quare & hāc augendi stipendij sui ministerialis rationem excogitarunt, pro liberorum numero illud accresceret ex ærario publico. Ac quemadmodum veteres illi Philosophi, qui cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, & commutauerunt veritatem Dei in mendacium, traditi sunt in reprobum sensum, in passiones ignominiæ, in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, ita & hæresiarchæ qui malitia magis quàm inscitia, aut maligna affectata ignorantia veritatem orthodoxam impugnare sunt ausi pertinacissimè; in eadem fœdissima luxuriæ flagitia, Deo permittēte, iustissimè sunt prolapsi, vt eorum quoque superbia atque arrogantia hac turpissima labe impudicitiæ puniretur. Prodromi sunt Antichristi, cuius & illa infamis nota, quod futurus sit in concupiscentijs fœminarum. *Corrupti sunt & abominabiles facti in*
Ps. 13. *affectionibus suis*; itá legit S. Augustinus & addit, ipsę sunt affectiones, quæ corrumpūt animam. Et sic excæcant, vt possit etiam dicere imprudens in corde suo; Non est Deus, quæ maiores & detestabiliores excogitari possunt tenebræ? quam
8. Conf. 28. Epicurismi & Atheismi? de quibus idem S. Pater Deum arcano prouidentiæ suæ more spargere ait pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. De cęterorum Hęresiarcharum flagitijs si dicere velim arcessendus mihi sit Hercules quispiam, qui

qui velut ex Augæo stabulo immensas abominandarum libidinum sordes egerat. At nimium diu versatus sum in hâc camerina. Transeo ad vulgatam eorum obiectionem, quę pridem discussa, tamen ab eis repetita, quasi recens ingeritur à me breuiter extremo loco diluenda.



CAPVT LVII.

Respondetur Hæreticorum obiectioni; quosdam Sacerdotes & Religiosos impudicè viuere.



SIT ita sanè; An non reponere possumus quosdam quoque ministros, & coniugatos quamplurimos vtriusque sexus ex eorum reformatâ religione, seu superstitione verius impudicè viuere? Plura committuntur adulteria quàm fornicationes ex opinione S. Chrysost. Idque quotidiana confirmat experientia. Quod si cœlibatus aut votum, fidesque Deo data causa est impudicitæ, vt ipsi obiectant, multò magis matrimonium & fides homini pręstita, causa erit adulteriorum; hæc enim mutua fides coniugalis vtrimque non rarò aut difficulter frangitur; alterque alteri coniux dum fidem frangit, frangendam docet. At Deus neminem fallit, neque violandi voti præbet occasionem. Esto legis inhibitione magis accendatur cupiditas, & nitamur semper in vetitum: ipso etiam

pudicitię directâ fronte repugnet, eamque penitus expugnet, qui potest illam generare? non magis certè, quam lux tenebras, sanitas morbos, frigus calorem, virtus vitium; & quodcumque contrarium sibi aduersantis contrarij sit origo. Votum castitatis, est extinctio luxuriæ, culter spiritualis quo cœlestis regni resecantur Eunuchi, scutum firmissimum, quo expellantur hostis ignita iacula, singulare munimentum tuendæ pudicitiæ, professio ipsa castimoniæ ac sanctitatis, sanè diuina gratia & charitas infusa cœlitus existimari debet vnicum præsidium tuendæ castitatis, quæ gratia, edito voto facilius, vberiusque impetratur, maiore copiâ, constantiori firmitate animi retinetur, absque ea gratia, in vsu coniugij parum est adiumenti. Plus spiritui tribuendum est, quam carni, plus gratiæ diuinæ quam fœminæ, plus virium habere debet voti nuncupatio & status Religiosi professio, quam corporea sexus commixtio. Apostolus Paulus cum stimulis carnis vrgeretur, & ad diuinam opem supplex confugisset, tertiò repetitâ precatione audijt, *sufficit tibi gratia mea*. Et non ex horum Epicurçorum consilio ad nuptias ineundas amandatus est. Triplex à nostris afferri solet discrimen Catholicos inter & hæreticos incontinentes. Vnum, quod etsi peccent vtrique prauâ impulsi cupiditate, tamen Catholici fidem saluam retinent, ac religionem intaminatam, quâ verus & legitimus Deo cultus exhibetur, hæretici ab ipsâ fide descisćunt ac deficiunt, ipsum subruunt totius ædificij fundamentum, quare hi zizanijs comparantur, quæ diuersa à tritico radicè nitantur, illi paleis quę cum tritico ex eâdem oriuntur radice. Indè aliquem retinent obscurum licet colorem splendoris Euangelici, licet charitate, quę animæ est pulchritudo (amando eum qui pulcher est pulchri efficimur ait S. Augustinus) destituantur: fusci sunt sed non aterrimi, quales Hęretici. *Matth. 11.*

Alterum quod incontinentia in Catholicis non proueniat ex Ecclesiæ disciplina, doctrinâ aut legibus, quæ vehemen-

ter

succumbit, reclamante ratione, multoque magis fide diuinâ renitente. Vt, quæ dicebat, video meliora proboque deteriora sequor. Esto intemperanter se gerat ac flagitiosè Catholicus, æquè ac hęreticus, vterque peccet affectu peruersæ & libidinosæ voluptatis; At hæreticus præterea laborat intellectus errore, ex prauâ hæreticæ conscientię regulâ censet sibi indulgendum voluptati Catholicus intellectu sano est, & aduersus conscientiam peccat, illâ reluctante; Itaque hęreticus propriè est intemperans; Catholicus incontinens. In hoc salua fides perseuerat, & in intellectu minimè deprauato, non difficulter corrigi & commutari potest voluntas. In illo ad ipsam mentis arcem peruasit impudicitia suisque illam erroribus infecit ac contaminauit, vt tanto difficilius inhiberi possit libidinosæ voluntatis impetus. Sacerdos & religiosus Apostata qui in Lutheri Caluinive castra concessit, non modo semetipsum desperat impudicitiæ tradens, verum & errore falso decipit, impudicitiamque vt virtutem approbat ac propugnat. Catholicus incontinens solo ferè peccat, inferiore appetitu, cui non reluctatur voluntas, hæreticus intemperans & intellectu, & voluntate, & totâ mente, ille solius carnis, hic totius mentis pestiferum patitur morbum concupiscentię. Ille velut qui tecto & parietibus euersis, sed saluo & incolumi fundamento de domo recuperandâ, ita de castitate recuperandâ non desperat, hic omnem eius spem ac voluntatem abiecit, ipso vitę fidei fundamento conuulso, castitatem censet obseruatu impossibilem. Ille velut artis instrumenta retinet, quibus ditescere denuo possit, & deperditas integritatis opes recuperare, hic sibi manus ipsas præscidit omnemque eius virtutis facultatem ac voluntatem ademit, ex professo luxuriæ addictus; ex certo fidei suę iudicio, quod non modo non erroneum, sed sacrosanctum opinatur. Bis miser ac fœdus mente & corpore constupratus, nam fœdior animæ lues existit hæresis, quam fœda voluptas corporis. Legi dialogum de corruptis moribus vtriusque partis Pontificiorum

& Euangelicorum; ex fructibus arborem debere cognosci, & vicissim ex arbore fructus; quod vnaquęque res similem sibi fructũ edat auctore Philosopho, quare & adiecit CHRISTVS, *aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Vtrumque coniunxit, nisi aliquando fructus bonus appareat, mox arborem bonam iudices, vicissimque si arbor pulchra videatur, mox statuas fructum eius nobilem esse, nam fieri aliquando videmus vt vita Philosophorum pugnet cum oratione, contraq; oratio cum vitâ; hic etiam reperias Ecclesiasticos Pastores, quorum vita impura sit, doctrina pura, ac vice versâ, quamquam rarissime, quorum vita inculpata doctrina hæretica. Eam ob causam necesse est tum arborem bonam esse statui, cum fructus fuerit bonus vicissimque fructum bonum esse, cum arbor fuerit bona; Si Doctores ea faciunt, quæ docẽt & quæ faciunt, docent, si doctrina & factis, facta doctrinę respondeant. Catholicorum vitam quandoq, fatemur doctrinę non respondere, si pudicè doceãt, impudicè viuant. At Hęreticorũ Lutheri & Caluini sectatorum cũ Epicuręorum sectã profitẽtur, & ex eâ mores actionesq; instituunt suas, & doctrinam vitę, & vitam doctrinæ respondere contendimus. Igitur ex fructibus eorum (doctrinę, si non vitæ) cognoscetis eos.

CAPVT LVIII.

Documenta quædam Epicuræorum de continentia, non planè contemnenda.



VENTVM est ad calcem operis quare cum Epicureis Christiano mihi more Philosophandum est. extant præclarę quædam eorum sententiæ è naturæ principijs haustæ, è quibus si veteres Epicuræi nullum capiant fructum aut perexiguum, id euenit quod

quod nulla illis de altera vita sempiterna veræ fidei lux esset oborta; At nostrates quibus certissimâ fide consecutura constat æternitas aut summè beata, aut summè misera, fructum ex illis decerptum negligere non oportet. Vt igitur eorum consulam vtilitati, si sapere velint; nonnullas attexam eorum sententias leuiter ex Christiana disciplina castigatas, attentiori cura commentandas.

Apud Tullium Torquatus, nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit, sed quia cōsequantur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neq; porrò quisquam est, qui dolorem ipsum quia dolor sit amet, consectetur; adipisci velit, sed quia nonnunquam eiusmodi incidunt tempora, vt labore & dolore magnam aliquam quærat voluptatem. Vt enim ad minima veniā, quis nostrú m exercitationem vllam corporis suscipit laboriosam, nisi vt aliquid ex ea commodi consequatur? Quis autem eum reprehenderit qui in ea voluptate velit esse; quam nihil molestiæ consequatur, vel illum qui dolorem illum fugiat quo voluptas nulla pariatur: at vero eos & accusamus, & iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditijs præsentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores, & quas molestias excepturi sint occæcati cupiditate nō prouiderint: similique sunt in culpa qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum & dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est & expedita distinctio, nam libero tempore, quo soluta nobis est eligendi optio, cumque nihil impedit; quo minus id quod maximè placet, facere possimus; omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus; temporibus autem quibusdam & aut officijs debitis, aut rerum necessitatibus sæpè euenit, vt & voluptates repudiandæ sint, & molestiæ non recusandæ: Itaque rerum omnium tenetur à sapiente delectus, vt aut reijciendis voluptatibus maiores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat. Hæc omnis oratio si ad præsentem vitam referatur, non omnino est improbanda,

sed eget tamen aliqua castigatione, si vero ad futuram alteram longè maximè est probanda, & semper animo memori conseruanda; nihil vnquam ipsius voluptatis causa faciendum est; neque doloris causa recusandum, nec dolor, nec voluptas scopus esse debent aut regula actionum, quas velut vmbræ & appendices consequuntur, nihili per se æstimandæ, sed de honestate aut turpitudine actionum censendæ. Voluptas aspernanda est non quia voluptas, sed quia peccati illecebra est, & eius materiam fomitemque subministrat, dolor minimè recusandus, nō quia dolor, sed quia virtuti est adiunctus, pœnitentiæ & mortificationis per se expetendæ comes, & pedissequus: alternis ferè sese consequūtur ac comitantur dolor & voluptas,
Prou. 14 & tum sapientis est habere delectum, nam *extrema ferè gaudij*
13. *luctus occupat, & cor quod nouit amaritudinem animæ suæ gaudio*
Prou. 14 *eius non miscebitur extraneus*, ferè cum corporis voluptate iun-
10. gitur animi mœror, & pœnitentia, & cum corporis honesta ex causa diuexatione, animi sibi bene conscij Deum promerentis lętitia: appendat sapiens iusta rationis statera has inter se voluptates, & dolores: neq; vero liberum eiusmodi tempus offertur, quo soluta sit eligendi optio, cum semper pœnitentiæ & mortificationi vacandum sit homini Christiano, nec vlla corporis pura sit & liquida voluptas quæ careat appendice doloris proximi, aut non diu post insecuturi. Cum omnis labor & dolor CHRISTI causa susceptus, fructu suo non destituatur, cum huius, tum alterius vitæ copiosissimo, cuius spes & expectatio hic quoque magnam adfert lętitiam semper id Christianæ vitę rationes expostulāt vt voluptates negligantur dolores non repudientur, immò accersantur, molestię carnis
2. Cor. 4 sed animæ delitiæ: *Semper mortificationem* IESV *in corpore no-*
10. *stro circumferētes vt & vita* IESV *manifestetur in corporibus nostris*. Quod si disputatio hæc referatur ad alteram vitam, & huiusce vitæ præsentis voluptates & dolores, cum alterius sempiternę voluptatibus ac doloribus cōparentur quāquam nulla est comparatio temporis cum æternitate finiti cum infinito, nemo

mo non videt repudiãdas omnes vitæ præſentis voluptates, ad alterius æternam felicitatem & iucunditatem aſſequendam, nullos non perferendos dolores, ad euitandos gehennę ſempiternos cruciatus: ſi crebrius obuerſetur menti duplex illa ęternitas, in quarum altera omnium eſt voluptatum ac bonorum coaceruatio, in altera cruciatuum dolorum atque ærumnarum collectio, nõ erit difficilè & repudiare pręſentes voluptates, & quoſcumque dolores tolerare, vt ſeſe cohortabatur Apoſtolus. *Exiſtimo enim quod nõ ſunt cõdigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, propter quod non deficimus ſed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem, id enim quod in præſenti momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quę non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt.* Virtutem à voluptatē ſeiungi non poſſe, nec voluptatem à virtute diſputant Epicuręi cum hãc illius effectricem potiſſimam, & adminiſtram eſſe velint, ſi de voluptate corporis intelligunt, falſo id diſputant: poteſt virtus à voluptate corporis ſeiungi, licet non ab animi voluptate, at voluptas planè ſeiungi poteſt à virtute, cum flagitio paratur obſcęna re venerea gula vel ebrietate, nunquam tamẽ virtus orbatur ſuo gaudio ac pręmio, cum in hac tum in altera futura vita, quo ſenſu rectè clamat Epicurus nõ poſſe iucundè viui, niſi ſapienter, honeſtè iuſteque viuatur, nec ſapienter honeſtè, iuſtè, niſi iucundè, ſed ſola corporis voluptas non ſufficit niſi & animi accedat iucunditas ex tranquillâ & pacatâ conſcientia & præ animi voluptate corporis negligenda eſt, neque ciuitas in ſeditione poteſt eſſe beata, nec in diſcordia dominorum domus, quo minus animus à ſeipſo diſſidens ſecumque diſcordans guſtare partem aliquam liquidæ voluptatis ac liberæ poteſt, atqui pugnantibus & contrarijs ſtudijs conſilijſque ſemper vtens nihil quieti videre, nihil tranquilli poteſt, quod ſi corporis grauioribus morbis vitæ iucũditas impeditur, qui-

Rom 8. 18.
2 Cor 4 16.17.

modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpè rempublicam ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur, nec sese foris solum iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusæ inter se diffident atque discordant ex quo vitam amarissimam effici necesse est, ex quo & clarissimè perspicitur voluptatem corporis summum hominis bonum esse non posse.

Quæ est vtilior, aut ad bene viuendum aptior partitio quam illa quâ vsus est Epicurus, qui vnum posuit genus earum cupiditatum quæ essent naturales & necessariæ, alterum quæ naturales essent, nec tamen necessariæ, id Christiana; disciplina non admittit: tertium quæ nec naturales, nec necessariæ quarum ea ratio est vt necessariæ nec opera multa, nec impensa expleantur, ne naturales quidem multa desiderent, sunt enim eædem, propterea quod natura diuitias quibus contenta sit paratas ac terminatas habeat inanium autem cupiditatum nec modus vllus, nec finis inueniri potest, quibus sententijs congruunt plurimæ è sacris scripturis petitæ quas referre prolixioris sit operæ. Extremũ esse bonorũ voluptatem ex hoc facillimè perspici potest; constituamus aliquẽ magnis, multis, perpetuis fruentem animo & corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente, quem tamdem hoc statu præstabiliorem aut magis expetendum possumus, dicere? nullũ, in altera quidem vita beata sed in præsente talem omnino constituere non possumus, in qua sibi permiscentur aut succedunt alternis voluptas & dolor. Iam quod addunt inesse enim necesse est in eo qui ita sit affectus & firmitatem animi nec mortem, nec dolorem timentis quod mors sensu careat dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis soleat esse vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatẽ alleuatio consoletur, ad alterã vitã nihil pertinet in quà neq; mors neq; dolor: ad hãc non expedit vt quis omnis mortis metu careat, & falsò quis illum omni sensu carere existimet, cum à morte anima supersit immor-

immortalis, multoque minus expedit vt diuinum numen non semper sancto quodam timore perhorrescat, præteritarum voluptatum recordatio non magis conferet ad beatam vitam, quam laborum dolorumque generosè perpessorum, cum mors venerit vanitatis arguentur omnia pręterita.


Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe propositâ, fore leuius aliquandó, nulla præterita neque præsenti neque expectata voluptate quid eo miserius dici aut fingi potest? Nihil miserius, si status ille sit sempiternus, qualis futurus est damnatorum in orco, dolor eorum & longissimus erit & grauissimus, æternitate, & immensitate quadam infinitus: accedet ad miserię cumulum quod damnatus ab vltimo fine suo cuius causa conditus erat, & CHRISTI pretioso cruore redemptus, sua culpa atque oscitantia exciderit, quod vltro volẽs in eam sese miseriarum abyssum præcipitarit, ergo præ oculis semper habenda hęc cõsequens ęternitas & ad beatam assequendam, miseramque euitandam omnia studia atque opera referenda sunt nulla: salutarior monitio ac concio quam sancti Francisci Assinatis.

Voluptas breuis pœna immensa,

Labor exiguus gloria infinita, & in fine operum cuiusquę denudatio & retributio.

FINIS.





SVMMA CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAP.



SVMMA CAPITVM

LIBRI SECVNDI.

CAP.

SVM-



SVMMA CAPITVM

LIBRI TERTII.

CAP.

CAP.

FINIS.

ERRATA PRÆCIPVA.

Pag.7.multis,mollis transpositæ lineæ. Quando ab Ecclesia discedunt,nulla conspiciuntur eius modi præclarè dicta, sed Scripturarum corruptelę &c. 69. multiplex delendum 76 hoc est qua Christi iustitiam nobis applicitam & imputatam apprehendimus 105. dele eiusdem disciplinæ. 120 impius, impium est 1 6. à quo, æque. 152 legalium,lethalium Caluinus istis,Caluinistis. 161. Eugen. Enchirid 69 185 hymnistę Symmistæ 203 pœnarum, palmarum 224 surrexit, surrepit 314 Esther, Esdræ. dele 1 patrata. 319,contexi, conteri.346.Cyprianus,Cypri 411 debet inferi textui:de Iouiniano Hieronymus. 478. inuocauerunt, inclinauerunt. 517. conseruati, consecrari.590.Toletus, Toletanum concilium : reliqua tu ipse, lector, emenda.

